YALE MEDICAL COLLEGE

LIBRARY.

No.

TRANSFERRED TO
YALE MEDICAL LIBRARY

CODEX MEDICAMENTARIUS EUROPAEUS.

SECTIO QUARTA

PHARMACOPOEAM BATAVAM

CONTINENS.

VOLUMEN I.

LIPSIAE
SUMPTIBUS JOANNIS AMBROSII BARTH.
MDCCCXX.

PHARMACOPOEA BATAVA

CUM

NOTIS ET ADDITAMENTIS MEDICO-PHARMACEUTICIS,

IN QUIBUS

VEL MEDICAMINA IN EA ENUMERATA ILLUSTRANTUR, VEL CETERA IN OPTIMIS DISPENSATORIIS DESIGNATA ATQUE IN SCRIPTIS JURE COMMENDATA, NEC NON OBSOLETA, QUAE VEL OB ALIQUAM UTILITATEM VEL OB FREQUENTEM APUD VETERES USUM NON PRORSUS NEGLIGENDA SUNT, RECENSENTUR,

ITA UT

PRO GENERALI HABERI POSSIT;

EDITORE

D. JOANNE FRIDRICO NIEMANN,

REG. BORUSS. REGIM. ET RERUM MEDICINAL. CONSILIARIO ATQUE ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITE SECUNDAE CLASSIS.

VOLUMEN PRIUS

PHARMACOPOEAM CUM NOTIS CONTINENS.

CUM IV TABULIS AENEIS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS JOANNIS AMBROSII BARTH.

MDCCCXI.

YALE MEDICAL
HISTORICAL
LIBRARY

Illustrissimo Viro

D. Curtio Sprengel

Professori botanices Halensi

amico carissimo

hancce Pharmacopoeam Batavam

recusam

humanissime dicat

EDITOR.

Editor ad Lectorem.

Inter recentiores pharmacopoeas, publica auctoritate prolatas, Borussica et Batava ceteris aeque palmam praeripiunt, atque posterior, non tam ob novitatem, quam aliis ex causis iisque multo gravioribus, priori anteferenda esse mihi quidem videtur. Et facili negotio augurari potuit, auctores tanta doctrina conspicuos tantaque existimatione florentes, non solum imitatores esse futuros, sed multa ex ratione creatores. Revera exactus calculus in acidis et spiritus vini gradibus exponendis adhibitus, apparatus ad priora destillanda adornatus, scita praeparatorum elabora-

tio et ordo, quo haec disponuntur; hae aliaeque virtutes distinguunt pharmacopoeam Batavam ab omnibus hucusque promulgatis. Intercurrunt quidem medicamina civitate prorsus indigna, ut: sanguis draconis, radix Lopeziana, bezoar orientalis aliaque, sine dubio vulgi praejudicatis opinionibus in Belgia consecrata; nihilominus tamen cum omnibus certamen inire potest. Quilibet igitur medicus ad incrementa artis studiosus, ut hunc thesaurum pharmaceuticum in bibliopoliis Germaniae citius sibi comparare, meliusque eo uti possit, certissime in votis habet. Hanc ob causam recusum offero medicis et pharmaceutis cum commentario medico-practico perpetuo. Jam olim multi rei medicae periti cogitarunt de pharmocopoea universali conficienda pluresque cogitata exsecuti sunt. Nisi fallor in ea componenda hae duae potissimum leges sanciendae sunt, quarum altera haec sit, quod secundum ordi-

nem in pharmacopoeis receptam omnia medicamina unquam adhibita, nisi plane absurda sint, perlustrantur, altera, quod efficaciora fusius exhibentur, eorumque vis et usus breviter enarrantur. Enascitur hoc modo repertorium medico-pharmaceuticum, ad quod medicus et pharmaceuta in praxi exercenda et libris legendis recurrant. Trillerus, Spielmannus, Lewisius, Swediaurus et Duncanus dispensatoria universalia conscripserunt; Reussius et Swediaurus autem, simplicia praetermittentes, injuria a via, qua Trillerus et Spielmannus ingressi erant, deflexerunt, et Duncanus recentiorum scripta extra Angliam edita parce tantum consulit. Itaque pharmacopoeam Batavam non solum denuo edendam, sed etiam notis et additamentis ita instruendam statui, ut tanquam universalis, genio hodierno accommodata, considerari posset. Adjeci insuper indices, quarum una nomina nova cum antiquatis

conserit, altera scalas thermometrorum maxime usuales comparat, tertia denique partes, quibus aquae soteriae usu inter nos probatissimae constant, primo adspectu perlustrandas offert. Una e tabulis adjunctis repraesentat apparatum Woulfii et Nōthii, ut a nullo lectore eorum constructio ignoretur. In viribus medicaminum recitandis saniorem empiriam secutus, ad organa secretoria, quae maxime ab iis excitantur, potissimum attentus fui, et ad concitationes, quae in solidis palam fiunt, summa cum persuasione, hucusque nec chemia, nec philosophia, quam naturae cognomine insigniunt, ac si non omnis philosophia ad naturam conformari eaque superstrui debeat, vires has ea in luce collocatas esse, ut divisiones et conclusiones exinde petitae non possent medicum perducere in funestissimos errores. Nam vires vitales, quae, ut omnes norunt, non inferiorem par-

tem suscipiunt in effectibus medicaminum edendis, nec crucibulo chemicorum solum explorantur, nec sophismatibus philosophorum. Non stricte inhaesi ordini in pharmacopoea Batava observato, atque intermiscui interdum simplicibus praeparata et composita; quod in pharmacopoea universali facile condonari poterit, cum hoc modo medicamina, quae forma potius quam virtute differunt, minus segregentur, et catalogus verborum alphabeticus ea, quae nec inconsiderate nec incongrue separata fuerunt, sub una denominatione recolligens, locum indicet, ubi quivis curiositati satisfacere possit. Ob ubertatem rerum et consilium, quod cepi, praeter medicamina, omnium ore praedicata, ea saltem libandi, quae in libris sparsim occurrunt, etsi vel medicum non raro frustrentur, vel parum virtutis in eis lateat, unum volumen, ne mole sua offenderet, additamenta non

poterat excipere. Itaque reservavi ea una cum indicibus suprá memoratis et catalogo verborum alphabetico ad alterum, quod prelo jam commissum brevi post tempore sequetur.

Dab. Halberstadii d. XII Cal. April. MDCCCXI.

NIEMANN.

SCRIPTORES PHARMACOPOEAE BATAVAE AD LECTOREM.

Publica auctoritate cavendum esse, rite sint instructae officinae pharmaceuticae, necesse igitur esse, ut Codex Pharmaceuticus, in usum universae reipublicae lege sancitus, prodeat, non facile quisquam inficias iverit. — Nullus ejusmodi Codex extabat in patria nostra, et qui ineunte seculo elapso, et ante hoc tempus, in usum nonnullarum majorum civitatum, magistratuum urbanorum provida cura, editi fuerunt, non amplius propositio satisfaciunt. Erant quidem plerique hi codices eo tempore, quo conscribebantur, ad statum disciplinarum satis accommodati; sed quum deinceps eorum pauci ad rationem progressuum eximiorum, quos ars pharmaceutica etiam olim fecit, locupletiores et emendatiores redderentur, evenit, ut, cum multis in

locis nunquam inde a prima promulgatione aucti et emendatiores recusi prodierint, sensim a proposito, cui assequendo a proavis erant destinati, recesserint. Superstitem in illis invenies, maximo sane optimae arti, eximiisque illius in patria nostra cultoribus opprobrio, inconcinnam medicamentorum farraginem, quae dudum sanior nostris diebus medicina rejecit. Hic itaque potius inveniri velles, quae in lucem protraxit recentiorum solertia, quibusque nemo medicorum hodie vellet carere. Denique in iis codicibus ipsa composita pharmaca vix unquam talia esse jubentur, qualia a probatis in arte viris censentur ad usum vocanda. Hinc factum est, ut, licet hi codices pharmaceutici nomine adhuc vigere videantur, usu tamen, ut meruere, ferme exoleverint. Accedit, qui malorum omnium est cumulus, quod in multis patriae urbibus, solemni jurejurando pharmacopolae, antequam ad artis exercitium admittantur, sancte promittere teneantur, ut ad talem normam remediorum praeparationem instituant.

In sola civitate Amstelodamensi longe praestantior talis Codex receptus est, quem Cla-

riſſimi Collegii Medici Inſpectores Anno 1792, laudabili admodum inſtituto, ſub titulo Pharmacopoeae Novae Amſtelodamenſis tanto ſtudio et rerum intelligentia concinnarunt, ut formularum officinalium plurimae, magno artis ſalutaris emolumento, ad ſanas chemiae regulas redactae et emendatae prodierint. At quaecunque ſint hujus operis merita, quae grato animo lubenter agnoscimus, multum tamen abeſt, ut hodierno illique ſplendenti chemiae atque pharmaciae ſtatui, qui potiſſimum inde ab accenſa per immortalem LAVOISIERIUM face, tot clarorum per omnem Europam florentium virorum communi opera, invaluit, ut par eſt, reſpondeat. Habita interim ſit in majoribus civitatibus ſaltem aliqua ad officinas pharmaceuticas inſtruendas cura, fuit haec in aliis penitus neglecta, et in oppidis minoribus atque rure ſupellex pharmaceutica nulla prorſus lege definita fuit.

Qualis ergo hinc in univerſum exoriri debeat conditio rei pharmaceuticae, nemo non intelligit. Quodſi enim aut nulla lege, aut quae non ſufficiat, definiatur, quaenam medicamenta ad communem uſum in officinis

praeſto debeant eſſe, neque moneatur, qualis ſelectus inſtituendus, et qualis praeparandi ratio adhibenda ſit, verum haec judicio atque arbitrio pharmacopolarum potiſſimum relinquantur, quorum hic Pharmacopoeam Amſtelodamenſem, ille Edinburgenſem, alius aliam, commodiorem viſam, pro norma ſibi eligat, fieri non poteſt, quin hinc aegrotantibus, ex ejusmodi ſupellectile opem petentibus, multiplex periculum immineat. Non tantum ſic ſaepe medicamenta admodum utilia fruſtra quaeruntur, verum etiam ſub eodem titulo in variis officinis medicamenta occurrunt, indole perquam diverſa, ita quidem, ut ſaepe medicus non accurate cognoscat virtutem ejus, quod praeſcribit, potiſſimum ſi de praeparato chemico agatur, niſi ante illud in unaquaque officina, quacum ipſi res eſt, examinaverit.

Et quum nulla detur in toto terrarum orbe regio, in qua tam aſſiduum et multiplex mercaturae cauſſa inter variarum urbium incolas ſit commercium, mirum nulla ratione videatur, triſtiſſima paſſim apud nos extitiſſe aegrotorum exempla, qui, hujus incuriae victimae, triſti fato occubuerunt ſub uſu remedii, quod

domi bene ferebant, ſed quod, ſub eodem titulo alibi alia ratione paratum, fortiori actione lethalem hunc effectum habebat.

Tacemus alia ex eodem fonte manantia, quaeque ad pharmacopoeorum inſcitiam, ſocordiam, avaritiam, praeconceptas opiniones, vel ſimilia pertinent.

Contra multiplex ejusmodi malum omnes, rei medicae atque pharmaceuticae periti, inde a longo tempore in eo aptam fore medelam opinati ſunt, ſi ſuprema moderatorum patriae auctoritate in uſum univerſae reipublicae Codex Pharmaceuticus promulgaretur, qui ſelectum in medicamentis faciendis ſevera lege praecipiat, modumque, ad quem ſingula ſint conficienda, accurate definiat, ut ſic ubivis locorum et nomine et efficacia eadem praeſto ſint adverſus morbos arma.

Voti hujus conſequendi opportunitas nata demum fuit, creato hac in republica Anno 1798 Praefecto inſtitutionis publicae, cui rei quoque medicae per totam patriam emendandae committebatur cura. Hoc etenim munere

quum primus fungeretur Vir Ampliſſimus THEODORUS VAN KOOTEN, fausto fato evenit, ut, qui huic a ſecretis erat Vir Doctiſſimus, JANUS VAN HEEKEREN, Med. Doct. eximio ſtudii medici amplificandi ardore flagraret, et inter reliqua, quae huc facere videbantur, Praefecto ſuaderet, ut mox ad Quinqueviros, penes quos ſuprema erat reipublicae adminiſtrandae poteſtas, de rei pharmaceuticae apud nos ſtatu referret, atque reformationem inchoandam urgeret per Pharmacopoeam Batavam, Batavis univerſis praeſcribendam, quae ad praeſentem disciplinarum naturalium, praeſertim chemiae, rationem accommodata eſſet.

Probato Ampliſſimi T. VAN KOOTEN conſilio, eodem auctore die 1 Aprilis 1799 reipublicae regundae Quinqueviri, provinciam conſcribendi talis Codicis pharmaceutici in nos deferendam eſſe, voluerunt. Difficillimum arduumque laborem in uſum publicum ultro eſſe ſuscipiendum, officii nostri duximus. Ut autem illo, pro gravitate atque utilitate rei, fungeremur, in congreſſu, Amſtelodami brevi poſt habito, ante omnia elabo-

randi operis normam, nec non rationem, ad quam quisque noſtrum domi, maximo cum fructu, commune ſodalitii penſum ſua opera poſſet provehere, definivimus.

Mox ſinguli ſeorſim manus operi admovimus, meditationis autem atque experientiae fructus cum univerſis ſociis communicavimus, habitoque ſuper illis litterarum amico commercio, atque repetito aliquoties omnium conſeſſu, eo tandem res fuit perducta, ut communi conſilio ea forma PHARMACOPOEA BATAVA fuerit concinnata, qua hodie in publicum prodit.

Luctuoſum interim accidit, ut unus ex ſodalibus nostris G. G. TEN HAAFF, vir ingenio atque doctrina praeclarus, chemiae peritiſſimus, medicam praxin Roterodami cum omnium applauſu inde a multis annis exercens, praematura morte ſuis, patriae atque rei litterariae, ante finitum, quem conjunctim ſuſceperamus, laborem, et in quo ad fatalem diem usque indefeſſus partes ſuas ſuſtinuit, die 8 Decembris Anni 1800, eriperetur.

Effluxiſſe triennium et quod excurrit, antequam ad finem laborem perduxerimus, ne-

mini mirum videbitur, conſideranti, quot quantarumque rerum conſideratione, qua cautione, ne temere ab aliis propoſita aſſumerentur vel rejicerentur, quot denique experimentis inſtituendis atque iterandis opus fuerit. Moram etiam hic fecerunt disjuncta ſociorum habitatio et uniuscujusque muneris, cui domi vacabamus, frequentiora negotia.

Non interim poſſumus, quin grato animo agnoscamus, nihil ſubſidii, nihil, quo indigeremus, ad laborem penitus exſequendum, commodi nobis deſiderandum reliquiſſe, cum Ampliſſimum T. VAN KOOTEN, tum Virum Ampliſſimum JOANNEM HENRICUM VAN DER PALM, ſucceſſorem, Anno 1799, THEODORO VAN KOOTEN datum, adjutorem noſtri laboris amicum pariter, ac indefeſſum, tum etiam Triumviros Collegii, quod res internas hujus reipublicae curat, cui, Anno 1801 conſtituto, omnium, quorum cura ad Praefectum inſtitutionis publicae antea pertinebat, poſt concredita eſt adminiſtratio.

Sic liberali Procerum favore atque auxilio tandem penſo abſoluto, defuncti, quod nobis

oblatum fuit, munere, ſolemniter die 18 Februarii 1803 in Triumvirorum dictum concilium Pharmacopoeam, a nobis conſcriptam, detulimus.

Hanc Triumviri approbantes Duodecimviris reipublicae gerendae miſerunt, ſuadentes legem promulgendam, ad quam haec Pharmacopoea Batava ad uſum publicum poſſet introduci. Duodecimviri, propoſito annuentes formulas cum Pharmacopoeae, tum legis ferendae, cum Senatu in patria ſummo, penes quem poteſtas legislatoria eſt, communicaverunt, ut vellet illas auctoritate ſua ſancire. Habito quam primum conſilio his Proceribus placuit, decreto diei 29 Julii 1803 ſtatuere:

1. Sit univerſae Reipublicae Batavae unus Codex Pharmaceuticus, ad cujus normam pharmaceuticae officinae omnes inſtituantur.

2. Sit hic Codex Pharmacopoea Batava, quem Duodecimviri reipublicae gerendae obtulerunt.

3. Probentur, quas propoſuerunt, ad introductionem hujus Pharmacopoeae ſpectantes

leges, atque tandem universum hoc negotium ulterius exsequendum illis relinquatur.

Ab eo tempore Duodecimviri reipublicae gerendae, vocato in consilium collegio, quod res internas curat, confirmatam suprema auctoritate Pharmacopoeam Batavam typis describendam, promulgendam et ad usum publicum convertendam jusserunt, unde tandem nata lex est 25 Februarii 1805, quae calci operis adjecta reperietur.

Et quo magis caveatur, ut Pharmacopoea Batava, prouti nunc, ita deinceps disciplinae chemicae atque pharmaceuticae statui respondeat, Duodecimviri rogatos voluerunt hujus operis scriptores, ut junctis sodalitii viribus, quovis sexennio appendicem faciant earum rerum, quae ab eo inde tempore, quo haec Pharmacopoea Batava fuit introducta, denuo inventae et in communem usum vocatae sunt, quam, reipublicae Rectoribus approbantibus, in lucem edant; singulis autem viginti quinque annis denuo universam hanc Pharmacopoeam redigant, ut pari semper incremento cum progressibus scientiarum chemicarum, codex, publica auctoritate sancitus, augeatur.

Atque haec ſunt, quae de hiſtoria hujus Pharmacopoeae Batavae ad lectores potiſſimum videntur pertinere.

Sunt inſuper, quae de ipſo opere moneantur.

Primum, idque ſane perdifficile, ſelectus fuit inter medicamenta, aliquando ad uſum laudata, inſtituendus, quaenam tanquam neceſſaria ſervanda, quaenam ut ſupervacanea e catalogo forent eliminanda.

Vix enim eſt medicamentum, quod in officinis, quacumque etiam levi de cauſa, ac haud raro praeter fidam experientiam ſemel locum et aliquam obtinuit auctoritatem, quin reperiantur inter practicos, qui illius uſui adſueti, quamvis a majori collegarum numero penitus repudietur, illud ſancte ſervandum cenſeant.

Ita parum hic certe inter ſe conſentientes reperiuntur viri clariſſimi, ut multa ſint pharmaca, quae hi laudent, alii plane rejicienda judicent.

Non ergo eſt, quod hic omnium deſiderio poſſit ſatisfieri, quamvis omnes conſen-

ſollicito etiam ad aegrorum lectos examine nobis plane conſtaret de illius prae veteri praeſtantia et efficacitate. Novae etiam hinc, vel emendatae a nobis praeparationes natae ſunt complures, non innovandi cupiditate, ſed ſolo, aut aegrotantium, aut pharmacopoeorum commodo incitati. Hinc et multas renovationes a variis chemicis propoſitas, et in aliarum regionum Diſpenſatoria receptas, non admiſimus, utpote medicorum et chirurgorum experientia minus probatas. Non enim ſemper pari paſſu ambulant maxima remedii puritas, parandique ratio exquiſita ad optimas chemiae leges, et illius vis medicata. Saepe in iis, quae nobis exigui videntur eſſe momenti in remediorum praeparatione, imo, quae artis chemiae praeceptis parum congruunt, maximum ſitum eſt emolumentum in morborum curatione, licet nos illud ingenio aſſequi ſemper haud valeamus. Hinc et illa, quae externam elegantiam, cryſtallorum exquiſitam convenientiam et ordinem, colorem et alia hujus generis ſpectant, quibus imbecilli animi delectantur, parum curavimus, ſi virtutis, inde forte imminuendae, vel minima nobis ſuboriretur ſuſpicio.

Quam optimi ex recentioribus iisque probatiſſimis de re pharmaceutica auctores in technologia medicamentorum, ut plurimum compoſitorum, reformationem inſtituere inceperunt, hanc nos ulterius excolendam eſſe conſultum duximus.

Non eſt multis, opinamur, probandum, nominum fallacia hiſtoriam rerum etiam medicinalium inconſtantem atque incertam redditam eſſe, nec parvi pretii eſſe emolumentum, quod ex technologia, ad certa principia reformata, inde ab immortali LAVOISIERIO ad diſciplinam chemicam redundaverit: aut eſſe minus ſpectabile inde proficiſcens commodum pro disciplina pharmaceutica. Cum ergo in his omnes conveniant, quod chemiae Lavoiſierianae principia ita ſint vindicata, et haec adeo ſeſe omnibus approbaverint, ut pauciſſimi, vel ſuperſint, vel videri velint ejus obtrectatores, nullum certe, ex uſu vel commodo aliquo petitum, argumentum videtur novorum nominum ad medicamenta chemica ſignificanda introductioni adverſari.

Nomina ergo medicamentis, quantum fieri potuit, appoſuimus, quae chemiae recentioris

ſubintelligimus, ad ſalem proximum, cui baſis oxydum perfectum eſt. Sic Mercurium dulcem vulgo dictum, murias oxyduli hydrargyri, vel hydrargyri oxydulati dicimus, et Mercurium ſublimatum corroſivum ſimpliciter murias hydrargyri.

Quodſi autem unum ſit metallicum praeparatum, quod metallum oxygenio junctum tenet, ſive hoc ejus metalli oxydum, ſive oxydulum fuerit, denominationem, gradum oxydationis exprimentem, praetermiſimus. Sic dicimus ſulphas ferri, loco ſulphatis oxyduli ferri; nitras bismuthi, loco nitratis oxyduli bismuthi, cet.

Aliquando, perſpicuitatis et diſtinctionis cauſa, coloris adjecimus rationem, ut oxydulum ferri nigrum, oxydulum ferri fuscum, oxydulum ſtibii fuscum, oxydulum ſtibii griſeum et ita porro.

In nomenclatura ſalium ex acido carbonico compoſitorum denominationem carbonatis alcalini adhibuimus. Ratio haec eſt. Jam diu eſt, quod chemici noverint admittere ſales, neutros dictos, in compoſitione acidum abun-

dans, quo novae nascuntur proprietates, quique sales neutri aciduli vocantur, ut est sulphas potassae acidulum, nitras potassae acidulum et in supellectile pharmaceutica tartris potassae acidula. Ita in aliis salibus neutris acidi et alcalini ea est proportio, ut qualitatibus illi ad sales alcalinos accedant. His alcalinorum epitheton adjecimus; boracem, verbi causa, boratis sodae alcalini nomine indicavimus. Jam vero compertum habuimus, ut alibi pluribus docebitur, pari modo ad carbonata alcalina ita posse accedere alcali ultra saturitatem, ut haud adhaereat liberum, sed ut hoc ipsam carbonatum illorum compositionem ingrediatur, atque ita novum revera constituatur corpus. Talem compositionem carbonas alcalinum diximus, aliis, sed minus accurate, incompletum, vel imperfectum nominatum, quum illius principia, licet alia proportione, nexu haud minus perfecto, et etiam arctiori et perfectiori sint sociata. Carbonatis denominationem servavimus pro carbonate completo, hoc est, pro sale perfecte neutro, seu plene saturato, constante alcali et acido carbonico. Ita occurrit carbonas potassae alcalinum et carbonas potassae; carbonas

ſodae alcalinum et carbonas ſodae; carbonas ammoniae alcalinum.

Minoris forte eſt momenti, ſed tamen haud praetermittendum, in generum grammaticorum quorundam terminorum technicorum conſtitutione aliquam nos inſtituiſſe mutationem, vel potius illa ad genium linguae, ad quam origine tenus pertinent, vel pertinere cenſentur, reduxiſſe.

Ita vocabula de acidis facta, quae terminationem as recipiunt, a multis in genere masculino adhibita, ut ſulphas, murias, carbonas, nitras cet. a nobis in neutro genere adhibentur. Illa autem, quae ſimilis originis in is deſinunt, ut ſulphis, tartris, nitris, generis foeminini ſumuntur. Alcohol autem, non neutrius, ſed masculini ſumitur generis, cum vox ſit idiomatis Arabici, in quo neutrius generis ſubſtantiva non occurrunt, et ſic deinceps.

Quantumvis autem hanc tantopere commendabilem nomenclaturam, ad normam disciplinae Lavoiſierianae inſtitutam, ad uſum pharmaceuticum non minus, quam chemicum

aptiſſimam credimus, non tamen opinamur, illam mox ab omnibus receptum iri, vel etiam poſſe recipi. Qui enim medici practici, inde ex longa annorum conſuetudine adſueti ſunt quotidiano uſui terminorum antiquorum, non facile eo poterunt perduci, ut antiquum morem dediscant. Certum tamen eſt, haec nomina, quamvis lente, aliquando per ipſorum excellentiam in uſum quotidianum ventura. Imo hoc praeſtat, quam ut leviter illi, qui hodierni ſyſtematis rationem haud penitus perſpexerint, nomina antiqua cum novis permutent, ſicque facile confundant, quae valde diſſimilia, ad ſonum affinia videntur, ita quidem, ut errore forte aegris fatali, medicamentum propinandum poſſit admoveri longe aliud, quam quod ipſi dandum velint.

In horum clinicorum et pharmacopolarum, etiam chemiae recentioris nondum forte ſatis peritorum, gratiam praeter novum, indolem medicamenti indicantem, titulum, non tantum ſynonyma adjecimus praecipua, quibus in probatiſſimis pharmaceuticis codicibus deſignantur, verum etiam linea ſingulari nomen, quod in Pharmacopoeis Belgicis inprimis triviale exiſtit, atque uſus notiſſimi.

Praeter haec ſynonyma uſitatiora adjecimus illa ad ſingula medicamenta, qualia in quatuor Pharmacopoeis praeſtantiſſimis, quae merito uſu prae reliquis inter noſtrates invaluerunt, Edinburgenſi videlicet, Londinenſi, Amſtelodamenſi et Boruſſica occurrunt. Quoties haec ſynonyma vel recedunt a medicamentorum titulo noſtro primario, vel etiam triviali, toties illa litteris initialibus E. L. A. et B., indicavimus, ut quanam in Pharmacopoea unumquodque occurrat, inſpicienti pateat.

Nomenclaturam emendatam, ad compoſita medicamenta adhibitam, ad uſum quoque vertimus ad corpora in Materia Pharmaceutica relata, vulgo ſimplicia dicta, quantum commode fieri potuit, hoc eſt, ad Corpora ex Regno Foſſili deſumenda et nonnulla ex reliquis regnis praeparanda. Vegetabilium autem nomina in officinis uſitata, officinalia dicta, retinuimus, nec cum nominibus e ſyſtemate botanico deſumendis permutavimus. Non enim par eſt mutationis inſtituendae ratio. Nomen botanicum vix accuratius ſignificat plantam, de qua agitur, quam id, quod uſitatum eſt,

multoque minus, vel quidpiam de ejusdem indole monstrat; accedit, quod multorum corporum vegetabilium, quae in usus pharmaceuticos cesserunt, originem, cujusnam quippe plantae sint, ignoremus. Satis hinc nos feciſſe arbitramur, monentes, post nomen in officinis usitatum, nomen Botanicis solenne. Auctoris nomen si non adjiciatur, est illud Linnaeanum, ceterum ex alio si fuerit desumptum, Botanici diserta fit mentio.

Unum supereſt ad chemicas praeparationes propositas paucis monendum. Spectat ad apparatum a nobis variis locis commendatum, ubi agitur de colligendis fluidis, forma aëriformi sub operationibus prodeuntibus, qui inde ab aliquot annis chemiae cultoribus usus familiaris evasit, a plerisque tamen pharmacopolis nostratibus in hunc usque diem negligitur. Ab inventore apparatus ille Woulffianus dicitur. Non possumus, quin serio iterumque hanc machinam commendemus, potissimum, si majori copia medicamenta, ad quae illius usum laudavimus, una operatione praeparanda sunt. Inveniuntur vero, qui illo apparatu non utuntur, cum difficilioris usus illum cre-

dant; ſunt alii, illum negligentes propter pretium, quo lagenae bicolles et tricolles, quibus componitur, conſtare putent; ſed uſus non eſt difficilis, niſi inexpertis, et pretio etiam exiguo parabilis. Sumantur v. g. lagenae, vulgares viridi, vel albo vitro confectae, capacitatis pro colligendorum copia, ac foramine perforentur simplici vel duplici, juxta aperturam in collo; vitrei tubi, quales ad barometra conficienda adhibentur, in ſiphones flectantur, ejus menſurae, ut foraminibus in lagenis factis proxime reſpondeant. Siphonibus, ſeu tubis inflexis lagenae memoratae jungantur et prior excipulo vulgari apponatur, retortae annexo, ac tubo intermedio, prioribus ſimili, fiat excipulum inter et illam priorem lagenam, atque per hanc inter reliquas vicinas liberum commercium; tandem luto ex emplaſtro adhaeſivo juncturae firmentur, atque ſic pro plerisque operationibus pharmaceuticis ſufficiens apparatus Woulffianus pharmacopoeo erit, qualis exiguo conſtabit pretio. Luti indolem debere ſequi indolem humorum colligendorum, neminem latet. Quod ſi autem medicamenta minori tantum copia paranda ſint, quae utiliter adhibito apparatu Woulf-

fiano poſſe parari monuimus, poterunt etiam cum aliquo quidem, verum haud magni momenti, ſi caute chemicus proceſſerit, dispendio confici, ſi retortae excipulum apponat ſolito majus, lutumque ad commiſſuram firmandam appoſitum, tenui foramine, pro lubitu claudendo, perforet, vel etiam, ſi excipulo utatur ſolito, ad ſupremam in bulbo partem foramine pertuſo, per quod tubus vitreus in ſiphonis formam inflexus altera extremitate tranſeat, dum altera ad lagenam ſingularem ducat, pro re nata claudendam, vel aperiundam.

Quae tandem ad ipſam operis diviſionem pertinent, ea ex conſpectu praemiſſo et contextu ipſo facile apparent.

Sectio prima, materiem pharmaceuticam complectens, cuncta recenſet corpora, ſive naturalia, ſive arte parata, quae aliunde accipit pharmacopoeus. Unicuique corpori talem adjecimus deſcriptionem, qualis ſufficere viſa fuit, ut in officinis praeſentia corpora genuina agnoſcantur, et ab adulteratis diſtinguantur. Paſſim, ubi opus, ipſa illa cor-

pora indicavimus, quibuscum uſitata, vulgo dicta uſualia, praeſertim confunduntur.

Sectio ſecunda corpora chemica, encheireſi a pharmacopoeo paranda, exhibet. Huc relatae ſunt operationes, non tantum, quae vulgo in Pharmacopoeis Chemicae dicuntur et a Galenicis diſtingui ſolent, verum etiam multae ex his poſtremis. Hoc nemo nobis vitio vertet, cogitans, non minus ſolutionem vegetabilem, extractum, ſyrupum, aut ſingularis principii vegetabilis, vel animalis ſeparationem ad operationes chemicas pertinere, hoc eſt, poſitam eſſe in certa affinitatis lege principiorum horum corporum ad ſe invicem et ad principia eorum, quae ad eorundem confectionem adhibentur, quam praeparationes illas, quae olim unice praeparationum chemicarum titulo venire ſolebant. Ceterum diviſionem hîc inſtituimus chemicae disciplinae ita innitentem, ut, nisi fallamur, ipſa pharmacopoeis potiſſimum tyronibus viam monſtret ad notitiam illius chemicae disciplinae theoriae partem, qua pharmacopoei ſcientia nititur. In paucis, nonnihil a rigore ſyſtematico, ſi receſſerimus, id unice eſt factum, ut

perſpicuitati conſuleremus, et ne penitus a ſe invicem ſepararentur, quae proxime natura juncta ſunt.

Sectio tertia medicamenta compoſita complectitur, quae nulla habita ratione efficaciae chemicae principiorum fiunt. Hoc loco ergo reliqua ita dicta Galenica praeparata recenſentur, quorum uſus conſuetudine, opinione, vel auctoritate omnibus fere innotuit.

Illud tandem dicendum reſtat, nobis, quam primum hunc laborem ſuſcepimus, illud fuiſſe propoſitum, ut Pharmacopoeam Batavam emendaremus, et, quantum fieri poſſet, ad ſummam perfectionem perduceremus; quare omnes et ſingulos artis chemicae et pharmaceuticae cultores, praeſertim in patria noſtra rogatos volumus, ut nobiscum communicent, quaecunque ad commune rei pharmaceuticae commodum adjuvandum et amplificandum facere videantur.

Scripſimus menſe Decembri Anni MDCCCII. et menſe Majo Anni MDCCCV.

SEBALDUS JUSTINUS BRUGMANS,
M. D. Medicinae, Chemiae, Botanices et Hiſt. Nat. in Academia Lugduno-Batava Profeſſor Ordinarius.

PETRUS DRIESSEN, *M. D. Medicinae, Chemiae, Mater. Med. et Hiſt. Natural. Prof. Ordinarius in Academia Groningana.*

GERARDUS VROLIK, *M. D. Botan. Anat. Phyſiol. et Art. Obſtetr. Prof. in Athenaeo Illuſtri Amſtelodamenſi, item Art. Obſtetr. Prof. in Noſocom. Clinico.*

JOHANNES RUDOLPHUS DEIMAN, *M. D. Amſtelodamenſis.*

PROOEMIUM. [a])

I. PONDERUM, CUM USITATORUM IN OFFICINIS NOSTRIS, TUM NOVORUM, IN GALLIA PRAESERTIM ADHIBITORUM, RATIO.

Pondera in officinis nostris usitata.

Libra medica nostra respondet tribus quartis partibus librae Tricassinae Batavae

Libra valet *Uncias duodecim.*
Uncia — *Drachmas octo.*
Drachma — *Scrupulos tres.*
Scrupulus — *Grana viginti.*

Pondera nova.

Gramma Ponduſculum est, quod pro unitate habetur. In pyxide

a) *Conspectum rerum, qui in protypo prooemium antecedit, atque plura folia percurrit, omisi, cum ordo, quo remedia ponuntur, ipso in textu satis eluceat. Not. edit.*

autem, quae pondera, usibus dicata, continet, adest massa una *quinque Grammatum;* alia *duorum Grammatum:* tres vero, quae singulae *Gramma unum* valent. Harum ergo massarum ope pondera constituuntur 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 et 10 *Grammatum.*

Deinde *Grammatis* multipla sunt:

Deca-gramma, seu pondus *decem Grammatum.* In memorata pyxide adsunt massae, una *quinque Decâ-grammatum,* alia *duorum Deca-grammatum,* duae, quae singulae valent *unum Deca-gramma,* ita ut harum massarum ope pondera constituantur 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Deca-grammatum,* id est, 10, 20, 30, 40, 50, 60, 70, 80, 90 *Grammatum.*

Hecato-gramma, vel per syncopen *Hecto-gramma,* id est, pondus *centum Grammatum.* In pyxide invenitur massa una *quinque Hecto-grammatum;* alia *duorum Hecto-grammatum,* et duae, quae singulae *Hecto-*

gramma unum valent. Harum itaque massarum ope, facile est, pondera constituere, quae valeant 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Hecto-grammata*, id est, 100, 200, 300, 400, 509, 600, 700, 800, 900 *Grammatà*.

Chilio-gramma, vel per syncopen, *Kilo-gramma*, pondus est *mille Grammatum*. Hoc e summa omnium ponderum, in pyxide contentorum, ad *Gramma* usque, conficitur; aut seorsum habetur. In medicamentorum praescriptionibus nullius usus est, cum 32 uncias superet.

Submultipla *Grammatis* sunt:

Deci-gramma, seu *decima grammatis pars*. In pyxide massulae adsunt, quarum una *quinque*, altera *duo* valet *Deci-grammata*, duae vero valent singulae *Deci-gramma unum*. Pondera ergo constitui possunt 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Deci-grammatum*.

Centi-gramma, seu *centesima Grammatis pars*. In pyxide adsunt massulae, una *quinque*, altera *duorum Centi-*

grammatum, et duae, quae singulae *Centi-gramma* unum valent. Constitui proinde possunt pondera 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Centi-grammatum.*

Milli-gramma, seu *millesima Grammatis pars.* Haec ponduscula in re pharmaceutica inutilia sunt. Sunt enim adeo minuta, ut quinque *Milli-grammata* nequidem decimam *grani* partem valeant. Bilances praeterea, in officinis haberi solitae, ponduculis adeo minutis vix moveri possent.

Sunt, qui *haec signa* ad indicanda haec pondera proposuerunt:



Ponderum nostrorum et novorum ratio.

Quaenam sit ponderum ratio, hucusque in Belgio adhibitorum, ad nova, in Gallia praeser-

tim usitata, Tabula prima indicat, cum *exactissime*, tùm *proxime*, et quantum in praescriptionibus sufficit: in quibus, vitandorum errorum et facilitatis gratia, fractiones ne adhibeantur.

Littera γ *Gramma* indicat. Numerorum notae, quae punctum (.) sequuntur, *Grammatis* partes indicant *millesimas*, si tres adsunt; *centesimas*, si duae; *decimas*, si unica adest.

Exempla.

Grana sex valent *exacte* 0 γ. 385; hoc est, 385 *partes millesimas Grammatis*, seu 385 *Milli-grammata*, id est *Deci-grammata* 3; *Centi-grammata* 8; *Milli-grammata* 5; *proxime* valent eadem 0 γ. 38, seu ⏀ 38, id est, 38 *partes centesimas Grammatis*, vel 38 *Centi-grammata.*

Scrupuli duo valent *exacte* 2 γ. 56; hoc est 2 *Grammata* et 56 *partes Centesimas*, seu *Centi-grammata; proxime* aequant 2 γ. 6, id est 2 *Grammata* et 6 *partes decimas*, vel *Deci-grammata* seu ⏀ 26; hoc est 26 *Deci-grammata.*

Drachmae tres valent *exacte* 11 γ. 54: hoc est 11 *Grammata* et 54 *partes centesimas*, vel *Centi-grammata; proxime* vero ϕ 12, seu 12 *Grammata.*

Unciae octo exacte 246 γ. 08, id est, 246 *Grammata* et 8 *partes centesimas*, seu *Centi-grammata; proxime* vero ϕ 246, seu *Grammata* 246. *)

*) Censui ponderum a scriptoribus pharmacopoeae Batavae dato adjiciendum puto id, quod sequitur de mensuris omnis generis.

I. *Mensura longitudinis.*

Millimetrum valet lineas Parisienses 0,44 vel Rhenanas duodecimales 0,45.

Centimetrum valet lineas Parisienses 4,43 Rhenanas 4,58.

Metrum valet pedes Parisienses tres et lineas 11,44 vel pedes Rhenanos duodecimales tres, pollices duos et lineas 2,96.

II. *Mensura capacitatis.*

Centimetrum cubicum valet lineas cubicas Parisienses 87,19 vel Rhenanas 96,67.

Centimetra viginti aequant pollicem cubicum Parisiensem et lineas cubicas 15,97 vel pollicem Rhenanum et lineas 205,58.

Decimetrum cubicum valet pollices cubicos parisienses 50 et lineas 708,76, Rhenanos pollices autem 55 et lineas 1639,73.

Decimetra quadraginta aequant pedem cubicum Parisiensem unum, pollices 290, et lineas 846,58, Rhenanum autem unum, pollices 509 et lineas 1653,44.

Wine pinte j continet unc. XVj.

Galon gallicus — wine pinte Vjjj.

Pinte gallica — unc. XXXjj vel 0,95120 litres.

Congius gallicus — libr. Vjjj medicin.

Setier j continet poll. cubic. Paris. 24 vel 0,4756 litres.

Chopine j continet unc. XVj.

Litre una fere aequat pinte gallicam.

Cantharus suecicus (schwedische Kanne) continet unc. LXXXVjjj.

Cantharus saxonicus (sächsische Kanne) continet nössel jj.

Mensura Berolinensis continet unc. XXXVj vel 1,17 litres.

Nössel j *Lipsiensis* aequat 0,600446o1 litres.

Nössel j *Dresdensis* aequat 0,467674412 litres.

Ort. j continet unc. Vjjj.

Seidel j continet unc. XVj.

Mensuris, quae sequuntur, ob spatii varietatem non temere fidendum erit.

Fasciculus j aequatur unc. j.

Manipulus j — unc. β.

Pugillus j — dr. β.

Vasculum pro thea cum decoctis infusis et emulsionis continet fere unc. jjj-jV.

Scyphus pro vino continet unc. jβ.

Cochl. magnum cum aqua continet fere unc. β.

Idem cum spirituosis continet dr. jj-jjj.

Sex cochlearia parva mediocri capacitate aequant cochlear magnum unum.

Cochlear tale parvum cum pulvere levi ut: magnesia, aequat scr. β-j.

Idem cum pulvere ponderosiori e. g. sulphure — dr. β-scr. jj.

Cochlear parvum cum oxydo metallico aequat dr. j-scr. jV.

Idem cum spirituosis — scr. j-dr. β.

— — aquosis — dr. β-scr. jj.

— — syrupo et tinct. scr. jj-dr. jj.

— — elect. pro varietate particularum, quibus constant dr. j-dr. jj.

Cochleari parvo clypeola metallica pro digitis, minoris diversitatis causa, praeferenda esse puto.

Gutt. 60-70 aquae font.
— 60-70 bals. copaiv.
— 60-80 aquae dest.
— 90-110 tinct. opii
— 60-80 acid. miner. dilut.
— 100-120 liqu. ammon.
— 120-140 spirit. sulph. aeth.
— 140-180 tincturam
— 140-180 aether.

} aequant dr. j.

Differunt guttulae praeter pondus specificum pro fluidi calore et colli lagenulae differentia.

III. Pondera.

Ex recentissimo pondere gallico correspondent Kilogramma j cum libr. med. jj.

subsiderit, de liquidi densitate judicium est ferendum. — Hoc ut legitime fiat, oportet primo ut sint Hygrometra inter se comparabilia, id est, ut omnia atque singula, cujuscunque sint molis et ubicunque fuerint confecta, eandem fluidorum densitatem denotent, si, in his demersa, eundem in collo gradum indicent: secundo ut ex ipso hoc gradu explorandi fluidi densitas, ratione termini comparationis, qui adhibetur, *aquae* scilicet *depuratae*, seu *destillatae* elici possit: tertio ut, si Hygrometra varia diversis scalis sint instructa, hae inter se comparari queant.

His conditionibus Hygrometrum satisfaciens nostrum erit *pharmaceuticum*.

Quid observandum sit, ut haec instrumenta primae et tertiae conditioni satisfaciant, a Physicis fuit notatum, nec hujus est loci, indicare. Ut satisfaciant secundae, tabula *ponderum specificorum*, vel *densitatum*, quibus singuli scalae *gradus* respondeant, computetur.

Quis fuerit *graduum* in *collo* notatorum numerus, aut quae eorum altitudo, non refert: oportet tantum, ut in omnibus Hygrometris, quae eadem scala instructa sunt, sit cujusque *gradus* volumen ad volumen *bulbi*, usque ad initium *Scalae* (vulgo *nul*, *zero*) se extendentis, in ratione constanti. — Cum autem de volumine graduum in scala notatorum judicium feratur ex ipsorum altitudine, requiritur omnino,

ut Hygrometri collum sit accurate cylindricum, et ut Hygrometrum ipsum ad perpendiculum fluidis innatet. Si hae conditiones, quarum prima adeo est difficilis, ut vix ac ne vix quidem, stricto sensu, in vitreis instrumentis locum habeat, deficiant, Hygrometrum est imperfectum. — Ante omnia ergo curandum, ut Hygrometri collum ex tubo vitreo sit, quantum fieri possit, per totam longitudinem ejusdem diametri. Dein bulbo constet duplici, majori superiore, minori inferiore, cui hydrargyrum immittatur ad servandum in liquore aequilibrium, juxta *Fig.* 1, 2 et 3 in *Tab. sec.* Accurate magis ad perpendiculum erigitur collum, si hydrargyro, quam si firmo ponduſculo, ex plumbeis v. gr. granis, bulbus oneretur.

Porro sua cuique Hygrometro paretur scala, paretur accurate ad constantem normam: hoc enim nisi fiat, non erit comparationi cum aliis Hygrometris aptum, et hinc vix alicujus utilitatis.

Celeberrimo Parisiensi chemico BAUMÉ, quem in conficiendo nostro instrumento usuali proxime sequendum esse censuimus, laus debetur, quod primus rationem proposuerit inveniendi duo, ubivis ac facile notanda, puncta, *fixa* dicta, a quibus constitutis certa divisionis norma pro universa scala proficiscitur. — Primum punctum

habetur ex altitudine, ad quam Hygrometrum in *aqua depurata* subsidit, alterum ex altitudine, ad quam in *aqua*, certa lege, *salsa* haeret, ut videre est apud BAUMÉ *Eléments de Pharmacie, pag.* 343 *edit. sept.*

Principia, ad quae *scala* ejusmodi *comparabilis* fieri debet, haec sunt: prima nota, quam aqua depurata ostendit, o (*nul*) indicanda est, et intervallum inter illam et notam secundam, quam aqua salsa monstrat, debet dividi in decem partes aequales, ut numerus decimus huic secundae respondeat; quo facto, unaquaeque divisionis pars *unum* gradum designat. Similis ad eandem mensuram fit universae tubi longitudinis, cum sursum, tum deorsum partitio; quo facto, eadem semper graduum ad instrumenti bulbum est ratio, seu scala habetur Hygrometro comparabili inserviens.

Posita nota o, beneficio aquae depuratae notata ad scalae medium, vel saltem ad debitum a colli Hygrometri utroque extremo intervallum, inservient gradus, supra o adscripti, ad determinandam gravitatem specificam liquidorum, aqua specifice leviorum; deorsum vero notati, ad dijudicandam hanc gravitatem pro liquidis, aqua densioribus. Patet ergo, posse unum idemque instrumentum, modo scala satis ampla, hoc est, longo satis collo cylindrico instruatur Hygro-

metrum, cum ad mensuram gravitatis specificae ineundam liquorum, aqua leviorum, tum eorum, qui aquam gravitate superant, inservire, ut est in *Figura prima.* Verum enimvero sic illa insignis colli Hygrometri longitudo est necessaria, quae haud unam in usu vulgari molestiam creat; unde longe satius est, scalam Hygrometri dividere in duas partes, quarum prima inde a nota o incipit, vel, quod consultius duximus, ut infra patebit, a numero 10 infra o; altera ad o desinit, ut duo formentur Hygrometra. Primum (*Fig.* 2), primam scalae partem ferens, inserviet ad liquores explorandos, aqua leviores, alterum (*Fig.* 3), alteram ejusdem scalae partem continens, faciet ad eos distinguendos, qui aqua sunt graviores.

Ut ergo, positis, quas ante indicavimus, boni Hygrometri conditionibus, scala *comparabilis*, quae vulgo dicitur, conficiatur, ad utrumque Hygrometrum in usus pharmaceuticos constituatur, sequentes observandae leges sunt.

1. Praesto sit aqua, recens depurata per destillationem, vel quae saltem lagena clausa fuit servata.

2. Paretur aqua salsa, ea ratione, ut una pars muriatis sodae siccissimi et depurati, seu salis culinaris, ab aquae depuratae (1) partibus

novem, pondere ad bilancem determinato, vase clauso, ne quid avolet, cauta manu solvatur.

Habebunt hi duo liquores sub eadem caloris temperatura eandem semper densitatem, et poterunt ubivis facile parari.

3. Sumantur duo vasa vitrea, quorum alterum aqua depurata (1), alterum aqua salsa (2) impleatur, ac per integrum experimenti decursum idem caloris gradus servetur, qui gradui 56 ad 60 in Thermometro Fahrenheitiano respondeat.

4. Hygrometrum primum, quod debet inservire ad liquores explorandos, aqua leviores, collo nondum clauso, in quod chartacea fascia, ad scalae gradus recipiendos destinata, antea inmittatur, in vas, aquam salsam continens, demerge, ut inferior tubi regio supra bulbum liquidi superficiei respondeat, et nota in tubo seu collo Hygrometri hunc locum; dein idem Hygrometrum demerge in vas, aquam depuratam continens, et similiter nota in collo locum, ad quem descendit. — Cave ne instrumento, ex altero in alterum liquidum transferendo, aliquid de salis solutione adhaereat.

5. Hygrometrum alterum, quod faciat ad examen liquidorum ponderosiorum, aperto collo et

chartaceam fasciam, ut ante, ferente, mox in aquam depuratam demitte, ea ratione, ut prae majori pondere, bulbo immisso, ad exiguum a tubi superiori extremo intervallum aequilibrium in aqua servet; nota, ut ante, in collo hunc etiam locum: porro instrumentum debita sub cautela in aquam committe salsam (2) et nota rursus punctum, ad quod adscendit tubus atque subsistit.

6. Intervallum in utroque Hygrometro, duobus memoratis punctis (4. 5.) definitum, ope circini transfer in chartaceam fasciam, scalae recipiendae destinatam: divide hoc intervallum in decem partes aequales, quae singulae unum gradum conficient. In scala hygrometri, liquoribus aqua levioribus explorandis apti, gradus appone a nota o, seu aquae purae puncto, sursum ad quinquagesimum usque, deorsum versus ad decimum. In scala vero Hygrometri, fluidis gravioribus parandi, gradus a nota o, seu puncto supremo, deorsum versus protende usque ad septuagesimum quintum.

7. Convolve chartam, in qua jam scala appositis numeris o, 5, 10, 15 etc. delineata est, eamque interiori parti colli in utroque Hygrometro applica, ita ut in utroque initium scalae, seu o respondeat illi notae, ad quam in aqua depurata descendit Hygrometrum; decimus vero

infra o gradus notae, ad quam subsidit in aqua salsa.

8. Tandem claude, vel, ut loquuntur, *hermetice* sigilla Hygrometrorum colla. Ita ad usum pharmaceuticum egregie comparabilia erunt constituta, quae quovis tempore, sintne legitime parata, poterit quoque dijudicari, modo alterna vice in aquam depuratam (1) et salsam (2) demittantur.

Cum Bauméanis nostra Hygrometra pharmaceutica facile possunt comparari, ut ex tabula secunda patet. Ab illis tantum differunt primo, quod scala nostra prior per decem gradus infra o descendat, qui ergo conveniunt cum decem primis gradibus Hygrometri Bauméani, pro salibus destinati; verum etiam secundo, quod o, seu scalae nostrae initium respondeat notae, ad quam per aquam depuratam haec subsidit, cui in Bauméano, liquoribus aqua levioribus explorandis apto, numerus decimus respondet, ita ut numeri, ab Hygrometro nostro indicati, semper decem unitatibus minores sint illis, quos Hygrometrum Bauméanum indicat. Praecipua autem caussa, quae nos ad scalam ita constituendam impulit, est, quod ubivis aquae densitas pro unitate assumi soleat. Praeterea sic ambo Hygrometra, alterum scilicet pro liquoribus levioribus, et alterum pro gravioribus, inter se

conveniunt; et in priore decem illi gradus, qui infra o adsunt, eidem usui inserviunt, ac decem priores Hygrometri posterioris.

Magis a nostris Hygrometris recedunt ea, quae *Clarissimi Inspectores Collegii Medici Amstelaedamensis* in usum *Pharmacopoeae novae Amstelaedamensis* Anno 1792 proposuerunt, et conficienda curaverunt.

Haec non tantum non faciunt ad examen liquorum, aquam pondere superantium, verum etiam in scalis puncta duo fixa, omnino necessaria, non habent. Incommodum hinc natum levamen, fatemur, habuit, quod ab uno artifice, sub *Collegii Amstelaedamensis* approbatione, omnia confici debuerint a Pharmacopoeis adhibenda Hygrometra; at vero, cum simile quid minus congruenter pro universa Republica Batava possit fieri, atque insuper praestet, ut ubique a quovis artifice Hygrometra pharmaceutica fiant, eaque certa lege dijudicentur, atque sic experimento facili, non sola auctoritate de instrumenti ejusmodi ratione possit constare, nostram scalarum instituendarum normam proponendam esse, consultum duximus.

In tabula tamen adjecta juxta comparationem nostra Hygrometra inter atque Bauméana, comparationem pariter adposuimus cum Hygrome-

tro Amstelaedamensi, ut illis posset inprimis inservire, quibus hoc instrumentum jam antea in usu fuerit. Hanc autem comparationem deduximus ex experimentis, quae cum Hygrometris Bauméanis et Amstelaedamensibus instituimus.

Usus hujus tabulae praesertim sequens est:

1. Dato gradu, ad quem Hygrometrum nostrum per liquorem subsidit, indicat adscriptus numerus, quale sit illius *pondus specificum*, habita ratione ad aquam depuratam.

2. Si liquoris *pondus specificum* cognitum sit, respondens huic ponderi gradus mensuram immersionis, seu gradum Hygrometri ostendit.

3. Cognito gradu in Hygrometro pharmaceutico, respondens illi gradus in Hygrometris Amstelaedamensi et Bauméano facile invenitur, notando gradum, qui adscriptae densitati proxime convenit. Sit liquor v. gr. graduum 25 juxta Hygrometrum pharmaceuticum, et quaeratur de gradibus respondentibus in Amstelaedamensi et Bauméano. Invenitur juxta gradum 25 in columna prima densitas = 852. Huic numero in columna secunda respondet locus medius inter gradum 28 et 29, seu $28\frac{1}{2}$; in columna vero tertia respondet gradus 35. Ergo si in liquore Hygrometrum pharmaceuticum nostrum subsidit ad

gradum 25, subsidet Amstelaedamense ad gradum 28½ et Bauméanum ad 35.

4. Vice versa, cognito gradu, quem Amstelaedamense, aut Bauméanum monstrat, eodem modo invenitur respondens gradus in Hygrometro nostro. Quaeratur v. gr. respondens gradus in Hygrometro nostro gradui 34 in Hygrometro Amstelaedamensi. Invenitur densitas gradui 34 Amstelaedamensi adscripta = 829. Jam vero huic densitati 829 vel 828 respondet Hygrometri nostri gradus 30, id est, gradus 34 in Hygrometro Amstelaedamensi eandem densitatem monstrat, ac gr. 30 in Hygrometro nostro, et 40 in Hygrometro Bauméano. *a)*

III. REAGENTIA PRAECIPUA, IN OFFICINIS PARANDA.

Pro detegendis salibus alcalinis.

1. Infusa florum coeruleorum, speciatim florum violae.
2. Charta flava, curcumae infuso tincta.
3. Charta rubra, infuso ligni fernambuci colorata.
4. Murias hydrargyri, aqua depurata solutum.

---

a) Non silentio praetermittendum esse puto araeometrum Trallesii in: Gilberts Annalen der Physik T. XXX p. 384 et in: Hermbstädt Bulletin T. II. p. 143 descriptum, simplicitate fabricae et constantia quidem probari, ast eadem ex causa ut pag. XLVII. commemoratum est pro pharmacopola batavo incommodius esse in pondere cito eruendo,

Pro acidis liberis.

5. Infusum succi *Lakmoes* et florum coeruleorum, inprimis violae.
6. Charta infuso succi *Lakmoes* tincta.
7. Carbonas potassae, solutum aqua depurata.

Pro acidis singulis, liberis et ligatis.

8. Murias barytae. } pro acido sulphurico libero et ligato.
9. Nitras barytae. }
10. Nitras argenti. } pro acido muriatico libero et ligato.
11. Nitras plumbi. }
12. Acidum nitricum purissimum, ut acidum phosphoricum et tartarosum a sulphurico in compositis salinis terrestribus et metallicis praecipitatis dignoscantur.
13. Aqua calcis, pro gas acido carbonico, praesertim in aquis fontanis.

Pro salibus terrestribus et metallicis, praesertim in examine aquarum.

14. Solutio saponis albi in alcohole, pari aquae destillatae quantitate diluta.
15. Potassa pura liquida, et 7.
16. Oxalas potassae et acidum oxalicum, pro calce.

Pro gas oxygenio aëris atmosphaerici, aquae immisti.

17. Sulphas ferri, seu sal martis, recens paratum, aqua depurata solutum.

Pro gas hydrogenio sulphurato, seu hepatico.

10.

Pro adstringente principio vegetabili.

17. Sed vetustum aqua depurata solutum.

Pro extractivo et mucilaginoso plantarum principio.

18. Nitras hydrargyri solutum.

Pro ferro.

19. Tinctura gallarum.
20. Prussias potassae solutum.

Pro plumbo, arsenico aliisque metallis.

21. Aqua hydro-sulphurata, vulgo, hepatica dicta. Usui vero quotidiano ad plumbum detegendum inservire poterit
22. Aqua hydro-sulphurata acidula, vulgo, liquor probatorius HAHNEMANNI.

Pro cupro.	23. Ammonia liquida.
Pro arsenico.	24. Praeter aquam hydro - sulphuratam, oxydi cupri in ammonia liquida solutio saturata.
Pro salibus neutris et mediis examinandis.	25. Alcohol vini generosissimus.

Epitome edicti, quo usus pharmacopoeae Batavae definitur a collegio regiminis belgico supremo (Staats-Bewind) promulgati die 25 *Febr.* 1805. [a)]

Art. 1.

Ut finem habeat varietas formularum, quae ex diversis pharmacopoeis in hac republica usitatis depromebantur, ut tota earum compositio, quae in nostra patria occurrit, ad perfectum magis magisque perducatur, et pharmacopolae lege adstringantur ad exquisitam praeparationem medicaminum, recipiatur in tota republica pharmacopoea Batava, jussu collegii, cui exsecutio legum fuerat demandata, conscripta a civibus *S. J. Brugmans*, *P. Driessen*, *G. Vrolik*, *J. R. Deimann*, *et G. G. ten Haaf.*

---

a) *Metaphrasin latinam edicti, quo pharmacopoea Batava promulgata fuit, ex idiomate belgico, lectoribus acceptam fore, mihi persuadeo, cum praecepta in omni republica rite constituta legibus sancienda illi insint.*

ART. 2.

Ne ad irritum redigatur consilium collegii regiminis supremi, imprimatur et edatur haec pharmacopoea, nec liceat translationem in linguam Batavam vel aliam imprimere, edere et distribuere, nisi prodeat cum consensu collegii regiminis supremi, sub poena fl. 500 et publicationis omnium exemplorum, quae reperiuntur apud typographum, editorem et distributorem.

ART. 3.

Omnes pharmacopolae, sicuti omnes doctores medicinae et chirurgi, qui officinas pharmaceuticas in aedibus habent, aut formulas medicinales componunt, tenentur poena fl. 100, ut officinas juxta praecepta pharmacopoeae Batavae constituant.

ART. 4.

Porro medicamina tam antiquatis, quam novis nominibus, quae eis in pharmacopoea commemorata imponuntur, indicanda sunt in lagenis, pyxidibus et capsulis etc. sub poena flor. unius pro qualibet lagena, pyxide et capsula, cui tempore explorationis officinarum novum nomen non est inscriptum.

ART. 5.

Omnes pharmacopolae, atque illi, qui tabernam pharmaceuticam in aedibus suis dirigunt, cum domicilium habeant in urbe, in qua colle-

gium sanitatis sub quocunque titulo institutum est, obligatione devinciuntur, omnia medicamina in pharmacopoea Batava indicata ad manus habendi, sub poena trium flor. pro quolibet, quod deesse apparet, veluti pharmacopolae, medicinae doctores et chirurgi, qui rure et in oppidis, ubi nullum collegium medicum munere fungitur, officinis praesunt, in promtu habeant, sub pari poena pro quovis remedio quo carent, omnia medicamina, quae in eadem pharmacopoea signo † distinguuntur, atque diversis litteris imprimuntur, quibus ducantur aeque collegia sanitatis in eis condemnandis, qui legem neglexerunt.

ART. 6.

Sint remedia simplicia ita constituta, quemadmodum in pharmacopoea Batava requiruntur, atque componantur inprimis ad praecepta in ea conscripta. Poena solvatur sex floren. pro quovis medicamento, quod corruptum occurrit, aut adulteratum, nec ad legem in pharmacopoea praescriptam praeparatum. Si quis autem, licet pluries poenas luerit, audeat perseverare in tenendis et dispensandis medicamentis vitiosis, adulteratis nec legitime praeparatis, vel aliis quam quae in sequenti articulo excipiuntur, claudatur officina per sex septimanas, quarum spatio nec ullum remedium ex ea emittatur, aut in ea pro aegris componatur, sub poena 500 fl. si nihilominus tempore castigationis medicamina ex of-

ficina distribuuntur, divenduntur, aut quavis ratione dispensantur. Quod si demum possessor officinae, commercio in ea restituta, denuo habeat, divendat et paret medicamina depravata, adulterata et illegitime confecta, non solum mulctetur flor. 500, sed insuper illi interdicatur, ne in posterum pharmaciam in republica exerceat, sub comminatione violationem sententiae vigorosius mulctatum iri, immo pro re nata illum e patria esse ejiciendum.

ART. 7.

Nihilo secius, nec tamen aliter quam si ab hoc et illo medico litteris exposcitur, et solummodo pro usu aegrorum ea expetentium fit, distribuere licet alia medicamina et dissimiliter parata, atque in pharmacopoea Batava prostant.

ART. 8.

Omnis pharmacopola, aut qui instruxerit tabernam pharmaceuticam in aedibus suis, praeter pondera et mensuras, rite comparata habeat araeometrum vel hygrometrum, sub poena decem floren. Ut autem differentia inter haec instrumenta removeatur, adsint in quolibet collegio sanitatis unum aut plura, ad quae exigi possunt cetera hygrometra, quibus pharmacopolae utuntur huic collegio subjecti.

ART. 9.

Ut scrupulose invigiletur exsecutioni hujus edicti, tenentur omnia collegia sanitatis, aut illi,

quibus cura commissa est rei pharmaceuticae rure et in urbibus dirigendae, ut omnes officinas pharmacopolarum, medicinae doctorum et chirurgorum, in quibus medicamina divenduntur, aut formulae medicinales conficiuntur, pariterque cellas, loculos et laboratoria earum semel aut pluries quotannis tempore incerto et improviso explorent, atque totum quidem penum pharmaceuticum, inprimis autem gravissima remedia perconctentur, et quae vitiosa aut adulterata reperiuntur, quando necessitas incidit, sigillo tecta secum sumant.

ART. 10.

Nullus, qui possidet tabernam pharmaceuticam, hanc explorationem recusare debet, nec sub ullo praetextu, poena proposita flor. 200, nec obligatione cessante, admittendi alio die inquisitores.

ART. 11.

Cognitiones et investigationes supra memoratae solis collegiis sanitatis competant, sine concursu, nisi quaestio sit de officina claudenda, de interdicto ferendo, aut culpato ejiciendo; ea enim ventilata collegia ista obligatione tenentur, ut judicio accusati rem deferant, eique subjiciant argumenta, quibus opus est, ad actionem instituendam. Judicis autem est, maleficii reo litem intendere sine indulgentia et tergiversatione, quae autem dirimi nullo

modo potest, collegio isto inscio aut contradicente, sub poena punitionis arbitrariae.

ART. 12.

Mulctae ante memoratae, quae a judicibus decernuntur, adhibeantur in usum pauperum loco, ubi mulctatus domicilium habet, et una tertia pars expensarum addicitur judicio, altera tertia magistratui, a quo reus dependet, et reliqua pauperibus loci.

Quod belgica translatio edatur de hac pharmacopoea Batava, a procuratoribus, qui archetypum conscripserunt, conficienda, ut dein in forma octava media in publicum prodeat. *a*)

Quod medicamina, quae in pharmacopoea Batava † insigniuntur, in tribus editionibus litteris cursivis inprimantur.

---

a) Mihi de utilitate hujus versionis nullo modo persuasum habeo, quia tyronum pharmaceuticorum taedium erga linguam latinam jam satis frequens ea sine dubio magis fovetur, etsi haec lingua nunquam non utilis haberi debeat pro pharmocopolis aeque ac medicis.

Explicatio figurarum tabulae aeneae quartae.

FIG. 1-8. *Apparatus Woulffianus expeditior.*

Quoniam durante destillatione acidi nitrici vapores elastici copiose protruduntur, qui tam lutum quam ipsa vasa perrumpunt, *Woulffeus* apparatum composuit artificiosum, quo periculosa eorum expansio in acido nitrico aliisque fluidis elasticis destillandis evitatur, ita ut dignus, qui in pharmacopoea recipiatur, sit habendus. Connectebat tubulum vitreum curvatum cum excipulo retortae vapores transmittente, et lagena, duobus ostiis praedita. Crus tubuli lagenam intrans usque ad fundum descendebat. Secundo lagenae ostio inhaerebat similis tubulus in cavitatem vasis non prominens, cujus alterum crus vel dicto modo in alteram lagenam transibat, vel in cupam pneumaticam vapores traducebat, nisi hoc ostium solo tubo capillari, quo aëri transitus conceditur, fuerit instructum. Vapores in

lagena collecti vel solo frigore condensantur, aut aqua, quam continet altitudine sex linearum. Etsi autem sat bene hac simplici methodo destillatio e corporibus, fluidi elastici rite condensandi et evocandi causa, institui queat, prohiberi tamen non potest, quominus vapores interdum variis de causis retrogrediantur. Evitatur autem hic motus retrogradus apparatu Woulfiano his figuris illustrato. Lagenae, e quibus componitur, sunt tribus ostiis, loco duorum, instructae, atque medium permeat tubulus, quem defensorium dicunt quique, aquam in lagena contingit, et vaporum recursum coercet. Vice hujus tubuli fungi etiam potest artificiosior a *Weltero* constructus, qui cum arcu quarto canalium curvorum conjunctus exhibetur, atque separatim fig. 8 obliquo situ delineatur. — a. b. c. d. e. designant retortam cum excipulo. — f. f. f. tres lagenas cum tribus collis, d. g. canales curvatos, h. g. aquam in inferiori lagenae parte, k. l. tubulum, qui medium lagenae ostium permeat, n. p. tubulum *Welteri* cum infundibulo a parte anteriori delineatum; a. b. c. d. e. f. g. h. cupam pneumaticam cum vase vitreo excipiente et tabula lignea, cui impositum est. Quoniam columna g. m. altior est columna h. g. vaporum recessus fieri nequit. Fig. 8 tubulus *Welteri* oblique exhibitus. Immittitur infundibulo p. aqua, ita ut medium globum a. attingat. Restituitur aequilibrium columnae aqueae, aëre

extus reagente, cum vaporibus attractis supra g. n. forsan sit expansa. Fig. 3 est campana vitrea cum epistomio; fig. 4 alia cum patera marginata, cui immittitur, postquam cupae excepta fuit fig. 5 alia gradibus distincta fig. 6 infundibulum commune epistomio ferreo conoideo strictius laxiusve obturandum, prout fluidum tardius permeare debeat aut celerius. Fig. 7 aliud hydrostaticum retortae applicatum.

FIG. 9-11. *Apparatus Noothianus.*

Apparatus Noothii aquae gase acidi carbonici impraegnandae potissimum inserviens, tribus vasis vitreis inter se conjunctis componitur, a. b. inferiori, a. c. medio et d. e. superiori. 1. Connectuntur vasa exacte, juncturis smyride bene exasperatis. 2. Res, e quibus gas educitur, vasi inferiori injiciuntur foramine i dein obturando, nec aperiendo, nisi eis suppetias adferre velimus, aut massa circumagi debeat. 3. Medium vas continet liquorem gase saturandum, superius vacuum restat. Gas transit valvulam f. g. atque propellit liquorem e medio vase in superius. Interstitio vacuo orto inter speculum liquoris et orificium vasis superioris liquor recedit. Evitatur nociva gasis coacervatio in vase superiori obturamento laxe intruso. Aqua rite gase imbuta evacuatur epistomio h.

Fig. 10 et 11 exhibet separatim valvulam inter a. b. et a. c. ingeniose adornatam. Occludunt

interstitium utriusque vasis duo cylindri vitrei perforati a. b. fig. 11 inter quos haeret lens vitreus, ita ut parte plana inferiorem cylindrum attingat. Lens mobilis nec autem rotationi expositus, transitum gasi concedit et recessum impedit segmento diametrali. f. g. fig. 10 delineat situm cylindrorum cum lente, inter vas inferius et medium.

SECTIO PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

Corpora ex Regno Fossili.

ACETIS CUPRI.

AERUGO DESTILLATA, seu CRYSTALLISATA.

Sit acido acetoso saturata, crystallisata, obscure viridis, tota aqua fervida solubilis. (*a*)

Nota 1. *Germ.* essigsaures Kupfer, Grünspancrystalle. *gall.* Acetite de cuivre. Oritur, cum viride aeris, vinaceis corrosum, aceto plenius oxydatur. Solvitur pars una aquae fervidae partibus quinque. Spiritus vini calefactus recipit 0,075. *Vis* emetica, corrodens. Superficies ventriculi ex parte eschara obducta fuit in homine, qui globulo cupri oxydulato et deglutito mortuus erat. (*Alibert*) *Usus* hodie potissimum externus, licet grana sex ad decem mensura lactis soluta ad venenum narcoticum ex ventriculo ejiciendum recenter commendata fuerint (*Scheffer*). Penecilli ope bis quotidie pannis oculorum solutionem dilutam illiniendam jubet *Bell.* Ulcera impura et vetusta saepius feliciter consolidat. Vid. nott. 543. 545 & 546.

(*a*) *Medicamenta, literis, quas vocant, Romanis scripta, in officinis minorum oppidorum et pagorum non requiruntur.*

† *ACETIS PLUMBI.*

SACCHARUM SATURNI.

Sal medius metallicus, ex plumbo, et acido acetoso conſtans, albus, subdiaphanus, acicularis, dulcis, adſtringens, aqua deſtillata totus solubilis.

Not. 2. *Germ.* Bleizucker, *gall.* sucre de saturne, *angl.* sugar of Lead, *ross.* СВИНЦОВЫЙ САХАРЪ *belg.* lootzuiker. Facile in aqua solvitur. *Vis.* Metallum, mitissimo acido dissolubile, plurimis animalibus praeter hominem ſtruit insidias, et ipsi ejus vapores damniferi fiunt. Plumbum nihilominus externe optimum sedamen, atque hac ex causa adhibitum perutile inprimis censendum est, omnique laude dignum. Varia praeparata autem saturnina non uno modo nocere possunt, sint ore assumta, aut cutis resorptioni temere exposita. Producunt continuato usu vix non semper intestinorum constrictionem cum dirissimis torminibus atque ventris obstipatione (colicam saturninam), quibus tenesmus adsociatur, post macies, artuum paralysis, multifariaque symptomatum nervosorum cohors, ut volvulus quasi hystericus et alia. *Usus* internus non plane repudiatur, sit autem moderatus et cautus. *Dosis* gr. $\frac{1}{4}$ — gr. j. aliquoties per diem potissimum in connubio opii in rebelli diarrhoea, haemorrhagiis, malo hyſterico atque phthisi pulmonali. Aqua soluta aut linimentis et emplastris admixta acetis plumbi in ophthalmiis atque inflammationibus aliis, nec non in ulceribus variis et blenorrhoeis optime conducit. *Aqua ophthalmica ex acetite plumbi.* R. Acetit. plumb. gr. XV. Aqu. rosar. unc. vj *Injectio ex acetite plumbi in gonorrhoea.* R. Acetit. plumbi gr. XIV. aqu. commun. dest. unc. Vjjj. (*Hunter*). *Extispicia* parum illustrarunt veneni saturnini vehementiam, qua nervi prae aliis aggravantur. Inteſtina pallida, flatibusque distenta apparuere (*Tronchin*), vasa interdum sanguine turgida, hinc inde maculis gangraenosis interspersis (*Lieutaud*). In nonnullis occurrerunt glandulae

mesenterii induratae, passim pus fundentes. *(Gmelin) Antidota plumbi.* Purgantia fortiora certe plus nocent, quam prosunt. Impuritates in tubum intestinalem inter spasticas constrictiones effusas emulsionem oleoso-mucilaginosam cum sulphate magnesiae et manna optime eliminare, et obstipatam alvum simul cum levamine solvere duobus in casibus ipse observavi, interpositis ob vehementes excruciatus opiatis et clysmatibus emollientibus. Et aquam hydro-sulphuratam ad vim metallicam deleteriam refringendam non parum facere mihi visum est. Sunt, qui scrupulo uno aluminis, omni quadrihorio dato, dolores mitigarunt, nec ex eo alvinam excretionem retardari testantur *(Grashuys).* Loco aquae hydrosulphuratae scr. j. — dr. ß sulphureti calcariae, cochleare aceti superbibito, omni trihorio dare licet. Praeterea balnea tepida sulphurea vel naturalia vel artificialia satis diu in usum vocata praeclare conveniunt. *Van den Bosch* dividit pulverem ex sulphureti calcariae scr. IV. gummi arabici dr. jj in decem partes aequales et dat omni bihorio unam cum vasculo decocti hordei, cujus unciis octo adduntur vini rhenani unc. jj et roob sambuci unc. j. Vesperi injicitur enema ex infuso chamomillae cum sale communi et oleo unguinoso, atque insomnia et dolore infestatis haustus permittitur ex syrup. papaver. albi et aqu. foeniculi ana unc. ß. Promtius agit opium purum. Curatio absolvitur tonicis amaris.

† *ACIDUM NITRICUM.*

SPIRITUS NITRI VULGARIS. AQUA FORTIS.

Acidum minerale ex nitrate potassae per sulphas ferri in officinis propriis, praesertim Amstelaedamensibus, separatum, coloris aquatici, odoris singularis, venale impurius: depuratum vide 2da *Sect. Acidum nitricum.*

Not. 3. *Germ.* Scheidewasser, *gall.* Eau forte, *angl.* simple aqua fortis, *belg.* Sterkwater. Adhaeret acido nitrico venali acidum muriaticum, ob impuritatem nitri,

ex quo evolvitur, et acidum sulphuricum. *Usus:* Externe ut exedens.

† *ACIDUM SULPHURICUM.*

ACIDUM VITRIOLICUM SEU OLEUM VITRIOLI.

Acidum fluidum, unctuosi habitus, cum aqua valde incalescens; fit pellucidum, nullum sedimentum ponat, gravitatis specificae 1,800 *ad* 2,000. *In* GERMANIA *ex sulphate ferri excussum, coloris plerumque obscurioris, odorem spirat sulphurosum, et nonnunquam ferro, vel cupro inquinatum est. Alibi paratum combustione ex sulphure oxydato; quale potissimum apud nos adhibetur, vulgo* ANGLICUM *dictum, priori debilius, sed magis limpidum, in aëre non fumans; rarius plumbi particeps est.*

Not. 4. *Germ.* Vitriolöl, *dan.* vitriol Olje, *suec.* Vitriol Olja, *gall.* Huile de vitriol, *belg.* vitriool oli, *angl.* Oil of vitriol. E centenario vitrioli goslariensis prolici solent olei librae decem. *Vis* caustica. *Usus.* Acido sulphurico depurato parando inservit. *Medicina veterinaria.* In lue bovina jam a veteribus mulomedicis commendatur, aqua dilutum. *(Oraeus).* Additur mens. X berolin. aquae unc. j olei vitrioli; *dosis* quater in die equis et bovibus mens. j ovibus mens. $\frac{1}{4}$.

ARGENTUM CUPELLATUM.

Metallum candidum, nitoris eximii, sonorum, ductile; cum acido nitrico det solutionem limpidam, ab addita ammonia colore coeruleo non tingendam.

Not. 5. *Germ.* abgetriebenes Silber, *gall.* Argent purifié par la coupellation, *angl.* Silver refined of the cuppel. Vi plumbi admixti ad summum unciae septem et dimidia atque septemdecim granula argenti ex octo unciis secernuntur. Hinc via humida exacta separatio tentata fuit, quae melius successit, ferro sulphurico scilicet, in aqua destillata cocto, solutioni nitratis argenti, quae aqua sufficienter antea diluitur, ne sulphas argenti, simul praecipitetur, adjecto. *(Richter).* *Usus.* Paratur ex argento cupellato nitras argenti fusum.

† *ARGENTUM FOLIATUM.*

Argentum purum, in laminas tenuissimas redactum. Si cum ammonia liquida digeratur, colorem non excitet coeruleum.

Not. 6. *Germ.* Blattsilber, *gall.* Argent en feuilles, *ital.* argento, *hisp.* Plata, *lusit.* Prata, *angl.* Leaf Silver, *belg.* bladzilver, *polon.* Srebro, *ross.* СЕРЕБРО, (Serebro) *dan.* Sölv. *suecic.* Silfver. Hae et sequentes lamellae metallicae ob adulterationem, quam frequenter cum cupro subeunt, facile ex officinis exulare possunt, cum solummodo pilulae ornamenti causa iis obducuntur.

AURUM FOLIATUM.

Aurum purum, in laminas tenuissimas redactum, solis acidis muriatico-oxygenato et nitro-muriatico solubile.

BISMUTHUM.

Metallum durum, fragile, nitens, texturae lamellaris, album, leviter rubescens, igne leni liquescens et acido nitrico cum effervescentia solubile.

Not. 7. *Germ.* Wismuth, *gall.* Étain gris, Bismuth, *angl.* Tinglass. Bismuth. Pondus specificum 9,670-9,822.

Reperitur in fodinis nativum, sulphure mineralisatum et oxydatum. Minera sulphurea Bismuthi dignoscitur a minera simili plumbi celeriori fusione posterioris, dum spirae cereae incensae admovetur. Minera Bismuthi arsenicalis exoritur fortuita mixtione amborum metallorum *(Fourcroy)*. Vid. not. 445.

BOLUS ARMENIA, seu RUBRA.

Argilla ex luteo-rubra, tactu pinguis et laevis, linguae adhaerens.

Not. 8. Superstes ex pluribus terris argillaceis, quibus olim officinae pharmaceuticae obruebantur, vix in eis necessaria habenda. *Vis* adstringens sine dubio a ferro oxydato, quod immiscetur, pendet.

† *BORAS SODAE ALCALINUM.*

BORAX.

Ex sale Indiae nativo, TINCAL *dicto, olim* VENETIIS, *hodie* AMSTELAEDAMI, *depuratione obtinetur. Crystalli sint columnares, majores, semipellucidae, nitentes, non coloratae, saporis initio parum dulcescentis, dein ad amarum vergentis, ac subacris alcalini. Cum acidis non effervescat, et solutum ab affuso lixivio potassae nullum praecipitatum demittat.*

Not. 9. Continet acidi boracici 34, natri 17 et aquae 47 partes. In India ex terris sevosis, quae acido boracico abundant, extractione et evaporatione elici verosimile est. Nominatur a Tibethanis pounxa, mypoun, houipoun. Aqua calore gr. 10 Th. R. solvit partes 12, fervida 6. *Vis:* mundificans. Partus dolores stimulare quidam volunt *(Stark)*. *Usus. Stark* commiscet pulveres ex borac., nitratis potassae, et carbonatis magnesiae ana scr. ß. et dari jubet omni semihora pulverem, doloribus ad partus diminutis, vel deficientibus, nec plethora nec

spasmis contrariis. *Externe*: Linctus ex mell. rosar. unc. j et borac. dr. j — dr. jj in aphthis infantum et aliis eximius.

CALX.

CALX VIVA.

Terra alba e lapidibus calcariis, vel testis conchyliorum forti ustione parata. Sit caustica, aquam valide bibat, cum hac vehémenter incalescat, ac in pulverem dilabatur, inque aëre libero fatiscat.

Not. 10. *Germ.* Lebendiger Kalk, *gall.* Chaux vive, *angl.* Quicklime. Aqua destillata solvit $\frac{1}{150}$. *Vis:* acris, exedens. *Usus:* Cum melle mixta in coxario morbo efficacissima fuit deprehensa *(Tissot)*. *Caelius Aurelianus* jam membra resoluta calce viva aspersa fricari jubet. *Plenck* pastam condepsuit ex partibus aequalibus saponis veneti et calcis vivae ad naevos maternos delendos. Vicinis partibus, quae naevum ambeunt, emplastro adhaesivo pro hujus circuitu perforato, rite munitis, pasta deformi cuti imponitur. Intra 12 horas naevus, potissimum tuberculosus, in escharam transformatur, quae, suppuratione accedente, protruditur.

† *CARBONAS CALCIS NATIVUM PULVERULENTUM.*

CRETA ALBA.

Terra alba, sicca, friabilis, tingens, aquam bibens. Sit albissima, levis, non arenosa, acido nitrico frigido facile solvenda.

Not. 11. *Germ.* Weisse Kreide, *dan.* Kride, *suec.* Kalabastraee, *gall.* Craie blanche, *angl.* white Chalk, *belg.* wite Kryt, *ital.* Creta, *hispan. & lusitan.* Greda, *ross.* МѢЛЬ (Mjel). Ob partes heterogeneas ei immix-

tas merito proscribitur, atque conchis postponenda. *Vis:* antacida. *Usus:* in soda. Londinenses *mixturam cretaceam* (olim Julepum e creta) componunt ex cretae praeparatae unc. j sacchari purificat. dr. Vj arabici gumm. in pulv. trit. unc. jj aquae dest. libr. jj.

CUPRUM.

VENUS.

Metallum ductile, nitens, rufum, aeruginem ex aëre et aqua contrahens, flamma viridi ardens.

Not. 12. *Germ.* Kupfer, *dan.* Kobber, *suec.* Koppar, *gall.* Cuivre, *angl.* Copper, *belg.* Koper, *ital.* Rame, *hisp.* Cobre, *lusit.* Cobre, *polon.* Miedz, *ross.* МѢДЬ (Mjed). Pondus cupri specificum 7,788. *Vis:* Quamvis negare nollem, quod cuprum per se in ventriculo non edat effectum, illius corrosionem plerumque in illo et intestinis insecuturam cum *Drouardo* non refutarem. Puerum egomet ipse observavi, qui, deglutita moneta cuprea, diu et misere vexabatur, doloribus colicis atque dejectione cruenta. Usum igitur limaturae cupri (pro dosi dr. ß) butyro illinito inspersae contra hydrophobiam rejiciendum esse censeo. *Usus:* Vasa ad varios usus domesticos destinata ex hoc metallo conformantur. Quod cum autem ipso aëre atmosphaerico satis cito oxydetur, omni cautione opus est, ne sanitati obsint. Mortui sunt plures, in instituto publico, ubi fila ducebant, cibo, in aheno cupreo cocto, venenati. Superficies aheni hinc inde colore viridi tincta inveniebatur *(Baumer)*. Stanno igitur, quo vasa cuprea obducuntur, oxydationem superficiei metalli atque taliter omnem noxam arcere adnitimur. Securiora evaderent indumentis, quae a quibusdam ex argento, ferro et platina proponuntur. *Lafolie*, physicus rothomagus, vasis culinaribus cupreis cocula ferrea cum zinco incrustata substituere tentavit. *Antidotum.* Oxydum aut sal cupri ingestum plerumque ex magna parte emesi re-

jicitur, ipso metallo excitata, ita ut raro vomitoria requirantur, sed magis potu aquae tepidae copioso naturae conatus sublevari et praeterea acritas veneni butyro, oleis unguinosis, lacte, mucilagine quantum fieri potest obtundi debeant. Rejecta potiori massa, salium cupreorum particulas, quae restant, kalina et sulphuretum calcariae hebetiores reddunt, et magis innocuas.

FERRUM.

MARS.

Metallum griseo-coerulescens, magneti obediens. Ferri limatura venalis saepe cupro inquinata est, quod digestione cum ammonia, inde coerulescente, facile detegitur. Hinc limatura ab ipso Pharmacopoeo paranda est.

Not. 13. *Germ.* Eisen, *dan.* Jern, *suec.* Jern; *gall.* Fer, *angl.* Iron, *belg.* Yzer, *ital.* Ferro, *hisp.* el Hierro, *lusit.* Ferro, *polon* Zelaco, *ross.* ЖЕЛѢЗО (scheljazo). Pondus specificum 7,606—8,166. Mirifice inter metalla eminet facilitate, qua principium electricum transmittit et qua attrahit magneticum. Nec omni sapore expers est, nec odore, quem potissimum inter contrectationem exhalat. *Vis.* Merum ferrum interne sumtum non minus inefficax est quam cetera metalla, nisi prius oxydatum sit, aut cum acidis junctum, quamobrem ferrum limatum solutione indiget in ventriculo sub eructatione gasis nidorosi peragenda. Singulari modo hoc metallum fibrae irritabili amicum reperitur, illiusque agitatione sanguinis crasin inprimis cruoris compagem emendat, ita ut pallor cutis in gratum ruborem transmutetur. Hinc in cachexia virginum et obstructione viscerum inprimis lienis, si cum lentore laticis vitalis stipatur, et erethismus nervorum illi non contrarius sit, nec labes visceris, quasi specificum putatur. Dosis differt pro praeparati varietate. Lenissime agit in aquis soteriis martialibus. Inter connubia cum acidis praeprimis arrident ferrum aceticum et muriaticum. Sunt qui lima-

turae drachmas sex quotidie propinarunt, sed pessime. Vid. not. 409 & seq.

† *HYDRARGYRUM.*

ARGENTUM VIVUM seu *MERCURIUS.*

Sit lucide splendens, globulis exacte sphaericis currens, aquam destillatam tritura non inquinet, ex vasculo vitreo altero in alterum saepius transmissum pelliculam non contrahat, et igne totum ac placide avolet.

Not. 14. *Germ.* Quecksilber, *dan.* Quecksölv, *succ.* Quicksilfver, *belg.* Kwikzilver, *angl.* Mercury, (Quicksilver) *gall.* Mercure, Argent vif, *ital.* Mercurio, Argento vivo, *hisp.* Mercurio, (Azogue) *lusit.* Azougue, Mercurio, *ross.* РТУТЬ (ЖИВОЕ СЕРЕБРО). Pondus specificum 13,568. Hydrargyrum parum aëre atmosphaerico oxydatur, celeriter autem triturationis adminiculo; oxygenium tamen sine difficultate deponit. Expanditur insigniter calore, nec minus frigore condensatur, quare barometrorum et thermometrorum tubis indicii causa includitur. *Vis.* Hydrargyrum est utilissimum remedium aeque ac venenum maxime virulentum. Variat ejus actio pro constitutionis corporis atque irritabilitatis diversitate et natura praeparati. Dosis, alias minutissima, interdum et, ut mihi visum est, praeprimis in aegris febri laborantibus ptyalismum prolicere potest. Excitat argentum vivum, sat largiter ingestum, motus febriles (febrem mercurialem), tumefacit glandulas salivales, producit effluvium salivae, et reddit simul gingivas turgidas, atque halitum foetidum saporemque cupreum. Erumpunt in ore ulcuscula. Vacillant dentes, et ulcera, quae linguam internamque buccarum planitiem perrepunt, pessimum saepe induunt morem. Dyscrasia biliosa non raro manifestatur (*Tourtelle*). Agmen symptomatum claudunt, hydrargyro inconsiderate ingesto, tremor artuum, paralysis atque ipsa mors, ut in fodinis, ex quibus metallum explantatur, pluries fuit observatum. *Usus:* Inter omnia

medicamina fere primum occupat locum mercurius in resolvendis obſtructionibus. Ipsas exoſtoses, ne dicam oppilationes inflammatorias, potenter resolvit. Singulari ratione exſtinguit praeterea virus syphiliticum. Usque ad hunc diem acriter disceptatum est de modo, quo hoc metallum agit in corpus humanum, et speciatim de illo, quo delet miasma venereum. Peculiariter partes vivas et potissimum syſtema vasorum absorbentium una cum glanduloso incitare atque hoc incitamento secretiones atque excretiones permutare, a vero non abhorret. Non evacuatione materiae peccantis, aut decompositione illius in morbo gallico utilitatem afferre omnes hodierni fere arbitrantur. Nec oxygenio ex metallo attracto et in corpore extricato, cui plurimum tribuit in debellanda lue *Fourcroy*, vir quidem omni observantia colendus, solummodo confidendum esse, certo apparet ex usu acidorum, ceteroquin hic non plane negligendo, saepius inani, atque ex quantitate remedii minus parva, quam quod ex solo oxygenio mali profligatio sperari possit. Ut taceam de salubri connubio mercurii in sananda labe venerea cum diversis remediis e. g. cum ligno guajaci, sassaparilla, nucibus juglandis, cortice mezerei et aliis, opii mentionem faciendam esse puto, quod scilicet multifarie favet actioni illius atque eam dirigit, retardat enim alvum, haud raro perturbatam, nimiam nervorum sensibilitatem in universo corpore, sicuti in praecordiis minuit, atque vehementiam medicamenti specifici et morbi pariter frangit (*Thueſſink et Althof*). Cortex Peruvianus aut simile medicamen acido galico abundans cum hydrargyro acidis nupto non misceatur, qnoniam hoc acidum salia metallica decomponit, et cum metallis oxyda efficit, quae aegre dissolvuntur. Balnea tepida commode pluribus in casibus usui mercurii praeeunt, immo reſtauratio virium nutritione et roborantibus ante eum in singulis fit necessaria, etsi non plane negarem, ipsam venaesectionem, quam medici montepessulani quondam initio curae commendabant, interdum locum habere posse. Monente *Louvrier* autem curationem purgantibus inchoare reprobo, nisi forsan colluvies sordium illa exigat. *Usus:* Merum me-

tallum a dr. jj — unc. j donec libr. j circiter fuerit ingesta, contra pertinacem alvi constipationem omni quadrante horae ingurgitatum vix unquam pondere faeces protrudit, sed stimulo, quem obtinet, partibus regulinis oxydatis, ut non solum plures suspicati sunt, sed etiam cadaverum inspectio, oxydationem globulorum metallicorum palam faciens evicit. Nec aqua fervida solvitur argentum vivum. Quae si igitur famam virtutis vermifugae nacta sit, libra j cum metalli unc. jj sub agitatione cum bacillo ligneo cocta, vel casui illam debet vel additamentis aliis, vermibus inimicis. Tam externe quam interne Hydrargyrum administratur. Pro usu interno praeparata metalli cum acidis facta in genere meris oxydulis praeferri debent. Quam maxime notandum est, parvas doses metalli in sananda lue securiores esse magnis et fortibus, ut corpus quasi paulatim familiaritatem contrahat cum stimulo remedii nullo modo mansueto. Externe vel fumigatione vel frictione cuti insinuatur mercurius. Fumigatio, quae totum corpus circumvolat, merito hodie negligitur (*van Hutten*). Topicam, quae si forsan necessaria ducatur, ipso ore exceptam sicuti frictionem methodo *Clareana* in bucca interna cum mercurio dulci institutam ob vicinitatem pulmonum et systematis salivalis nocivam esse contendo. Ad coercendam salivationem, si inopinato aut copiose usui mercurii accedit, purgantia, aqua hydrothionica acidula, opium et aqua frigida assiduo faucibus admota conferunt.

† *MURIAS AMMONIAE.*

SAL AMMONIACUS.

Sal neuter ex acido muriatico et ammonia constans; albus, crystallis minutis, concretis, saporis salsi, in igne fortiori totus volatilis, et in aëre non deliquescens. Solutio illius chartam coeruleam vix tingat; affusione solutionis carbonatis potassae alcalini et muriatis barytae haud turbetur. Optimus habe-

tur AEGYPTIACUS; *paratur etiam bonae notae* AMSTELAEDAMI, *et in aliis* EUROPAE *regionibus.*

Not. 15. *Germ.* Salmiak, *dan. & suec.* Salmiaken, *angl.* Sal ammoniac, Salt of ammoniak, *gall.* Sel ammoniac, *ital.* sale ammoniaco, *ross.* ПЕРЕЧИЩЕННЫЙ НАШАТЫРЬ. Brunsvisense in Germania notissimum. Paratur Brunsvigae sine dubio ex cupro sulphurico cum ammonio carbonico (spiritu urinae). Viride brunsvisensi separato, ammonium sulphuricum et natrum carbonicum congruo modo miscentur et cryſtalli natri sulphurici et ammonii muriatici ex solutione frigida prodeuntes sigillatim evocantur.

† *MURIAS SODAE.*

SAL COMMUNIS, SAL MARINUS, SAL CULINARIS.

Sal neuter ex acido muriatico et soda conſtans, albus, ſaporis ſalsi, cryſtallis cubicis pellucidis, in aëre nec fatiscens, nec deliquescens.

Not. 16. *Germ.* Küchensalz, *dan. & suec.* Salt, *belg.* Zout, *angl.* Salt, *gall.* Sel commun, *hisp. & lusit.* Sal, *ital.* Sale, *ross.* ПОВАРЕННАЯ СОЛЬ. Inter fontes salinos Germaniae eminent luneburgenses et halenses. Aquae prioris libra civilis continet salis semuncias $9\frac{1}{16}$, poſterioris libr. jj et unc. V (eine hallische Kanne) salis unc. Vjjj. Sal marinum et praesertim istud, quod prope littora in fossis paludosis collecta evaporatione condensatur, multis partibus adventitiis, sulphate magnesiae, muriate calcariae, aliisque foedatur. Conſtat sal culinare ex acidi muriatici 52, natri 6 et aquae 6. Solvunt aquae partes 2,5 unam natri muriatici. *Vis:* Erigit grato modo ſtomachi vires; abusus quidem proclivitatem ad crasin scorbuticam progignere videtur. *Usus:* vulgaris in culinis. Adduntur unc. j — jj clysmatibus

domeſticis. *Rush* praedicat sal commune in haemoptysi ut remedium paratissimum, nec injuria, oriatur sputum cruentum ex plethora, aut ex atonia. Porrigit probe comminutum ter de die a cochleari parvo sensim augendo dosin, usque ad cochlear magnum et urgente necessitate, usque ad cochlearia duo. Sensum producit ardentem in faucibus, et sitim. Solutio salis culinaris conducit externe ad contusiones et sugillationes. Ut in aqua marina omni tempore aegri sanitatem, et valetudinarii roburr ecuperarunt, noſtro aquae salinae, quae ex fontibus propullulant, aeque utiliter ad balnea adhibentur. (Soolbäder) *Medicina veterinaria.* Usus sal. comm. diaeteticus et therapeuticus beſtiis cornutis domeſticis inprimis omni aevo aeque salutaris habitus est. Suspenduntur fragmenta salis gemmae, ubi in promtu est pilis ovilium, ut oves pro lubitu ea lambant, et ubi desunt, dr. jjj pro qualibet ovi salis communis canaliculis insperguntur vel solae vel cum herbis aromaticis mixtae. Hoc modo praecaventur prae peſte iis singulari, (Fäule) quam in pratis paludosis plerumque sibi contrahunt. Pecori bubulo et equis ipsis bis vel ter in hebdomade manipuli quidam salis culinaris utiliter pabulo immiscentur. *Enema communè.* R. aquae calid. mens. j Sapon. commun. dr. jj Sal. commun. unc. jß olei Lini. unc. jjj. Equo una vice injicitur *(Sick.)*

† *NITRAS POTASSAE.*

NITRUM.

Sal neuter, conſtans ex acido nitrico et potaſſa, cryſtallos offert prismaticas, hexangulares, apicibus pyramidalibus, itidem hexagonis, ſaporis acris, amari, refrigerantis. Eligatur purum, ſiccum, bene cryſtalliſatum, cum ſubſtantiis inflammabilibus laete detonans, ac affuſa ſolutione alcalina; terreas partes non, aut saltem parce deponens. Im-

purum habetur ex nitrariis in CALIDIORI EUROPA. *Fossile ex* INDIA ORIENTALI *inprimis ad nos adfertur et in propriis officinis* AMSTELAEDAMI *depuratur.*

Not. 17. *Germ.* Salpeter, *dan. suec. & belg.* Salpeter, *angl.* Nitre, salpetre, *gall.* Nitre, *hisp. & lusit.* Nitro, *polon.* Saletra, *ross.* СЕЛИШРА (Selitra). Haud dubie hoc sal formatur, dum azotum in tumulis, quos coqui nitrarii erigunt, oxygenium arripit ex atmosphaera. Nitras potassae purum constat ex acid. nitric. 33. kali 49 et aquae 18. Parte una aquae fervidae solvuntur partes duae nitri puri.

† *OXYDULUM ARSENICI ALBUM.*

ARSENICUM ALBUM.

Maſſa compacta, valde gravis, opaca, alba, fragilis, in fractura nitens, saporis acris ſubdulcis, ſumme venenata, aqua ſolubilis, prunis inſperſa, fumi albi ſpecie avolans, et alliaceum ſpargens odorem, metalla polita huic fumo oppoſita macula alba inquinans; laminae cupreae candenti impoſita, maculam relinquit nigram, vix delendam.

Not. 18. *Germ. belg. dan. suec. & angl.* Arsenik, *ital.* Arseniço, *gall.* Arsenic; poudre aux rats, *polon.* Arsenik, *ross.* МЬШЬЯКЬ (Müschjak, id est pulvis pro muribus). Regulus arsenici nec cum minera cobalti, quae arsenicum continet, et in Germania sub nomine Fliegenstein divenditur, nec cum minera cobalti pura confundendus, conſtat ex lamellis splendentibus nigro-cinereis, pondere specifico 8,310. Oxydum arsenici, quod attractione oxygenii ex acido nitrico vel ex acido muriatico oritur, vehementiori erodendi natura, chemica affinitate aliisque attributis longe ab oxydulo hujus metalli

differt. Pondus specificum oxyduli est 4,000-3,000. Partes 24 aquae frigidae ad gradum X Th. R. solvunt partem unam, et partes 15 fervidae eandem quantitatem. 80 partes spiritus vini fervidi recipiunt unam. Natura offert arsenicum cum sulphure varie conjunctum, *auripigmentum* scilicet et *realgar*. Prius continet nonam partem sulphuris, et centenae partes posterioris constituunt oxydi arsenici partes 84 et sulphuris partes 16. Nomine *Sandarach* insignitur, si aut nativa sua indole, aut leni igne ustum in ruborem vergit. *Arsenicum rubrum*, materia pictoria sat nota, est artefactum, quod a realgare differt majori sulphuris copia et arctiori cohaesione. Pertinet ad haec praeparata: *Arsenicum citrinum*, quod sublimatione cum parca sulphuris quantitate producitur. *Arsenicum fixum*, pessimum praeparatum, fit deflagratione arsenici albi cum nitro. *Vis* et *effectus:* Confitendum sane, arsenicum, vehementia, qua vitae humanae minitatur, omnibus remediis, quae materia medica offert, praeire, ejusque usum maxima attentione et circumspectione dignissimum esse. Nec ideo hic plenarie perhorrescendus est, ut ex recentiorum medicorum, qui fama excellunt, testimonio satis fideli apparet, nec ullus hodie sententia *Stahlii*, principis alioquin inter germanos medici, illud remedium probum artis professorem non decere, ab eo retineri poterit. Minutissima portio arsenici in forma pulveris ipsis adultis attulit necem. *Monro* enim memorat observationem *Duvali*, medici londinensis, qui virum quarta grani parte, quam ab agyrta contra febrem intermittentem accepit, ereptum esse vidit (Samml. auserl. Abh. f. pr. A. XIII. p. 274). Metallum, nociva quantitate corpori ingestum, ardore in faucibus, oesophago et ventriculo praegresso, nisum vomendi, mox spasmos et dolores intestinales cum vomitu producit. Accedunt palpitatio cordis, constrictiones spasticae abdominis et pedum, cutis pruritus atque profluvia alvina, cruore permixta, quae simul odorem cadaverosum diffundunt. Pulsus debilis fit, facies collabitur. Membra miseri gravissime excruciati, postquam aliqua quiete fructus est, nunc rigere incipiunt. Pectus opprimitur et ebullit. Pulsus recedit et vi vitali in intimis latibulis profligata,

mors denique cladem componit. *Extispicium cadaveris.* Sectio cadaveris excoriationem tunicae villosae praesertim versus pylorum et inflammationem membranae subjacentis, saepius, non quidem semper, crassioris, offert *(Alibert. Renault.)* Apparent puncta rubra ab exsudante cruore pronata, et, veneficio lentius peracto, ſtases sanguineae in aliis visceribus, potissimum in hepate, occurrere solent *(Metzger).* Corpora hominum, nece arsenicali defunctorum, monente *Welpero*, diu duritiem mumiarum conservare, veterum observationibus ductus, vix credo. — Extrinsecus autem non minus funeſtum ſit arsenicum quam intrinsecus. Cutim arrodit, et inflammat atque tam resorptione quam irritamento perniciem intus disseminat. Vapor arsenicalis pulmones laedit et fossores metallicos frequenter phthisi pulmonali tradit. Quicunque aufugiunt incautae materiae letiferae ingurgitationi varia labe languent, et praeter oedema paralysin et particularem et universalem sibi contrahunt. Nisi fallor, ex dictis patet, arsenicum primario syſtema nervosum concitare, mutationesque humorum effectus esse secundarios. *Modus utendi.* Principalem laudem acquisivit arsenicum, interne datum, in febribus intermittentibus et, externe applicatum, in carcinomate faciei, postquam hinc inde a medicaſtris jam pridem non infeliciter, licet multoties temere, fuit dispensatum. Medici, vario infortunio prosperrima pericula evertente, ignotaque vera remedii indole, non parum titubabant in determinanda recta methodo arsenicum porrigendi usque dum *Jacobi, Fowler* et *le Febure* illam persecuti sunt, quam recentiores, vix non omnes, amplectuntur. *Solutio arsenici Jacobi.* R. Arsenici part. j kali part. Xjj aqu. dest. part. 168. Coquas mixtionem usque ad dimidii aquae consumtionem; solutioni refrigescenti pars aquae evaporatae iterum additur, et, ut melius conservetur, pauxillum spiritus vini. *Dosis* adultis gutt. XXX infantibus guttulae Vj—XVj cum cochleare aquae diebus febris intermittentis intercalaribus hora septima matutina, tertia, sextaque pomeridiana, atque nona vespertina. Quo facto, asserente autore, conspicuum evadet, febrim post trium subinde etiam unius et dimidii unciarum hujus solutio-

nis usum in fugam converti, ac si fortassis accessionum febrilium quidpiam rursus emerserit, hujus medicamenti uncia una adhuc propinata, iteratis prout res postulat vomitoriis et purgantibus morbum certo profligabit. In acutis febribus vero accessiones habentibus aut apoplexiam minitantibus creber assiduusque remedii usus, ut autor continuat, fere necessarius est. Notat porro inventor nec ante nec diu post remedii usum ullos angores, vomitus, cardialgiam aliaque symptomata in conspectum prodiisse. (v. act. acad. mogunt. V. I. p. 222). 2. *Solutio Arsenici Fowleri.* R. Arsenici, kali carbonic. ana grana LXIV aquae dest. libr. semis diger. in balneo arenae usque dum arsenicum perfecte fuit solutum. Solutioni refrigeratae adm. spirit. Lavend. composit. Ph. L. unc. ß et aquae dest. q. s. ut solutio ex libra j constet. Guttulae octoginta continent arsenici granum dimidium. *Dosis* infantibus biennibus bis in die gutt. duae, adultis toties gutt. decem et duodecim ($\frac{1}{16}$ gr. arsenici). 3. *Solutio Lefebure.* R. Arsenici gr. IV. solv. in aquae communis dest. unc. XXXjj. *dos.* quotidie cochl. magnum cum cochleare lactis et dr. ß syrupi capit. papaver. Inter formulas dictas *Fowlerianae* palma addicenda est, excitavit autem solutio haec, cum autor dosin ad guttas XX auxit, tumultus graviores. Pretium divini remedii, corticis peruviani, tempore belli devastantis gallici omni die magis ingravescens atque epidemia febrium intermittentium omnem fere germaniam ejusque confinia percurrens plures medicos eo perduxerunt, ut, exemplum majorum imitati, arsenicum in frequentiorem usum vocarent, penitiorique scrutinio subjicerent. Antesignanus est inter hos sagacissimus *Brera*, qui solutionem *Fowleri* paululum immutatam praescripsit. 4. *Solutio arsenici suasore Brera.* R. Arsenici albi dr. ß solv. in aquae dest. unc. VI adm. aquae cinnamom. simpl. unc. jj in quibus dissoluta est kali carbonici dr. ß. Reponatur mixtura per aliquot tempus in loco calido. Octo hujus solutionis unciae continent 4006-4008 guttulas; quaelibet guttula autem 76 partem grani unius kali arsenici. *Dos.* gutt. Vj-XV in aqua

deſtillata. Inter usum mixturae suae *Brera* spatio quatuor annorum nunquam observavit levissima symptomata, quae vitae periculum portendunt, quod disertissime *Harles* confirmat, eadem aeque feliciter usus in nosocomio militari Erlangae inſtructo. *Pilulae arsenici Bartoni.* R. Arsenici albi gr. j opii gr. IV-Vj-Vjjj sapon. medicat. aut mellis q. s. ad formandas pilulas nro sedecim. *Dos.* Intra horas XXIV tempore apyrexiae bis et ad summum quater, et quavis vice unam deglutiri jubet autor. $\frac{3}{16}$ partes grani plurimis aegrotis in qualibet apyrexia sufficiebant. Infantibus, qui pilulas non devorare solent, solutionem massae pilularis in mucilagine gummi mimosae apta dosi propinavit. Mel non adderem, cum arsenicum, quantulumcunque sit, exacuare potest, sed saponis copiam ob vim ejus mitigantem augerem. Quamvis quidem contradicere nollem aeſtumatissimo *Bartonio*, arsenicum in subſtantia certius febrem intermittentem opprimere, et quamvis egomet ipse pilulas has arsenico saponatas in casu pertinacissimo, qui cinchonae repugnabat, non sine optimo effectu dederim, solutiones arsenicales, et praecipue arsenatis potassae, vel sodae omnibus aliis compositionibus, praeferendas esse puto et contendo. Vir, febri quartana laborans, inscio *Foderé*, qui tres pilulas Bartonii tribus vicibus assumendas praeceperat, novem una deglutit. Statim febri sanatus, diarrhoeam suſtinuit per octo dies sine omni ceteroquin detrimento. Sicut usus arsenici in pulveris forma nunquam periculi expers haberi debet, quoniam oxydulum hoc membranis ventriculi agglutinatur, singulae doses hic morantur, atque hoſtiliter quasi et inopinato ex insidiis prorumpunt. Hoc assertum experientia quam luculentissime evincitur. Initio seculi decimi septimi pharmaceuta quidam paſtillos, quorum singuli aequali parte arsenici et sacchari coctione formati granum unum arsenici continebant, arcani loco Parisiis publica autoritate divendidit. Plures aegroti ex usu horum paſtillorum vomitus cruentos perpessi sunt, ita ut arcanum cito fama excideret *(Dionis)*. Arsenata sodae et potassae aqua soluta optimas formulas saevissimi remedii largiuntur. Paratur arsenas sodae vel saturatione oxyduli arsenici cum

soda, vel destillatione metalli cum nitrate sodae. Destillatione peracta restat arsenas sodae, cui paululum sodae adhaeret, crystallisationem non turbans. *Pearson* solvit grana sedecim sodae arsenicicae in libra una aquae destillatae (nominat solutionem in pharmacopoea georgiana aquam natri arseniati) et porrigit pro dosi aliquoties in die dr. j-jj aqua aut alio vehiculo congruo dilutas. Utilis est consuetudo, arsenico opium addendi, quod, si nomine uti licet, tanquam ejus corrector considerari potest. Collega aestumatissimus *Heineke* sequentem formulam in usu habet. R. Natr. arsenicici gr. Vj solv. in Aqu. menth. piper. unc. jjß Aqu. cinnam. vinos. uncß adm. Tinct. Opii simpl. dr. j. D. quater de die gutt. 40-50. — *Arsenicum fixum*, quod deflagratione nitri cum arsenico pronascitur, ob corrosivam indolem vix in usum externum verti potest. Multi jam antiquitus celebrarunt compositiones ex arsenico et sulphure. Ex meris, mixtionibus quae penitiori subactioni cedunt, pulvis *Plencizii* ex arsenici alb. Myrrh. piper. long. terr. sigillat. rubr. ana dr. jj flor. sulph. uncß Bezoar. miner. dr. j de quo gr. Vj-Vjjj unam alteramve horam ante paroxysmum febris intermittentis in infuso flor. Sambuci aut Chamomill. dantur, praecipue innotescit. (Act. et obs. med. p. 88). Audacissimus *Bernhardt* (chem. Vers.) dedit infantibus gr. jjj et adultis gr. sedecim arsenici rubri, quod ex partibus duabus sulphuris et una parte arsenici sublimatione paraverat, sine detrimento, nec aegri de alia re conquesti sunt, quam de ructibus nidorosis. Usus est hoc arsenico rubro in atrophia et febribus intermittentibus. *Usus externus arsenici.* Experientia teste applicatio arsenici externa non omni periculo exemta est. Laudatur arsenicum externe in cancro faciei. *Pulvis Cosmii sive Bernhardi.* R. Cinnabar. dr. jj Ciner. solear. detritat. ustar. gr. Vjjj sanguinis dracon. gr. Xjj Arsenici alb. gr. XL. Portio, qua mali ambitus indiget, pauxillo aquae in pultem redacta, ope penicilli cancri superficiei crassitie grossi sive unguis illinitur, atque dein agaricus imponitur, aut aliud tegumentum naturae remedii accommodatum. Diebus aliquot praeterlapsis eschara pronata secedit et ulcus, quod obtegerat, natu-

rali vigore apparet. (*Theden. Schneider.*) *Unguentum Hargens.* R. Arsenici alb. gr. IV Butyr. recent. non saliti dr. Vj, cerae alb. dr. jj exact. misc. Hoc unguentum vel pulvis simplicior ex cinnabaris dr. jj et arsenici gr. XL loco pulveris Cosmii inconcinne compositi adhiberi possunt. *Aqua arsenici*, quae fit solutione arsenici fixi, *liquor arsenici fixi* ei persimilis et *butyrum arsenici*, quae fit solutione arsenici in acido muriatico concentrato enormi corrosionis macula notantur. Et *magneti arsenicali*, materiei e rubro-fuscae, ex colliquefacto cum aequali sulphuris et antimonii portione arsenico leni igne commixtae, quae *emplastro magnetico* olim inserebatur, interdum discriminis nota inusta est (*Feldmann*). *Antidota.* Cura veneficii arsenicalis emetico citissime est instituenda. Vir, qui inconsiderate unciam unam arsenici loco sulphatis sodae deglutiverat, emetico statim propinato certa morte ereptus est. (*Koppii* Jahrb. der Staatsarzneik. II B.). Nos igitur dolere oportet, medicos plures, ut ipse in casu, qui me maximo moerore affecit, observavi, soli usui mucilaginosorum in periculo ab arsenico assumto avertendo insistere. Praemisso emetico sapo laudatur. *Solutio saponis.* R. Sapon. medicat. vel communis libr. j solv. in aqu. commun. aut dest. libr. IV. D. vasculatim. Calide sumatur quolibet tertio horae momento, ita ut circiter intra duas horas haec portio ab adulto epotetur, sapore nauseoso solutionis frustulo sacchari masticato dissipato. Infantibus eodem tempore saltem libra dimidia, et, si fieri potest, libra una ingeritur. Impeditur saponis potu adhaesio veneni in tunicis ventriculi, harumque corrosio. Vomitum ciet, et evacuat. Protrahuntur postea evacuationes alvinae solutione saponis dimidio aquae diluta et continuata. In auxilium simul vocatur aqua hydrosulphurata cum clysmatibus et fomentis. *Medicina veterinaria.* Mirum est, quantam copiam arsenici equi, ut pisces, sine noxa devorare possunt. Ubi vermes omnibus aliis anthelminticis non cedunt, optime conducit arsenicum, a dosi refractissima drachm. unius adhibendum, quo equi, vermibus ventriculi (subinde millenis) laborantes, nullo modo laeduntur. E contrario hilares fiunt,

et radicitus curantur (*Tolnay*). Equo coryza maligna infecto, egometipse dedi arsenici drach. Xjjj a drachma una inchoans, et omni alterna die drachmam dimidiam addens, antequam animal vita creptum est atque dissectione, qua nulla gangraenae indicia apparuere, nondum in apricum positum est, an mors morbo aut veneno fuerit adducta. Bolum composui ex arsenico cum farina secalina et aqua, qui equi faucibus sat bene intruditur. *Feron* proponit massam in coryza equorum maligna ex Opii unc. j arsenici dr. j sulphur. unc. Vjjj Theriac. q. s. ut forment. bol. octo. Luce clarius est, dosin arsenici in his bolis augendam esse, si quidem effectum exinde sperare velimus.

† *OXYDUM CUPRI PER ACIDUM VEGETABILE.*

AERUGO, SEU VIRIDE AERIS.

Sit oxydum purum coloris ad coeruleum vergentis, siccum, nec in libero aëre deliquescens, nec saporis salsi, ac totum acido sulphurico solubile.

Not. 19. *Germ.* Grünspan, *dan.* Kobbergrönt, *suec.* Koppargrön, *belg.* kopergroen, *angl.* verdi greace, *gall.* vert de gris, *ross.* ВЕНЕЦИЯНСКАЯ ЯРЬ. Hoc oxydum cupri cum tartrite et acetite cupri mixtum est. Montepessulanum optimum. *Usus* externe v. not. 1.

OXYDUM FERRI NATIVUM.

HAEMATITES LAPIS.

Oxydi ferri dives minera, in solidis massis fibris tenuibus radiata, tritura rubra.

Not. 20. *Germ.* Blutstein, *gall.* hématite, *angl.* blood-stone. Usus plane eviluit, ita ut hoc oxydo sicut rubrica et aetite in officinis non indigeamus.

OXYDUM COBALTI CUM TERRA SILICEA. SMALTUM.

Oxydum cum terra siliceâ vitreum, fusum, coeruleum in pulverem tenuissimum tritum.

Not. 21. Cum pharmacopœae ista solum remedia enumerare debeant, quae plurium et optimorum consensu in arte salutari exercenda non superflua censentur, ne pharmaceutae in munere perfungendo inanes molestiae creentur, cum series medicaminum nullam mercem alias in pharmacopoliis vendibilem in posterum includit, quae a medicis negligitur, non concipio, quare smaltum censui medicaminum sit adscriptum.

OXYDUM MAGNESII NIGRUM NATIVUM. MAGNESIA NIGRA.

Oxydum ponderosum, fragile, inquinans, texturae fibrosae; eligatur atrum, quod, igni impositum, nullum naribus percipiendum halitum emittit. Vitetur pulveratum, quod venale prostat, utpote alienis interdum adulteratum.

Not. 22. *Germ.* Braunstein, *dan.* Bruunsteen, *suec.* Brunsten, *belg.* Bruinsteen, *angl.* manganese, *gall.* manganèse, *ital. hisp. & lusit.* manganesia, *ross.* МАРГАНЕЦЪ (Marganezi). Pondus specificum 6,850. Metallum nec odore nec sapore conspicuum, ferro, baryta, calce et aliis mixtum reperitur. Attractione oxygenii atmosphaerici a solo phosphoro superatur, quod vero affinitate chemica cum diversis corporibus communicat. Oxyda, quae cum acidis format, plus minusve amara sunt, et acerbiuscula. *Vis:* Murias manganesii glandulas salivales excitare, et earum excretionem promovere visum est. *Usus: Kappius* solvit acetitis manganesii scr. jj in aqua dest. unc. jjj. dosis omni bihorio dimidium cochlearis. v. murias manganesii. *Grilleus* observans, homines, qui manganesium effodiunt, a morbis cutaneis

immunes esse, et iis affectos celeriter sanari, utiliter cuti infricandum curavit unguentum ex manganesio et axungia porci in tinea capitis, herpete et in scabie hominum et brutorum. *Kappius* confecit simile ex sulphatis manganesii part. j et axungiae porci unc. j. Egomet ipse maculas herpeticas pulvere manganesii optimo cum effectu conspersi, si unguenta, ut accidit, cum cute minus familiariter concordabant.

† *OXYDUM PLUMBI CARBONATUM, PER ACIDUM ACETOSUM.*

CERUSSA.

Oxydum valde ponderosum, albi coloris. Cum oleo lini in pastam redactum, totum in metallum poterit reduci. Adulteratio cum creta per acidum muriaticum examinetur.

Not. 23. *Germ.* Bleiweifs, *belg.* Lootwit, *angl.* white lead, *gall.* blanc de plomb, *ross.* БѢЛИЛЫ. *Usus:* externe in emplastris et unguentis. Pessimum cosmeticum maleque inspergitur excoriatae cuti infantum.

† *OXYDUM PLUMBI RUBRUM.*

MINIUM.

Oxydum laete rubrum; sit pulvis subtilissimus, valde ponderosus, coloris, si ad chartam albam teratur, nonnihil flavescentis; cum pinguedine totum in metallum reducatur, totumque coctione in aceto solvatur.

Not. 24. *Germ.* Mennige, *belg.* Menie, *angl.* red lead, *gall.* Minium. Possessores fabricarum chemicarum pulchrum ruborem hujus praeparati saturnini cauta refrigeratione in ipso furno potissimum efficere verosimillimum est. (*Fourcroy*). *Usus:* externe ad emplastra et unguenta.

† *OXYDUM PLUMBI SEMIVITREUM.*

LITHARGYRIUM, LITHARGYRUM, LITHARGYRUS.

Oxydum a depuratione metallorum nobilium residuum, flavescens, squamosum, ad tactum pingue. Rejiciatur quod, cum ammonia digestum, subcoeruleum evadit.

Not. 25. *Germ.* Bleyglätte, *belg.* Loodglans, *angl.* Litharge, *gall.* Litharge, *ross.* ГЛПЪ. *Usus:* externe ut in antecedentibus.

OXYDUM ZINCI.

NIHIL ALBUM, POMPHOLYX.

Oxydum, quod durante zinci reductione et cupri flavi praeparatione sublimatur, leve, vix cohaerens, album, insipidum, ac inodorum. Sit acido sulphurico frigido plane solubile.

Not. 26. *Germ.* weifses Nichts, *belg.* kleimei, *angl.* Cadmie, *gall.* Cadmie. Hoc oxydum exactius paratur ab ipso pharmaceuta et superfluum.

OXYDUM ZINCI NATIVUM.

CALAMINARIS LAPIS.

Oxydum cohaerens, ponderosum, compactum, potissimum oxydo ferri inquinatum, cinereum, in luteum, flavum, fuscum vel rubrum vergens.

Not. 27. *Germ.* Gallmey, *belg.* Kalmei, *angl.* Calamine, *gall.* pierre calaminaire. De hoc oxydo idem valet, quod de antecedente dictum est.

† *PETROLEUM BARBADENSE.*

Bitumen fluidum, flavum, aut rubescens, succinei odoris, saporis acris, spiritu vini non solubile. Distinguendum a PETROLEO NIGRO, *quod spissius est, et gravius olet.*

Not. 28. *Germ.* Steinöl, *angl.* pétrol, *gall.* Pétrole. Pondus specificum naphthae petrolei 0,708. communis 0,847-0,854. Barbadense in Anglia usitatissimum. Nec in aqua nec in spiritu solvitur. *Vis* diuretica, anthelmintica. *Usus.* In Aegypto agyrtae ea contra taeniam adhibent. In phthisi ulcerosa rectificatum a guttis X-XIV cum saccharo datum est (*Hofkens van Courcelles*). Aliorum sententia aegri eo molestantur propter nimium calorem, quem excitat, (*Camper*). *Externe* unguentis anthelminticis admiscetur. Pernionum inflammationem saepius mitigavit.

PLUMBUM.

SATURNUS.

Metallum ductile, molle, nitoris lividi, fugacis, odoris, si fricetur, peculiaris.

Not. 29. *Germ.* Blei, *dan.* Blye, *suec.* Bly, *belg.* Bly, *angl.* Lead, *ital.* Piombo, *hisp.* Plombo, *lusit.* Chumbo, *polon.* olow, *ross.* СВИНЕЦЪ (Swinez). Pond. specif. 11,352. de salutari et nociva qualitate hujus metalli vid. not. 2.

STANNUM.

JUPITER.

Metallum ductile, album, coloris fere argentei, molle, cum aliquo stridore, flexile. Ad usus pharmaceuticos optimum est, quod ex *Malacca* et *Banca* adfertur. Prius titulo *tin*

in inktkokers, posterius massis magnis ponderosis prostat. Vitandum, quod his in regionibus artifices ad utensilia, culinis destinata, magno sanitatis detrimento cum plumbo miscent. — Vitandum etiam *Anglicum*, licet purius, cupro tamen et bismutho inquinatum.

Not. 30. *Germ.* Zinn, *belg.* Tin, *dan.* Tin, *suec.* Ten, *angl.* Tin, *gall.* étain, *ital.* Stagno, *hisp.* Estanno, *lusit.* Estanho, *polon.* Cyna, *ross.* ОЛОВО (Olowo). Pondus specificum 7,164. Nomen *tin in inktkokers* (stannum in lagenis atramentariis) a figura glebarum stannearum pyramidali et colore earum griseo desumtum est. Stannum anglicum, quod dicunt grain-tin purissimum habetur *(Hildebrandt)*, nec autem id, quod in massis exportatur (Block und Stangenzinn, common-tin). Ex admixtione arsenicali autem vix periculum imminet, quoniam minima quantitate $\frac{1}{367}$-$\frac{1}{1152}$ scilicet arsenicum stanno metallice immixtum est, ejusque vis stanno coercetur. Experimenta denique probarunt, massam metallicam ex sedecim partibus stanni unaque arsenici nullum damnum intulisse *(Bajen & Chartard)*. *Usus:* contra taeniam in pulvere et electuario. Datum est in pulvere quater et sexies quotidie per quatuordecim dies et plures, interposito omni quatriduo purgante sine omni noxa, et cum exoptato effectu. *(Monro)*. Acta edinburgensia sex drachmas prima die, altera tres, tantumdem tertia deglutiendas praecipiunt, quarta vero cathartico alvum ducendam. Et oxydum stanni usu venit. *Antihecticum Poteri* (Bezoardicum joviale) non inefficax certe, hujus generis est, et oxydo stibii junctum. *Dosis* gr. V-XX. Parabatur ex stibii p. j stanni p. jjj et kali nitrici p. IX. detonatione. *Alibert* oxydum stanni purum, quod fusione metalli oritur (la potée d'Étain) eadem dosi aegris dedit, qua antihecticum praescripsit, nempe gr. X. An murias stanni corrosivum suadente *Marco* praxi medicae unquam salutiferum erit, periclitationes cautae in posterum docebunt. In animalibus institutae deterrent,

aut, si quis mavult, ad ejus usum invitant. *(Alibert)*. — Vasa ex stanno, quod cum plumbo adulteratum est, damna sufflammant, et eo facilius, quo magis caloris gradus, et cibi natura oxydationem metallorum accelerant. *(Lampadius)*.

† *SUCCINUM.*

AMBRA FLAVA.

Bitumen solidum, fragile, flavum, rubrum, aut albescens, in fractura aequabile, sub tritura in pulverem grati odoris abiens. Optimum flavum, aut citrinum, pellucidum, prunis injectum liquefit et grato odore deflagrat.

Not. 31. *Germ.* Bernstein, *belg.* Barnstein, *dan.* Bernsteen, *suec.* Bernsten, *angl.* yellow amber, *gall.* Succin, ambre jaune, *ital.* Succino, ambra gialla, *hisp.* Succino, *lusit.* Ambar, *polon.* Bursztyn, *ross.* ЯНПАРЬ (Jantar). Ob praeparata, quorum utilitas non plane in dubium vocari potest, in officinis prostat, quod praeterea suffimigiis addere longo more sancitur.

† *SULPHAS ACIDULUM ALUMINAE,*

ALUMEN CRUDUM, seu VULGARE.

Sal adstringens, in recessu dulcis, constans praesertim ex acido sulphurico et alumina. Sit album, semipellucidum, haud coloratum, in massis majoribus crystallisatum, in aqua totum solubile, et in igne in massam albam ac spongiosam intumescat.

Not. 32. *Germ.* Alaun, *dan. & suec.* Alun, *belg.* Aluin, *angl.* alum, *gall.* Alun, *ital.* allume, *hisp.* Alumbre, *lusit.* pedrahuma, *polon.* Halun, *ross.* КВАСЦЫ (Kwaszu). Alumen est sal triplex acidulum ex alumina,

kali, et acido sulphurico. Partes viginti aquae calore gr. X. Th. R. solvunt partem unam aluminis. Aqua fervida recipit tria quadrantia ponderis sui, quae autem post refrigerationem ex parte deponit. Alumen venale continet sulphatis aluminis 0,49 sulphatis potassae 0,07 aquae 0,44. *(Vauquelin).* *Vis* copiose ingestum nauseam creat. Vis antiseptica hodie valde dubia. *Usus* in diarrhoei satque aliis se — et excretionibus a debilitate abnormibus e. g. haemorrhagia passiva, seminis involuntaria emissione; in criticis profluviis atque violenter prorumpentibus damniferum. *Dosis* a quibusdam granis usque scr. j *(Cullen).* *Helvetius* dedit pro dosi dr. ß immo unam initio omni bihorio, dein omni quadrihorio per quindecim dies (v. ej. traité des maladies T. I. 1734. p. 410.) *Pulvis stypticus* anglorum ex sanguinis dracon. dr. jj et aluminis semuncia componitur, et usque ad scr. j porrigitur. (Ph. Ed.) *Pilulae aluminis Helvetii* formantur ex massa fusione aluminis unc. jj et sanguinis Dracon. uncß in cochleare ferreo coeunte. Dosis usque ad drachmam sensim augetur. Rejiciendas esse credo, cum alumen vi ignis corrosivam naturam nactus est. In prolapsu intestini recti *Helvetius* suppositoria ex alumine et mucilagine Gummi Tragacanthae longitudine et crassitie digiti compingit, quae aeger duas aut tres horas retinere connitatur. Fomentato antea aliquoties intestino recto solutione sulphatis aciduli aluminae vespertino et matutino tempore usque ad perfectam partis corroborationem ano inducit. Contra haemorrhagias externas idem autor laudat solutionem aluminis saturatam. Opium aliquoties auget vim aluminis eximie. *Aqua ophthalmica aluminis.* R. alumin. dr. j aqu. dest. unc. IV. Albumen additum plerumque molestam palpebrarum conglutinationem producit.

SULPHAS BARYTAE.

SPATHUM PONDEROSUM.

Sal medius terrestris, ex acido sulphurico et baryta, seu terra ponderosa, constans, nati-

vus, ponderosus, fragilis, lamellaris, nitoris vitrei, aqua non solubilis. Eligatur candidum, sine particulis adhaerentibus metallicis.

Not. 33. *Germ.* Schwefelspath. *gall.* Spath pesant, *angl.* ponderous spar (Cawk), *ross.* ТЯЖСЛЫЙ ШПАТЪ. Baryta sulphurica Ph. boruss. In metallifodinis Hercyniae, Saxoniae aliisque venas implet. Spathum ponderosum purissimum in Germania Freybergae occurrit. (*Juch*). *Usus.* Separatur ex eo terra ponderosa, ut ex hac componatur murias Barytae. V. not. 390. Sulphas Barytae ipsum omni in corpus animale efficacia caret, quamvis carbonas Barytae, carbonate potassae vel ex illo conflatum, vel sub nomine *Witherites* nativum plurimis animalculis ut muribus aliisque funestum fuerit deprehensum. (*Watt*).

† *SULPHAS CUPRI.*

VITRIOLUM COERULEUM, VENERIS, CUPRI, seu CYPRIUM.

Sal medius metallicus, ex acido sulphurico constans et oxydo cupri, pulchre coeruleus, vel sapphirinus, saporis acris, austeri, nauseosi, metallici, in aëre libero ad superficiem albescens, non flavescens.

Not. 34. *Germ.* blauer Kupfervitriol, schwefelsaures Kupfer, *dan.* blaae Vitriol, *belg.* Koppervitriool, *angl.* blue Vitriol, *gall.* Vitriol bleu, *ross.* СИНІЙ КУПОРОСЪ. Hoc sulphas et sequens emtitium, cum nunquam a medicis, nisi ab ipso pharmaceuta praeparata sunt, adhiberi debent, merito ex pharmacopoeis relegantur; omnia enim praeparata, quae in officinis medico offeruntur, quam maxime pura sunto et incorrupta. Vid. not. 408.

† *SULPHAS FERRI.*

VITROLUM VIRIDE, MARTIS, seu FERRI.

Sal medius metallicus, ex acido sulphurico et oxydo ferri constans, coloris viridis, saporis adstringentis, crystallis rhomboïdalibus, vel hexaëdris. Praeter ANGLICANUM VULGARE *prostat* VITRIOLUM HUNGARICUM *et* ROMANUM, *sed ad usum medicum non adhibeatur; a Pharmacopaeo hic sal paretur, cum venalis impurior esse soleat. Vid.* SECT. 2da *Sulphas ferri.*

Not. 35. *Germ.* Eisenvitriol, schwefelsaures Eisen, *dan.* Gron Vitriol, *angl.* green Vitriol, *gall.* Vitriol vert, *ross.* ЗЕЛЕНОИ ИЛИСА ПОЖНОИ КУПОРОСЪ. Vid. not. 414.

† *SULPHAS MAGNESIAE.*

SAL CATHARTICUS AMARUS, SAL ANGLICANUS, SAL EBSHAMENSIS.

Sal neuter, ex acido sulphurico et magnesia constans, albus, crystallis columnaribus, saporis acris, amari, aqua totus solubilis, ab alcalinis turbandus, in aëre libero deliquium non patiens, nisi murias magnesiae illi adhaereat, qui sal est valde acer et avide aquam atmosphaerae attrahit. Quo ergo siccior sal catharticus, eo melior habendus. Depurationem vide SECT. 2da.

Habetur ex lixiviis ultimis, post coctionem salis culinaris residuis, in Anglia et apud nos.

Not. 36. *Germ.* Bittersalz, schwefelsaure Talkerde, *dan.* Engelsk Laxeersalt, *angl.* Bittersalt, *gall.* Sel amer. Purum sulphas magnesiae continet acidi sulphurici 0,33. Magnesiae 0,19 aquae 0,48. Sal amarum, quod hodie sub nomine salis anglici ex Britannia nobis advehitur, ex aqua marina conficitur. Separato crystallisatione primum sale communi, additur colcothar. Acidum sulphuricum in hoc latens ferro adminiculo coctionis relicto, magnesiae ambit consortionem, salemque praebet amarum, crystallisatione condensandum. Continet hoc tantumdem muriatis potassae, quod vel cum copiosa crystallisationis aqua intrat, vel externe adhaeret, ita, ut facile in aëre atmosphaerico deliquescat. In Gallia sal, quod a Glaubero nomen fert, perturbatione crystallisationis in minuta redigitur spicula et pro anglico divendi solet. Solvitur eadem aquae quantitate, calore gr. X. Th. R. *Vis* purgans, diluens. *Dosis* dr. j usque ad unc. j et ß. — Aqua Saidschützensis naturaliter abundat sulphate Magnesiae. Librae viginti civiles colligunt gasis carbonici cubos pollicares $14\frac{1}{11}$ magnesiae gr. $45\frac{1}{11}$ calcariae $16\frac{4}{10}$ sulphatis calcariae gr. $89\frac{1}{11}$ sulphatis magnesiae gr. $3120\frac{5}{11}$ muriatis magnesiae gr. $79\frac{1}{11}$ (*Bergmann*). Murias Magnesiae admixtum, monente *Monro*, auget vim laxantem reliquarum partium, quae hanc aquam mineralem constituunt, *Medicin. veterinar.* Hujus salis plures librae equis datae nullam alvi dejectionem produxerunt.

† *SULPHAS SODAE.*

SAL MIRABILIS GLAUBERI, SAL CATHARTICUS GLAUBERI.

Sal neuter, ex acido sulphurico et soda constans, albus, semipellucidus, crystallis majoribus prismaticis; saporis mox refrigerantis, dein amari, aqua facile solubilis; solutione limpida ab alcalicis non turbandus, in igne nec detonans, nec crepitans.

Not. 37. *Germ.* Glaubersalz, schwefelsaures Natrum, *angl.* Salt of Glauber, *gall.* Sel de Glauber. Constat ex acidi sulphurici 0,27, Sodae 0,15 aquae 0,58. Una pars sulphatis sodae solvitur in quinque partibus aquae, calore gr. X. Th. R. Hic sal, diversa via in laboratoriis chemicis fabricatus, nec lucri causa omni tempore securissima, partibus alienis interdum et nocivis inquinari potuit. Inter emtitium sincerrimus est is, qui ex salinis provenit. Nec flavo, nec glauco, nec viridi sit colore. Aëri expositus fatiscit in pulverem albiusculum, aqua crystallisationis avolante. Loco crystallorum dimidium aut sesquitertiae partes pulveris hujus pro dosi sufficiunt. Sal aperitivus Fridericianus, sal thermarum Caroli V. et sal Sedlicensis, quoad maximam partem ex sulphate sodae conflantur. *Vis.* Sine agitatione vasorum calefactante laxans, ut antecedens. *Dosis* dr. j-unc. j. Habent quamplurimi in quotidiano usu, ob pretii vilitatem et ob falsam opinionem de mirabili virtute remedii ab ejus fabricationibus perperam divulgatam, solutiones hujus salis, ast plenaria ventriculi atonia, ut aliquoties observavi, suae temeritatis poenam luere solent.

† *SULPHAS ZINCI.*

VITRIOLUM ALBUM, VITRIOLUM ZINCI

Sal medius metallicus, constans ex acido sulphurico et oxydo zinci, albidus, saporis adstringentis, in massis majoribus non crystallisatis vulgo prostans. Venale plerumque ferro aliisque metallis inquinatum, hinc ad usus pharmaceuticos paretur. Vid. SECT. 2da *Sulphas zinci.*

Not. 38. *Germ.* Weifser Vitriol, schwefelsaures Zink. *angl.* white Vitriol, *gall.* Vitriol blanc. Cum sulphas zinci venale pro usu medico dispensari, sine nequitiae specie, vix possit, arbitrio pharmaceutae relinquatur, an

commercii causa in vita communi illud praesto habere velit. V. not. 430.

† *SULPHUR.*

SULPHUR VULGARE.

Cylindri solidi, citrini, vel flavo-virides centes, igni expositi flamma coerulea ardentes, vapore acido, suffocante. Igne vasis clausis sublimati FLORES SULPHURIS *constituunt, qui probe loti* SULPHUR DEPURATUM *praebent.*

Not. 39. *Germ.* Schwefel, *belg.* Schwavel, *dan.* Svovel, *suec.* Svafvel, *angl.* brimstone, *gall.* soufre, *ital.* solfo, *hispan.* Azufre, *lusit.* Enxofre, *ross.* СѢРА (Sera), *polon* Siarka. Pondus specificum sulphuris nativi 20,332. Sulphur, corpus peculiare, ore detentum non plane insipidum, comburitur cum odore ingrato, et, dum fricatur, nasum paululum ferit, cuti diu adhaeret, et gase hydrogenico in tetrum foetorem mutatur. In aqua non solvitur. Arsenicum sulphuri admixtum esse apparebit, si residuo ex detonatione partis unius sulphuris et quatuor partium kali nitrici aqua destillata excepto et filtrato, solutio saturata nitratis argenti admiscetur et arsenicum rubicunde in eo fundum petit. *Vis.* Fuere, qui effectum, quem in corpore humano producit, negarunt. Interne sumtum cum sudore odorem suum communicat. Faeces ex eo foetidiores fiunt, et ornamenta argentea in corpore gesta nigrescunt. Sanguinis praeterea motum stimulat et secretiones promovet. Alvum laxat, scabiem sanat. *Usus.* In catarrhis inveteratis omni tempore praedicatum est, atque a nonnullis in arthritide et rheumatismo *(Barthez).* In haemorrhoidibus a pluribus ut specificum quasi celebratur. R. Sulph. depur, scr. j kali sulphuric. dr. ß -- scr. jj flaved. Art. Aurant. gr. jj m. f. pulv. Dosis pulv. j matutino tempore *(Weikard).* Interne tantum sumtum, si unquam psoram sanaverit, certissime tarde votis cessit. Externe quidem inter remedia antiscabiosa primarium occupat

locum. *Unguentum sulphureum.* R. Sulphuris unc. jjj axung. porc. q. s. Inter quatuor dies ad regionem brachii, inguinum, et genu matutinis et vespertinis horis infricetur. (*Fritze* in ejus Annal. des klinisch. Instituts in Berlin. H. I.). Huic massae muriatis ammoniae dr. jj addi jubet ante dictus medicus. Multorum cuti autem hoc additamentum obversatur, pustulas elevans. *Horn* in nosocomio berolinensi, quod Charité dicunt, usitatur jam demum prosperrime unguento ex sapone viridi et sulphure ob pretii vilitatem, quod nec vitupero in pauperibus, et in eis, qui parum illo nauseantur, nec opinor, sententiam *Bruckneri* (Mecklenb. gemeinn. Bl. B. III.) linteum sapone viridi lavatum cum sudore hominum pediculos generare, ejus usui obstare, cum eam erroneam esse putem, et combinatione saponis istius cum sulphure progeniem pedicularem magis evitari, quam promoveri mihi fere persuadeam. *Medicina veterinaria.* Medici veterinarii communiter addunt sulphur pulveribus et electuariis, quibus in morbo glandoloso equorum (*Druse*) utuntur. *Pulvis Kerstingi contra morb. glandul. equor.* R. Rad. Pimpinellae - Vincetoxic. - Angelic. - Gentian. ana unc. jj Bacc. Juniperi unc. jjj Hb. marrub. alb. — Absinth. ana mp. jjj. Sulphur. comm. libr. j. Dosis unc. ß mane et vesperi pabulo inspergenda. *Electuarium Kerstingi contra morb. gland. equor.* R. Rad. Gentian. rubr. unc. jjj Sulphur. commun. libr. ß, placent. semin. Lini libr. j solut. Sapon. in aqua q. s. ut f. Elect. Illinatur linguae animalis mane et vesperi cochl. j. *Unguentum Sickii contra scabiem equorum.* R. Butyr. non salit libr. jj sulphur. unc. jj. Aluminis unc. j olei Terebinth. unc. j. Infricatur partibus scabiosis. Duobus aut tribus diebus praeterlapsis, et ulcusculis psoricis nondum exsiccatis, animal lavatur ubertim cum liquore corrodente, qui sequenti modo paratur. R. Fol. Tabac. communis convolut. libr. jjj coqu. cum aqu. Mens. X per hor. dimid. Per pannum colat. adm. muriat. ammon. unc. jj acid. sulphuric. concentr. unc. j (*Sick*). Vix notare debeam acidum sulphuricum murias ammoniae hic esse decompositurum.

† *SULPHURETUM HYDRARGYRI RUBRUM.*

CINNABARIS FACTITIA IN MASSIS.

Praeparatum hoc in massis ingrediatur officinas, a Pharmacopaeo in pulverem redigendum. Sint hae massae compactae, texturae crystallinae, obscuri ruboris, friabiles et igne forti plane avolent. — Carboni ignito inspersa cinnabaris odorem spargat sulphureum, nec resinosum, nec alliaceum; flamma ardeat laete coerulea, neutiquam rubra.

Not. 40. *Germ.* Zinnober, *angl.* Cinnabar, *gall.* cinabre. Cinnabaris nativa commercii causa in officinis prostare potest, at medicaminis loco non adhibeatur, nisi ab ipso pharmaceuta parata fuerit. *Usus.* Ut suffimentum raro hodie adhibetur.

† *SULPHURETUM STIBII NATIVUM.*

ANTIMONIUM CRUDUM.

Substantia ponderosa, solida, splendens radiis, seu striis crystallinis splendentibus ex coeruleo griseis; in igne liquescens, odorem sulphuris accensi spargens, et tota tandem avolans.

Pars superior coni, vel placentae, e mineris eliquatae, spongiosa, levis, impura et parum metallici habens, rejicienda.

Not. 41. *Germ.* Spiefsglanz, *dan.* Spidseglas, *suec.* Spitsglas, *belg.* Spiesglas, *angl.* the antimony, *gall.* Antimoine, *ital. hisp. & lusit.* Antimonio, *polon.* Szpiglas, *ross.* СЮРЬМА. Stibium sulphuratum nigrum Ph.

Boruss. Pond. specific. 4,700-5,000. Constat ex partib. 47 stibii, et sulphuris 26. Ungaricum plurimum aestimatur. *Vis.* Nonnunquam nauseam produxit et ipsum vomitum. Forsan maximus effectus a sulphure pendet, aut a mutatione metalli ex acidis in ventriculo orta. *Usus:* in arthritide, variisque morbis cutaneis. *Dosis.* Interdum dr. jj innoxie datae sunt, vulgo gr. jj-scr. j. *Medicina veterinaria.* In equo, qui occisus fuit, postquam per quatuordecim dies quotidie unciae duodecim antimonii sine ullo incommodo ei fuerant intrusae, libraе duae metalli levem jacturam partium sulphurearum experti et micantis repertae sunt. Laudes igitur, quas medici veterinarii antimonio crudo attribuunt, a remediis cum eo commixtis adeptum esse videtur.

ZINCUM.

ZINCUM INDICUM.

Metallum parum ductile, lamellosum, seu tessulare, splendoris coerulescentis, fere argentei, tenax, igne liquandum et flamma pallide virenti ardens; potiori parte floccorum alborum specie sublimandum. Eligatur *Indicum;* negligatur *Goslariense;* diversis metallis heterogeneis, inprimis ferro et cupro, inquinatum.

Not. 42. *Germ.* Zink, Spiauter, *gall. & angl.* Zinc, *ross.* ШПИАУПЕРЪ (Spiagter). Pondus specif. 6,862. *Usus:* Fiunt ex hoc metallo varia praeparata pharmaceutica.

Corpora ex Regno Vegetabili.

† *ABROTANUM*, HERBA, SUMMITATES.

ARTEMISIA ABROTANUM BOTANICORUM.

Planta perennis Europae meridionalis et Orientis.

Herba amaro-aromatica, foliis setaceis numerosissimis. —

Cultura vires increscunt.

Not. 43. *Germ.* Eberraute, *dan.* Abröd, *suec.* Abrodd, *belg.* Averoon, *angl.* Southernwood. *gall.* aurone des jardins (armoisie citronelle), *ital. hisp. & lusit.* Abrotano, *polon.* Boze drzwkko, *ross.* Boschie derewo, *Icon.* Blackw. herb. T. 555. libr. Xjj herbae recentis et summitatum vix suppeditant dr. jjj olei aetherei odore et sapore plantae. Infusum nigrescit sulphate ferri. *Vis* stomachica, nervina, anthelmintica. *Usus.* Infusum in hysteria, menstruis suppressis. Dosis pulveris dr. j pluries de die.

† *ABSINTHIUM MARITIMUM*, HERBA, SUMMITATES.

ARTEMISIA MARITIMA.

Planta perennis, in littoribus marinis, praesertim argillaceis, frequentissima.

Herba foliis multipartitis, tomentosis, racemis cernuis, flosculis femineis ternis; aro-

matica, camphorae odori non absimilis, amara, salina.

Not. 44. *Germ.* Seebeifuſs, *dan.* Vild cypres, *suec.* Svenskt marum, *belg.* Zee-Alsem, *angl.* maritime southernwood (Sea wormwood), *gall.* armoise maritime, *ital.* Assenzio maritimo. *Icon.* Zorn T 435 Et in anglorum officinis reperiunda, Artemisiae absinthio autem plane non absimilis.

† *ABSINTHIUM VULGARE*, HERBA, SUMMITATES.

ARTEMISIA ABSINTHIUM.

Planta perennis; colitur in hortis Nordvicensibus, aliisque botanicis.

Herba florens amarissima, aromatica, recens subnarcotica, floribus compositis exiguis, subglobosis, pendulis, receptaculo villoso, foliolis compositis multifidis.

Not. 45. *Germ.* Wermuth, *dan.* Malurt, *suec.* Malört, *belg.* Alsem, *angl.* common Wormwood, *ital.* Assenzio, *hisp.* Ajenjo, *lusit.* Absinthio, *gall.* Absinthe commune, *polon.* Piolun, *ross.* ПОЛЫНЬ (Polin). *Icon.* Zorn T. 34. Folia floribus amariora. Ex libr. 25 herbae Absinth. obtinentur olei aether. dr. Vj-X. *Vis* nervina, stomachica, anthelmintica. Quidam ex usu herbae congestiones versus caput perceperunt. Dosis pulv. dr. ß. Infusum semivinosum efficacissimum, sulphate ferri nigrescit. Gutt. XX-XXX solutionis dr. ß olei aetherei Absinth. in spirit. Vin. rectificat. et spiritus sulphurico-aetherei ana dr. jj omni hora aut omni bi- aut trihorio sumtae vomitus spasticos efficaciter sistunt. (*Piderit*).

† *ACETOSA VULGARIS*, FOLIA RECENTIA.

RUMEX ACETOSA.

Planta perennis, in pratis omnibus sponte nascens.

Herba acida, refrigerans, floribus dioecis, foliis oblongis sagittatis. — Cultura grandescit et gratior fit; sola culta officinas intrat.

Not. 46. *Germ.* Sauerampfer, *dan.* Suramper, *suec.* Aengsyra, *belg.* Veldzuuring, *angl.* the common Sorrel, *gall.* Oseille ordinaire, *ital.* Acetosa, *hisp.* Azedera, *lusit.* Azedeira, *polon.* Szczaw, *ross.* Konnewoi schawel. *Icon.* Zorn T. 70. Foliis oxalatis aciduli potassae inest $\frac{1}{400}$, quod cum sale acetosellae convenit. *Usus* plurimum diaeteticus. Siccata herba, sapore privata, inefficax evadit, recens masticata, mitigat ranunculorum acrimoniam, eamque inertem reddit.

ACETOSELLA, HERBA RECENS.

OXALIS ACETOSELLA.

Planta perennis, in sylvis muscosis et ad sepes umbrosas.

Herba acida, refrigerans, scapo unifloro, foliis ternatis, obcordatis, radice dentata.

Not. 47. *Germ.* Sauerklee, *dan.* Skovsyrer (Giogemad), *suec.* Gökmat, *belg.* Zuurklaver, *angl.* the wood Sorrel (acid trefoil), *gall.* Alléluja (Surelle blanche), *ital.* Alleluja, *hisp.* Alleluya, *lusit.* Azedinha, *polon.* Szczawik, *ross.* Saitschaitschawel. *Icon.* Zorn T. 9. Herba continet $\frac{1}{320}$ oxalatis aciduli potassae (Salis acetosellae, Sauerkleesalz). Herba siccata, ut antecedens, efficaciam perdit. Vid. not. 215.

† *ACETUM VINI.*

Liquor acidus, ex fermentatione vini acida

natus; sit gratus, reficiens, pellucidus, flavo-albus, trigesima sui ponderis parte potassam depuratam saturans. Adulterationes cum acido sulphurico muriatico aliisque per reagentia dijudicentur.

Not. 48. *Germ* Weinessig, *belg.* Wynazyn, *dan.* Viinaedike, *angl.* Vinegar, *gall.* vinaigre, *ital.* Aceto di vino, *ross.* УКСУСЪ. Acetum ex quovis liquore, fermentationi vinosae subjecto, parari potest. Cum chemia recentior elementa aceti, carbonium scilicet, hydrogenium et oxygenium luculenter exposuerit, atque methodum, qua componi possunt, explanaverit, nullo modo pharmacevtae vitio verti potest, si ob variam et frequentem aceti vitiationem illud propria industria producere studet, Optime evadet ex Tartritis Potassae libr. j spirit. vin. libr. jß et aquae libr. XVj. Aqua tartriti potassae fervide infunditur, et postquam refrixit, spiritus vini. Vase leviter operto, compositum aestivo tempore sub aedium tecto, hiberno autem juxta fornacem aut sub ea collocatur. Quodlibet acetum crudum continet praeter acidum aceticum et tartaricum, tartritem potassae, saccharum mucosum, terram calcaream, alcoholem, et aquam, atque id, quod ex melle et fructibus horaeis eruitur, acidum malicum. Pharmacopoea borussica vult acetum, cujus unc. jj perfecte saturant carbonat. potassae dr. j. Partes acres, quae aceto ex pipere hispanico et similibus fraudulenter adjectis adhaerent, gustu explorantur, dum labium oris superius puro, inferius adulterato, humectatur. Evaporato fluido restabit in labio inferiori sensus urens, qui in superiori non percipitur. Mihi quoque visum est, saturationem potassae ex aceto falsificato adulterinam naturam eodem sensu sufficienter prodere. *Vis.* Acetum refocillat nervos, ejusque rei causa ebrietati adversum, diaphoresin promovet, sitim lenit. *Usus.* In morbis acutis inter potum, in mania et melancholia. Unc. jj conciliant aquae unc. XXXjj gratum saporem. *Externe* in fomentis. Clysmata ex aequali portione aquae et aceti optime egerunt in per-

tinaci alvi obstipatione *(Herz* Br. I. p. 19). Laudantur eadem crebro et tepide injecta, vesica tamen nec siphone, ex unc. jj aceti et totidem aquae commixta, in tenesmo dysenterico, sphinctere ani simul oleo camphorato illito (*Birnstiel* de dysent. p. 293). Vapores ex aceto expectorationem promovent, et tumorum dissolutionem. Vid. not. 351 et 477.

ACONITUM, HERBA.

ACONITUM CAMMARUM?

Planta perennis in Hercynia et Austria frequens. Colitur in hortis; cultura autem omnis ferme vis medica perit.

Folia acria, palmata, quinquepartita, lobis dissectis. Napello maxime affinis, at vero grandior, floribus non ita coeruleis, at violaceis, majoribus, et galeae acumine longiore, foliis latioribus, majoribus.

Not. 49. *Germ.* Eisenhütlein, *dan.* Stormhat (Blaae munke), *suec.* Stormhatt, *belg.* Monnikskappen, *angl.* monkshood, *gall.* Aconit, *ital. hisp. & lusit.* Aconito. *Icon.* A. cammar. Zorn T. 299 et A. Napelli ibid. T. 49. Siccata herba in pulverem redacta ut recens excitavit ardorem linguae *(Störck)*. Et radici plantae insignis acrimonia insidet. Herba aconiti Napelli ab aconito cammarum virtute non differt. *Vis.* Dosis sat magna (e. q. dr. j in adulto) producit anxietatem summam, vertiginem, capitis gravitatem, frontis sudorem, animi perturbationem variam, et nervorum, immo letifera fieri potest *(Mathiolus)*. *Usus* in arthritide et rheumatismo. Extractum Aconiti dare solent medici, quamvis infusum herba exemplo beati *Meckeli* halensis effectum non eludat. Vid. not. 455.

† *ACORUS, CALAMUS AROMATICUS,* RADIX.

ACORUS CALAMUS.

Planta perennis, in fossis, piscinis, stagnisque crebra.

Radicis odor fragrans, sapor aromaticus, amarus. Caeterum radix est longa, digitum circiter crassa, subcompressa, geniculata, notata, prout in officinis prostat, deorsum cicatriculis numerosis ex resectis radiculis, subfusca, et spongiosae texturae.

Not. 50. *Germ.* Kalmus, *dan. suec. & belg.* Kalmus, *angl.* calamus aromaticus of the shops (the sweet smelling flag), *gall.* Acorus vrai, acore odorant, *hisp. & lusit.* Acoro calamo, *ital.* acoro (canna odorifera), *polon.* Tatarskie ziele (tatar. Kraut), *ross.* КАСАШИКЪ ИРЪ. *Icon.* Zorn T. 207. Ex libra una radicis extracti sunt scr. jj-dr. j olei aetherii. Infusum aquosum, sulphate ferri non nigrescens, partes amaras potissimum arripit, spiritus vini aromaticas. *Trommsdorff* ex unc. 64 radicis eruit olei 13,33 gr. materiae faeculentae singularis unc. j et gr. 1,00. principii extractivi unc. jj dr. j et gr. 10,00 cum pauxillo muriatis potassae gummat. unc. jjj et dr. jV cum pauxillo phosphatis potassae, resinae sordidae unc. j et dr. jV part. fibr. unc. 13 et dr. 6 praeter aquae unc. 41 et gr. 35,67. *Vis* stomachica, antiscorbutica, calefaciens. *Usus* in febribus malignis in infuso, in rheumatismo in pulvere (*Horn*). *Hoffmann* moguntinus dedit de die 6-8 pulveres ex rad. Calami scr. jj et sacchar. scr. j scorbuticis. Idem parari jussit cerevisiam ex hac radice, dum addebat libr. dimid. ejus cado cerevisiae adhuc fervidae. *Externe* odorem ulcerum cancrosorum emendat.

AGARICUS QUERNUS.

BOLETUS IGNIARIUS.

In truncis variarum arborum.

Fungus acaulis, pulvinatus, laevis, poris tenuissimis, rite praeparatus, igni amicissimus, non flamma, at serpente igne combustibilis.

Not. 51. *Germ.* Zunderschwamm, *dan.* Tyndersvamp, *suec.* Biörkticka, *belg.* tontelige Zwam, *angl.* the touchwood boletus, *gall* Bolete amadou, *ital.* Boleto esca, *hisp.* Boleto yesca, *lusit.* Boleto da isca, *polon.* Gubka, *ross.* ДРЕВЕСНАА ГУБКАПРУШЪ. *Icon.* B. igniar. Fl. Dan. T. 953. *Vis* styptica, quondam laudata, illi non inest, sed sola pressione haemorrhagias sistit, linteo carpto, chartae bibulae, et similibus igitur non praeferendus. In officinis superfluum puto.

AGRIMONIA, HERBA.

AGRIMONIA EUPATORIA.

Planta perennis in pratis apricis, ad sepes et vias indigena.

Herba recens subaromatica, subamaricans, subaustera. Folia interrupte pinnata; foliola ovata, serrata, impari petiolato.

Not. 52. *Germ.* Odermennig, *dan.* Agermaane, *suec.* Akermönja, *belg.* Agrimonie, *angl.* Agrimony, *gall.* agrémoine, *ital. hisp. & lusit.* Agrimonia, *polon.* Rzepik, *ross.* Repnik (kleine Klette). *Icon.* Zorn T. 206. Siccata herba ullius odoris expers. Restat paululum principii adstringentis, quod sulphas ferri in infuso aquoso indicat. *Vis.* Levissime fibrillas musculares contrahit. In officinis superflua.

ALLIUM, BULBUS.

ALLIUM SATIVUM.

Planta in Sicilia sponte provenit; frequens colitur in hortis.

Odor bulbi specificus, penetrans, volatilis, sapor acris.

Not. 53. *Germ.* Knoblauch, *dan.* Hvidlögen, *suec.* Hvitlöken, *belg.* Knoflook, *angl.* Garlick (quasi gardenleek), *gall.* l'ail commun, *ital.* Aglio commune, *hisp.* Ajo, *lusit.* Alho, *polon.* Czosnek, *ross.* ЧЕСНОКЪ (Tschesnok). Habitat haec allii species in Sicilia. *Icon.* Morison tab. 15. fig. 9. Succus ex recenti radice elicitus constituit fere quartam ejus partem, qui, etsi modico igne inspissetur, retinet alliaceum saporem. Et ipsa radix siccatione nec inodora fit, nec insipida. Ex Allii decorticati libr. j olei aether. dr. j evocata est. (*Spielmann*). *Cadet* nullum quidem extrahere potuit. Aqua et acetum decoctione facilius suscipiunt radicis qualitates, quam spiritus vini. *Vis.* Radix Allii cuti applicata, eam rubefacit, et liberalius ingesta non modo halitum odore suo inquinat, sed ipsum lotium, lac et sudorem. *Usus:* uberior culinaris. In asthmate, catarrho et hydrope jam dudum laudatur. Vulgare inter plebem domesticum anthelminticum. *Bergius* commendat allium in febribus intermittentibus, quae autumno grassantur. Incipitur cum bulbulo, mane et vesperi, unum quotidie addendo, usque dum aeger 4-5 qualibet vice sumserit. Febri cessante unum vel alterum bulbum eodem tempore per plures septimanas commedere prodest. In surditate rheumatica saepius levamen attulit, lanam bombycinam succo allii imbibitam auris orificio aliquoties de die immittere. Meatus auditorius inde rubescit, et dolet. Epidermis desquamatur, et non raro auditus redit. *Id.* Evertendae febris intermittentis causa allium contusum quoque carpis imponebatur.

† *ALOË SUCCOTRINA*, GUMMI-RESINA.

ALOË PERFOLIATA.

Frutex succulentus utriusque Indiae et Africae meridionalis.

Gummi-resina rubro-nigricans, purpurascens, nitens, diaphana; in pulverem redacta, aurea, splendens, saporis amaro-aromatici, odoris aromatici myrrhini.

ALOË HEPATICA coloris obscurioris, durior, siccior, gravior, non ita splendens, nec diaphana, amaritiei caeterum magis nauseosae, odorisque fortioris, minus grati.

ALOËS CABALLINAE denique foetor ingratissimus; color longe obscurior, et sordities manifesta sufficiant, ut a reliquis distinguatur.

A promontorio bonae spei aloës species advehitur, SUCCOTRINAE maxime affinis, at minus pellucida, odoris minus grati aromatici, CAPENSIS dicta.

Not. 54. *Germ.* die durchstochene Aloë, *belg.* de doorbladige Aloe, *gall.* l'Aloës perfolié, *hisp.* Aloes perfoliado, *ross* САОУРЪ. Aloës perfoliata varitas est umbellatae (*Persoon*). Plures plantae species suppeditant, ut videtur, hunc succum officinalem. Optimus nomen accepit ab insula Zocotora et aloae spicatae debetur. *Icon.* Aloës perfol. in pl. grasses. Vilior, caballina scilicet, inter alias insulas americanas ex barbadensi in cadis exportatur. Pulvis succotrinae aureo-lutescens, caballinae rubro-brunneus est, hepaticae rubro-lutescens. Seriori tempore hic succus peramarus saepius Gummi Mimosae et Colophonio est adulteratus. Solvi-

tur aloës ob arctum nexum gummi et resinae tam spiritu vini, quam aqua, posteriori autem sub nebula. Ex experimento *Friderici Hoffmanni* elucet, aloëm multum de sua vi coctione perdere. Teste *Lewiso* succotrina continet resinae $\frac{1}{4}$, hepatica $\frac{1}{3}$ et caballina $\frac{1}{6}$. Aloës hepatica exhibuit *Tromsdorfio* 12,5 materiae albuminosae, 81,25 principii extractivi vegetabilis, sive saponacei, et 6,25 resinae cum exigua quantitate acidi gallici sine omni oleo aethereo. *Vis.* Alvum purgat, non sine torminibus, et ut ex tardo effectu apparere videtur, inferiorem canalis intestinalis partem peculiariter excitat. Producit inturgescentiam vasorum haemorrhoidalium et, ob vicinitatem in sexu sequiori, congestionem sanguineam versus uterum. *Fallopius* (de medicam. purg.) jam his verbis hunc effectum pronunciat: „Experientia docet, quod „frequens usus aloës aperit venas haemorrhoidarum, quod „ego millies vidi, et ex centum eorum, qui utuntur fre„quenter aloë ad excernendas faeces, videbitis, nona„ginta pati fluxum haemorrhoidarum." Vis purgans residet in parte gummosa. *Usus.* Dubito, an huic potissimum remedio morbi haemorrhoidalis pellendi vis tribui unquam possit; fluxus enim haemorrhoidalis altius radices agit. Nondum sat certum est, an vermes expellat. In alvi segnitie, ab atonia intestinorum exorta, moderatus usus saepissime conduxit, digestionem simul adminiculans. Brevi ante prandium hoc in casu dedit *Wedekindus* gr. j-jj in pilulam redacta, et utiliter fieri, non semel vidi. *Externe* chirurgi ea in carie adhibere consueverunt. Tenendum autem, applicatione extrinseca excretiones alvinas non raro auctas esse. *Dosis:* Grana quaedam usque ad dr. j. Ob amaritiem ingratam plerumque pilulae ex hoc succo formantur. *Medicina veterinaria.* Hippiatri dant equis unc. ß — unc. jß ut purgans (*Waldinger*).

† *ALTHAEA*, RADIX, FOLIA, FLORES.

ALTHAEA OFFICINALIS.

Planta perennis solo argillaceo humido cres-

cens. Colitur in hortis Nordvicensibus aliisque botanicis.

Radix teres, calamum vel digitum crassa, extus subgrisea, vel flava epidermide obducta; intus alba, mucilaginosa, subdulcis.

Folia triangularia, tomento cinereo mollissimo tecta, itidem mucilaginosa.

Flores malvacei, mucilagine divites.

Not. 55. *Germ.* Althee, Eibisch, *dan.* Ibisk, *suec.* Ibisrot, *belg.* gemeene Heemst, *angl.* the common Marsh mallow, *gall.* Guimauve, *ital.* Altea, *hisp.* Althea, *lusit.* Malvaisco, *polon.* slaz wielki Lèsny (d. i. grofse wilde Pappel), *ross.* ПРОСВИРНЯКЪ (Proswurnjak). *Icon.* Zorn T. 42. Ad dimidium fere ponderis radix hujus plantae mucilaginem erogat, herba vix quartam partem. *Vis.* Nutriens. Humorum acrimoniam saltim in primis viis involvere, atque dispendium muci naturalis in intestinis quodam modo haec planta resarcire videtur. *Usus* in decocto. Sufficiunt dr. jj-jjj radicis pro aquae libr. j, ne mucilaginis copia taedium pariat.

† *AMMONIACUM GUMMI*, GUMMI-RESINA.

Ignotae plantae; umbelliferae Africanae?

Gummi-resina recentior albo-flavescens, annosior vero ex substantia flavescente vel rufescente cum granis lacteis intermixta constans, odoris gravis, balsamici, nauseosi, saporis subdulcis, leviter amari. Rejiciatur heterogeneis inquinata.

Not. 56. *Germ.* Ammoniak-gummi, *gall.* Gomme ammoniaque. Solvitur, spiritu vini digesta, quoad dimidiam partem, et cum aqua, cerevisia, vino, atque aceto vini triturata, lactescentem praebet mixtionem. Non in eo

latet oleum aethereum. *Usus.* Nimia laude extulerunt medici prisciores hanc gummi-resinam in morbis pectoris chronicis et viscerum obstructionibus. *Dosis* scr. j-jj. *Lac Ammoniaci Ph. Lond.* R. Ammoniac. dr. jj Aqu. dest. libr. ß terendo misc. ter de die cochlear magnum j-jj. *Externe* cum aceto scillitico subactum in emolliendis tumoribus frigidis usum praestitit.

† *AMYGDALE DULCES* ET *AMARAE, NUCLEUS.*

AMYGDALUS COMMUNIS.

Arbor in septentrionali Africa sponte nascens; in Italia, Gallia, Sicilia copiose culta; etiam nostrum fert clima. AMYGDALAE DULCES. *Comparandae Italicae, vel Florentinae, quae crassiores, longiores, gratiorisque saporis sunt. Rejiciantur erosae, fractae, rancidae, vetustae.*

AMYGDALAE AMARAE *omni titulo conveniunt cum dulcibus, nisi sapore, qui in hisce amarus.*

Not. 57. *Germ.* Mandeln, *dan. & suec.* Mandel, *belg.* Amandel, *angl.* Almond, *gall.* Amande, *ital.* Mandorlo, *hisp.* Almendro, *lusit.* Amendo, *polon.* Migdalowe, *ross.* Mindalnoe. *Icon.* amygd. comm. Zorn T. 301. Continent amygdalae fere dimidium olei pinguis. *Vis* nutriens, involvens. *Usus. Emulsio communis.* R. amygdal. dulc. unc. jj-jV f. emulsio. c. aqu. font. unc. Vjjj-XVj. Grati saporis causa quaedam amygdalae amarae adteri solent. Saccharum, quod a nonnullis aegrotis repudiatur, pro lubitu ab his addi potest. Sufficit plurimis unc. ß sacchari in unc. Vjjj emulsionis. *Emulsio communis Ph. Edinb.* R. amygdal. dulc. unc. j-amar. dr. j aqu. font. libr. jj Col. D. vasculatim, *Emulsio arabica Ph. Edinb.* Fit ut antecedens, dum amyg-

dalis sub contundendo Gummi arabici unc. jjß adduntur. *Emulsio salina Ph. suecicae.* R. Alkal. veget. tartaris. dr. jj mell. unc. jß aquae fluviatilis libr. j dilut. Tritur. in mortario marmoreo cum amygd. dulc. contus. unc. j dein colat. D. vasculatim. Quod partes oleosas attinet, utraque amygdalarum species non differt, cuticulae autem amarae idem principium peculiare narcoticum (acidum borussicum, Blausäure) insitum est, quod Laurocerasi foliis, cerasorum nucleis aliisque proprium est. *Usus.* Amygdalae amarae in febribus intermittentibus opem tulerunt. Paravit ex illis *Bergius* emulsionem ad exemplum suecicae salinae sine tartrite potassae, de qua dedit tempore intercalari libr. j-jj.

ANETHUM, SEMEN.

ANETHUM GRAVEOLENS.

Planta annua in meridionali Europa sponte nascens, in hortis apud nos culta.

Semina ovata, striata, compressa, superficie altera plana, altera convexa, margine membranoso, dilute fusca, odoris fragrantis, saporis aromatici calidi.

Not. 58. *Germ.* Dill, *belg.* Dille, *dan.* Dil, *suec.* Dill, *angl.* Garden Dill, *gall.* l'Aneth, *ital.* Aneto, *hisp.* Eneldo, *lusit.* Endro, *poton.* Kopr, *ross.* Ukrop. *Icon.* Zorn T. 512. Odor seminis Anethi siccati, narcotico dissipato, odori seminis carvi simillimus, sicut figura semini Foeniculi. Libr. jV semin. Anethi sicci expediebant olei aetherei unc. jj. *(Baumé).* *Vis:* carminativa, lactifera. *Dosis* gr. XX-XXX.

ANGELICA, RADIX.

ANGELICA ARCHANGELICA.

Planta biennis in Lapponia, Norvegia, Islandia etc., sponte crescens, in hortis Nordvicensibus aliisque culta.

Radix, altero demum anno effodienda, sit crassa, rugosa, fibrosa, fusca; per longitudinem dissecta in canalibus exiguis flavam prodit gummi-resinam: odore admodum fragranti moschum aemulatur.

Ne confundatur cum radice *Angelicae sylvestris*, quae debilior, minor, et canalibus dictis caret.

Not. 59. *Germ.* Die edle Angelika oder Engelwurzel, *belg.* Tamme Engelwortel, *dan.* Angelik, Fadnobusk, *suec.* Anglaört, *angl.* the Garden Angelika, *gall.* Angélique des jardins, racine du St. Esprit, *ital.* Angelica, *hisp.* Anjelica, *lusit.* Angelica hortense, *polon.* Dziegiel ogrodni, *ross.* ДЯГИЛЬ (Djagil). *Icon.* Zorn T. 273. Planta ad umbellatas maximas in Germania referenda. Radix effodiatur tempore vernali, foliis radicalibus propulsis. Ex libr. j extrahebantur primum extr. aquosi dr. jjj dein extr. spirituosi dr. jjj olei autem aetherei dr. j (*Gleditsch*). *Vis* nervina, calefaciens, diaphoretica. *Dosis* pulver. gr. XV--XX. Infusi aquosi rubro-purpurascentis nec sulphate ferri nigrescentis, ex unc. ß cum aqu. unc. Vjjj parati, dentur omni hora aut bihorio cochl. jj magna.

ANGUSTURA, CORTEX.

MAGNOLIA PLUMAERI? AN VERO BRUCEA ANTIDYSENTERICA, SEU FERRUGINEA?

Ex insula Angustura Americae meridionalis. Cortex frustis convexis, diametri circiter sesquipollicis, vel minoris, longitudinis plerumque sex pollicum, lineam circiter dimidiam crassis, diffractis, splendentibus et resinosis, numquam fibrosis, extus inaequalibus et sulcatis, ex fusco ochroleucis, saporis amari, aro-

matici, subcinnamomei; in pulverem tritus, colore rheum aemulatur.

Not. 60. Dicitur haec planta in America meridionali Quinquina del Angustura. Eques *Willdenovius* eam in honorem *Bonplandii*, a quo primum exacte descripta est, novo generi ut speciem hucusque unicam sub nomine *Bonplandiae trifoliatae*, addixit. *Icon. Hayne* Arznei-Gewächse I. T. 18. Intravit tabernas pharmaceuticas cortex ex India orientali, qui, etsi genuino similis sit, periculosa tamen symptomata, vertiginem scilicet, vomitum aliaque producit. Verus praeditus est sapore nimis amaro-aromatico, diu perdurante nec ingrato. Sulci, qui superficiem externam perrepunt, transverse decurrunt. Fragmenta falsi colorantur exterius, lichenibus verruciformibus adnexis, albido-subflave, et rubiginose; interius subnigre, atque sapore vix quassiae cedunt. Infusa ex eis parata sulphate ferri nigrescunt *(Rambach)*. Monente *Tromsdorffio* genuinus angusturae cortex non plane principii scytodephici expers repertus est. libr. jV dabant extr. aquosi libr. j et unc. X, atque olei aeth. dr. j *(Hayne)*. *Vis:* tonica, digestionem promovens. *Usus* in anorexia, diarrhoea. Contra febres intermittentes frustra hic cortex militavit. *(Alibert)*. *Dosis* pulv. gr. X-scr. j. Infusum angusturae ex cort. unc. ß et aqu. fervid. libr. j cochleatim omni bihorio datur.

† *ANISUM*, SEMEN.

PIMPINELLA ANISUM.

Planta annua Aegyptiaca. Colitur in variis Europae regionibus.

Semina pedunculata, oblonga, ventricosa, striata, subviridia, suaveolentia, ex subdulci aromatica. Praeferuntur semina ALONENSIA, *quae minora et gratiora.*

Not. 61. *Germ.* Anis, *belg.* Anys, *dan. & suec.* Anis, *angl.* Anise, *gall.* l'Anis, *ital.* Anice, *hisp. & lusit.* Anis.

polon. Anyz, *ross.* АНИСЪ. *Icon.* Zorn T. 128. Ex libr, jjj seminis et quidem maxime ex ejus cuticula, cui modo insidere videtur, olei aetherei unc. j et plus eliciebat *Lewisius. Vis:* carminativa, expectorans. *Usus:* in flatulenta affectione et catarrho sine gravi febri. *Dosis:* dr. ß et plus vid. not. 405. *Medicina veterinaria.* Columbis praesentaneum est venenum *(Vogel).*

† *ANISUM STELLATUM,* FRUCTUS.

ILLICIUM ANISATUM.

Arbor Japonica.

Capsulae coriaceae sex vel octo, invicem stellatim junctae, compressae, uniloculares, monospermae, ferrugineae, aromaticae, semina includentes fusca, splendentia, sapore et odore anisi.

Not. 62. *Germ.* Sternanis, *belg.* Steranys, *dan.* Stierneanis, *suec.* Stjernanis, *gall.* Anis étoilé de la Chine, *angl.* the Anise stellated, *ital.* Anice stellato, *hisp.* Anis de la China, *lusit.* Aniseira da China. *Icon. Kämpf.* amoen. exot. p. 880. Capsulis potissimum inhaeret aroma, et seminum cortici. Oleum aethereum in stellato acrius est, quam in Aniso vulgari. *Vis.* Ratione virium parum differunt hae capsulae a semine antecedente.

† *ARABICUM GUMMI.*

MIMOSA NILOTICA.

Arbor in variis Africae regionibus frequens.

Glebulae magnitudinis diversae, siccae, durae, rugosae, diffractae splendentes, fere diaphanae, lutescentes, aut rubellae, mucilagineae. Rejiciantur frusta sordida, rubra, pulla et nigrescentia, aqua difficulter solubilia.

Not. 63. *Germ.* Arabisches Gummi, *gall.* Gomme arabique, *angl.* Gum arabick, *ross.* АРАБИЙСКАЯ КАМЕДЬ *Icon.* Mimos. niloticae Zorn T. 586, mimosae Senegal. Zorn T. 385. Inodorum et insipidum. Residuum unciae gummi arabici destillationi submissae continet phosphatis calcariae dr. j et gr. XLVj. (*Pfaff*). Dupla quantitas aquae illud inmucilaginem convertit, (vid. not. 489). In variis corporibus solvendis et aquae appropriandis, uti: camphora, oleo, et resinis optimum praebet ministerium. Olei cujusvis unguinosi dr. jj cum aquae uncia una subigendis sufficit dr. j mucilaginis. *Vis:* nutriens, involvens, leniens. *Usus.* Per binos menses hoc gummi, reliquo victu consumto, unice vitam in itinere sustentavit. *(Hasselquist).* In morbis, ubi canalis intestinalis muco violenter denudatur, dosores lenire, damnumque resarcire medici opinantur, eademque ex causa erosis mammillarum papillis gummi adspergunt. Pro usu interno mucilago ex aquae libr. j et gummi unc. j crassamentum offert, quod palato gratum est, et indicationibus plurimis respondet. — *Hyacynthus non scriptus* forsan in posterum dabit gummi arabici surrogatum, educit enim aqua partes gummosas 8 ex plantae partibus 50.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA, RADIX.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA.

Planta perennis Europae meridionalis.

Radix compacta, ponderosa, subglobosa, tuberosa, cortice crasso fusco, interne ex albo lutea, saporis amaro-acris, odoris fortis, nauseosi.

Not. 64. *Germ.* Runde Osterluzeiwurzel, *belg.* Osterlucie, *dan.* Huulurt, *suec.* Hällrot, *angl.* Round Birthwort, *gall.* Aristoloche, *ital. hisp. & lusit.* Aristolochia, *polon.* Kokornak, *ross.* Kirkaszon. *Icon.* Zorn T. 125. Non mirum est, efficaciam hujus radicis dubiosam esse, cum ejus loco vulgo radix Fumariae bulbosae a pharmaceutis fuit dispensata. Aristolochia rotunda et cle-

matis, quoad saporem et odorem maximam similitudinem manifestant.

ARMORACIA, RAPHANUS RUSTICANUS,

RADIX RECENS.

COCHLEARIA ARMORACIA.

Planta perennis, quae in hortis colitur, fere sola usui inservit.

Radix magna, crassa, albida, succulenta, principio volatili peracri insignis.

Not. 65. *Germ.* Meerrettig, *belg.* Meerradys, *dan.* Peberrod, *suec.* Pepparrot, *angl.* the horse-radish, *gall.* Raifort sauvage, *ital.* Armoraccio, *hisp.* Rabano rusticano, *lusit.* Armoracio, *polon.* Chrzan, *ross.* ХРѢНЪ (Chren). *Icon.* Zorn T. 457. Pars acris et volatilis plantae intrat aquam et spiritum vini. Destillatione transit olei $\frac{1}{250}$. Radix siccata paene effoeta. *Vis:* antiscorbutica. *Usus:* potior externe, cito enim inflammat cutim. Unc. jj-jV pediluvium reddunt irritans, et in delicatulis rubefaciens. Infusum radicis armoraciae cum aceto lentigines interdum discussisse non negem.

† *ARNICA, RADIX, FLORES.*

ARNICA MONTANA.

Planta perennis, quae in hortis colitur fere iners; prae reliquis praestat sponte crescens in Helvetia et Italia, cujus radix seligatur crassior.

Radix varie contorta, fibrosa, subamara, acris, fusca. Flores compositi, lutei, ex acri amari; squamulis calycinis brevioribus, non setosis, apice purpureis.

Ne confundatur cum INULA DYSENTERICA, *cujus inflorescentia est paniculata, quae uniflora, bi-vel triflora in* ARNICA. *Folia caeterum sunt cordato-oblonga, amplexicaulia, ab* ARNICAE *foliis ovatis, basi liberis dignoscenda.*

Not. 66. *Germ.* Wohlverleih, Fallkraut, *belg.* Valkruid, *dan.* Volverley, *suec.* Fibler, *angl.* the mountain Arnica, *gall.* Arnica, *ital. hisp. & lusit.* Arnica, *ross.* БАРАНЬЯТРАВА. *Icon.* Zorn T. 30. Flores radice efficaciores sunt. Unc. jj exhibuere dr. jjj extr. resinosi dulciusculi, peracris et dr. V extr. aquosi amariusculi minus acris (*Neumann*). *Vis.* Flores nervos erigunt, simulque actionem vasorum sanguineorum incitare videntur. Saepissime anxietatem producunt, cardialgiam, nauseam, et vomituritiones. Paralytici, qui eis utebantur, interdum perpessi sunt dolores lancinantes atque succussiones quasi a scintilla electrica provocatas. *Usus*: florum in paralysi, febribus nervosis, et contusionibus (*Collin*) radicis in diarrhoea (*Stoll*). *Infusum florum Arnicae.* R. Fl. Arnic. dr. j-jV infund. aqu. fervid. per hor. dimidiam. Colet. libr. j. *Dosis* cochl. jj iterata vice ita, ut infusum una die consumatur. Additis radice liquiritiae et floribus Chamomill. sapor infusi corrigitur, atque magna ex parte ventriculi tormina evitantur. Nigrescit infusum sulphate ferri. *Dosis* pulv. radicis gr. X-dr. ß. De infuso, quod fit ex radic. arnicae unc. j cum aquae libr. j, sorbillatur vasculum dimidium omni bihorio.

ARUM, RADIX RECENS.

ARUM MACULATUM.

Planta perennis in nemoribus et umbrosis Europae temperatioris locis.

Radix tuberosa, subrotunda, alba, magnitu-

dine fere ovi columbini, farinosa, friabilis; recens acerrima, siccata, multo mitior. Quae autumno colligitur, efficacior.

Not. 67. *Germ.* Aronswurzel, *belg.* gevlakt Kalfsvoet, *dän.* Tydsk Ingefaer, *suec.* Aronsört, *angl.* common Aron or wake-robin, *gall.* Pied-de-veau, *ital.* Aro volgare, *hisp.* Yaro manchado, *lusit.* Jaro, *polon.* Aronowa broda, *ross.* Aronowoi koren. *Icon.* Zorn T. 75. Principium acre, quod aqua fervida ex radice ari attrahit, ipsa ebullitione statim fere dissipatur. Si tinctura spirituosa destillationi submittitur, guttulae quaedam olei acris transeunt, sapore tincturae pimpinellae. Radix torrefacta abit in farinam esculentam. Nisi fallor supersedere possumus hac radice tantae mutabilitati obnoxia. *Dosis* gr. XX.

† *ASA FOETIDA*, GUMMI-RESINA.

FERULA ASA FOETIDA.

Planta perennis Persiae.

Substantia resinoso-gummea, viscida, consistentiae cerae, albo-lutea, vel fusco-rosea, particulis diaphanis intermixtis, odoris alliacei, nauseosi, maxime penetrantis, saporis acris amaricantis.

Not. 68. *Germ.* Stinkende Asand, Teufelsdreck, *belg.* Duivelsdreck, *dän.* Dyvelsdræk, *suec.* Dyfvelstraek, *angl.* stinking Asa, *gall.* l'Assa fetida, *ital.* Assa fetida, *hisp.* Asa fetida, *lusit.* Assa fetida, *ross.* ВОНЮЧАЯ КАМЕДЬ. *Icon.* plantae in *Kaempf.* amoen. exot. T. 536. Drachma una Asae foetidae recentis plus odoris spargit quam libr. 100 vetustioris. *(Kaempfer).* Constat gummi-resina ex gummi $\frac{3}{4}$ et resinae $\frac{1}{4}$, quibus inhaeret $\frac{1}{100}$ olei aetherei. Solutio cum aqua turbida est. *Vis:* nervis amica, antihysterica, anthelmintica. *Usus:* in hysteria, asthmate Millari. *Mixtura Asae foetidae*

Millari simplex. R. Asae foetidae dr. jß solv. in aquae font. unc. Vjjj D. per diem partitis dosibus. *Mixtura Asae foetidae Millari composita.* R. Asae foetidae dr. jj Liqu. Ammonii acetici unc. j Aqu. Pulegii unc. jjj. *Dosis* omni semihorio cochl. majus j-jj. Generatim pilularum forma in hoc remedio magis arridet, quam qnaevis alia. *Pilulae Asae foetid. simpl.* R. Asae foet. q. v. mell. q. s. Dosis adultis scr. j. Optime haec gummi-resina segnitiei alvi in senibus calcar addit. *Clysma ex Asa foetida.* R. Asae foet. vitello ovi subact. dr. jj aquae fervent. unc. X. — Non praetereundum esse puto casum singularem, in quo vir, pediculis inguinalibus per plures annos vexatus, solo emplastro antihysterico edinburgensi ab iis liberatus est, siquidem, cum haec virtus experientia comprobatur, asa foetida tutius quam frictionibus mercurialibns hospitium pediculosum dissolvitur. — Solutio asae foetidae dr. jj in acet. concentr. unc. j praeclarum odoriferum pro hystericis. *Medicina veterinaria.* Hippiatri laudant asam foetidam contra trismum, colicam flatulentam, et vermes. *Dosis* unc. ß.

ASARUM, RADIX, FOLIA.

ASARUM EUROPAEUM.

Planta perennis Europaea.

Radix fibrosa, ex griseo-fusca, saporis amaro-acris, subaromatici, nauseosi, odoris gravis, ad valerianam accedentis.

Folia reniformia, inodora, sapore nauseoso, acriusculo, in recentibus magis acri.

Not. 69. *Germ.* Haselwurz, *belg.* Hazelwort, *dan.* Hasselurt, *suec.* Hasselört, *angl.* common asarabacca, *gall.* Asaret d'Europe, Cabaret, *ital. hisp. & lusit.* Asaro, *polon.* Kopytnik, *ross.* Wodolei. Podlisnik. *Icon.* Zorn T. 74. Fortiori siccatione vires dispelluntur resinosis partibus insitae, quamobrem infusum vinosum aquoso praestat. *Vis:* emetica, anthelmintica, errhina. *Dosis* dr. ß - j. Infusum vinosum fiat ex rad. dr. jV.

† *AURANTIUM CURASSAVICUM ET HISPALENSE,*

folia et flores, nondum aperti, recentes; fructus immaturi; fructus corticis exterior pars siccata, vel recens, flavedo.

CITRUS AURANTIUM.

Arbor in Europa meridionali et in Oriente frequens; apud nos in hybernaculis culta.

Folia ovata, appendice cordata ad basin aucta; saporis amaricantis, calidiusculi, odoris fragrantis.

Florum, qui NAPHAE dicuntur, sapor amaricans; recentium odor suavissimus, siccatorum vix ullus.

Fructus immaturi cerasi magnitudinis, siccati ex viridi pulli; grate aromatici, amari.

Cortex fructus maturi aromaticus, grate amarus; Corticis pars exterior flavedo dicitur.

Not. 70. *Germ.* Pomeranzenbaum, *belg* Oranjeboom, *dan.* Pomerantstraee, *suec.* Pomeransträd, *angl.* Orangetree, *gall.* l'Oranger, *ital.* Arancio, *hisp.* Naranjo, *lusit.* Larangeira, *polon.* Pomarancza drzewo, *ross.* ПОМЕРАНЦЪ ДЕРЕВО. *Icon.* Zorn T. 495.

a) FOLIA. *Germ.* Pomeranzenblätter, *gall.* feuilles d'Orange, *angl.* the leaves of the Orange tree. *Vis:* nervina. *Usus:* in convulsionibus. Interdum in ipsa epilepsia profuisse visa est. *Decoct. fol. Aurant.* R. fol. Aurant. dr. jV coqu. c aqu. commun. libr. j usque ad colat. libr. ß. Detur pro uno praebio matutino tempore. *Infus. fol. Aurant.* R. F. Aurant. unc. ß infund.

aqu. fervid. s. q. per horae quadrant. Col. unc. Vj det. spatio unius diei. Non negligendus est usus remedii per plures menses continuatus. *Dosis* pulv. dr. ß — j quater de die. (*Tissot*).

b) FLORES. *Germ.* Pomeranzenblüthen, *gall.* fleurs d'Orange, *angl.* flowers of the Orange tree. Odor siccatione aufugit. Oleum aethereum pretiosum una cum aqua ascendit, rubrum, et fragrantissimum *(oleum sive essentia Neroli)*.

c) FRUCTUS IMMATURI. *Germ.* Unreife Pomeranzen, *gall.* fruits verts d'Orange, *angl.* green Orange. Optimum horum fructuum menstruum est spiritus vini. *Vis* stomachica. *Usus:* in anorexia, digestione tarda. *Tinctura physagoga Wendtii.* R. Pom. aurant. immatur. q. lubet. Extrahant. leni digestione spirit. muriatico aether. *Dosis* gutt. XL-LX. *Externe* fonticulis immissi effluvium alunt, cum minori ex foetore incommodo.

d) CORTEX FRUCTUS MATURI. *Germ.* Pomeranzenschaale, *gall.* ecorce d'Orange, *angl.* Peel of Orange. *Vis:* nervina, stomachica. *Usus:* in atonia ventriculi, haemorrhagia uterina a vasorum relaxatione. *Decoctum cort. aurant.* R. Cort. Aurant. unc. j coqu. c. aqu. font. unc. XVjjj Col. libr. j detur vasculatim ter vel quater de die. *(Werlhoff)*. In febribus intermittentibus interdum utilis fuit hic cortex *(Nigrisoli)*. Appetuntur non immerito cortices aurantii saccharo incrustati (*conditum aurantii corticis)* ut stomachicum domesticum. Cortices variegatis in insula barbadensi indigenae emittunt, cuticula scarificata, *oleum bergamottae.* Ex fructibus 160 obtinetur unc. j olei.

e) SUCCUS AURANTII. *Germ.* Pomeranzensaft, *gall.* suc d'Orange, *angl.* juice of Orange. Viginti quatuor mala porrigunt succi libr. jß. qui, in roob inspissatus circiter quinque uncias retinet. *Vis:* analeptica, antiscorbutica. *Usus:* in febribus, scorbuto.

† *AVENA*, SEMEN.

AVENA SATIVA.

Sponte nascens in Insula Juan Fernandez, item in Sicilia; copiose in nostra patria culta.

Semen oblongum, farinosum, utrinque extenuatum, altero extremo latiori, sulco uno medio, in longitudinem abeunte, distinctum.

Not. 71. *Germ.* Gemeiner Hafer, *belg.* gewoone Haver, *suec.* Huithafre, *angl.* the cultivated oat, *gall.* l'avoine cultivée, *ross.* ОВЕСЪ. *Icon.* Zorn T. 521. Modius berolinensis avenae continet particularum nutriciarum libr. 31½. Unc. jjj avenae erogabant amyli cinerascentis unc. jß. *Vis:* nutriens. *Usus.* Quondam ut ptisanae species increbruit *decoctum avenae Loweri.* R. avenae excorticat. unc. jjj lign. santali rubr. inc. dr. jj coqu. c. aqu. font. unc. 72 ad trientis consumtionem. Col. add. nitrat. potass. dr. jj sacchari alb. unc. j. Apozema avenae excorticatae cito acescit, hanc ob causam ultra bidui spatium non praeparetur. Cataplasmati commode praeterea inservit avena excorticata.

† *BARDANA*, RADIX.

ARCTIUM LAPPA.

Planta biennis, ubique obvia, in hortis Nordvicensibus, aliisque culta.

Radix fusiformis, ramosa, levis, spongiosa, fusca, saporis acri-subdulcis.

Not. 72. *Germ.* Klettenwurzel, *belg.* gemeene Kladden, *dan.* Agerburre, *suec.* Karborre, *angl.* the common burdock, *gall.* Glouteron, *ital.* Lappota. Bardana, *hisp.* Lampazo, *lusit.* Lappa, *polon.* Lopian, *ross.* ЛАПУШНИКЪ (Lapuschnik). *Icon.* Zorn T. 387. Infusum rad. Bardanae sulphate ferri non nigrescit. *Vis:*

lotium pellit, et sudorem. *Usus:* in morbis rheumaticis et lue venerea. *Decoctum Bardanae.* R. rad. Bardanae unc. jβ -- jj coqu. c. aqu. font. libr. j. Col. unc. Vjjj adm. mell. unc. β et detur in una die. Radix junior tener est et esculenta ut rad. scorzonerae. Vernali tempore colliguntur caules juniores et modo turionum asparagi in culinis praeparantur.

BASILICUM, HERBA.

OCYMUM BASILICUM.

Planta Indiae indigena, annua, in hortis frequenter apud nos culta.

Herba fragrans, minutim pubescens, foliis petiolatis, ovatis, glabris, integerrimis, subtus punctis notatis.

Not. 73. *Germ.* Basilienkraut, *belg.* Balsemkruid, *dan.* Basilie, *suec.* Basilika, *angl.* the common sweet Basil, *gall.* Basilic commun, *ital.* Basilico, *hisp.* Albahaca, *lusit.* Alfavaca, *polon.* Bazylia, *ross.* БАСИЛЬКЪ. *Icon.* Zorn T. 226. Continet herba oleum aethereum fragrans. *Vis:* nervina. *Usus:* fere unice culinaris.

BECCABUNGA, HERBA VIRENS.

VERONICA BECCABUNGA.

Planta perennis, ad rivos, in fossis et locis humidis copiosa.

Herba amaro-adstringens, racemis lateralibus, foliis ovatis, planis, caule repente.

Not. 74. *Germ.* Bachbungen, *belg.* Beekebom, *dan.* Bekkebunge, *suec.* Backabunga, *angl.* Brooklime, *gall.* Beccabunga, *ital.* Beccabungia, *hisp.* Becabunga, *lusit.* Beccabunga, *polon.* Potocznik, *ross.* ИБУНКА *Icon.* Zorn T. 202. Laude indigna est haec herba, qua vete-

res eam celebrarunt, nulliusque detrimenti, si officinae ea privantur.

BELLADONNA, RADIX, FOLIA.

ATROPA BELLADONNA.

Planta perennis Europaea, in sylvis caeduis, aliisque locis desertis umbrosis; in patria rarissime visa, sponte nascens; cultura imminuuntur vires.

Radix summe narcotica, sublignosa, crassa, ramosa, geniculata, sordide lutea.

Folia ovato-lanceolata, lurida.

Not. 75. *Germ.* Tollkirsche, *belg.* Doodkruid, *dan. & suec.* Belladonna, *angl.* the deadly night shade, *gall.* Belladone, *ital.* la Belladonna, *hisp. & lusit.* Belladonna, *polon.* Psinki, *ross.* БЕШЕНАЯ ВИШНЯ. *Icon.* Zorn. T. 21. Sat magna dosis radicis et herbae producit siccitatem faucium et gulae, caliginem oculorum cum pupillae dilatatione, dolorem capitis, vertiginem, scurrilitatem, aliasque mentis perturbationes, non raro pustulas et erythemata. *Vis:* propria, nervina, per 58 immo 72 horas manifesta *(Hahnemann)*. *Usus:* radicis et herbae in cancro mammarum et linguae eorumque scirrhis, dolore faciei, mania, melancholia et hydrophobia. Si pathogenesi in remediis determinandis certa fides haberi posset, in obstinatissimo malo, quod morsus animalis rabidi infert, belladonna nunquam nostram spem eluderet, cum semper vires in partibus exserit, quae in hydrophobia horrendo modo afficiuntur; sed saepius frustra data fuit miseris aegrotis. Hydrops, febres intermittentes secutus, saepius cessit herbae Belladonnae, alternis diebus horis vespertinis granis quinque assumtis *(Schack)*. Eadem ratione in gravidis, nullis plethorae indiciis praesentibus, abortui praecaveri potest *(Theden)*. Recentiores medici ocularii utiliter adhibent solutionem extracti belladonnae aut ejus infu-

sum (gr. X herb. cum aquae unc. jj) ad diminuendam pupillae nimiam coarctationem, antequam extrahunt cataractam. *Dosis:* caute augeri debet. *Müuchius* intrepide aegris dedit gr. Xjjj-XVj herbae belladonnae, et post horas 48 gr. X aut Xjjj atque matutino tempore gr. XIV-XV radicis. Nisi fallor, incipiendum est cum remedio a granis duobus vel quatuor in adultis et illud dandum vespertinis horis, ne aegri vexentur caligine oculorum, et faucium siccitate. *Extispicia.* Cadavera illorum, qui Belladonna eripiuntur, cito putredinem concipiunt, et intumescunt, maculis grangraenosis conspersa. Fundus ventriculi inflammatus. Hepar et lien sanguine turgent, et lenissima contrectatione divelluntur. *Antidota:* emeticum, acida, potus coffeae.

BENZOË, seu GUMMI BENZOËS, seu ASA DULCIS, resina.

STYRAX BENZOË dryanderi.

Arbor Indiae orientalis.

Resina dura, friabilis, subfusca, granulis candidis et obscurioribus variegata, subpellucida, fragrans, praecipue prunis inspersa.

Not. 76. Germ. Benzoë, *belg. dan. & suec.* Benzoin, *angl.* Benjamin, *gall.* Benjoin, *ital.* Belzuino, *hisp.* Benjui, *lusit.* Beijoim. *Icon.* Styrac. Benz. in act. angl. 77. p. 308 t. 10. Habitat in Sumatra. Nec Laurus Benzoin, ut putabatur, nec Croton Benzoë, nec Terminalia Benzoë hanc resinam exsudant. Tota in spiritu vini solvitur. Hodie inprimis praeparatis, quae ex ea fiunt, et suffimigiis inservit.

BETULA, folia tenerrima.

BETULA ALBA.

Arbor in sylvis frequens.

Folia ovata, acuminata, serrata, odoris balsamei, saporis amaro-adstringentis.

Not. 77. *Germ.* Birke, *belg.* Berk, *dan.* Birk, *suec.* Biörk, *angl.* Birch, *gall.* Bouleau, *ital.* Betulla, *hisp. & lusit.* Betulla, *polon.* Brzoza, *ross.* Berésa. *Icon.* Zorn T. 546. Commendantur folia aqua infusa contra arthritidem *(Darel)*. Cum autem ex iis parva spes in hoc malo sanando nobis affulgeat, in pharmacopoliis negligi possunt, facili negotio praeterea ex sylvis arcessenda. Lympha, quae ex arboris trunco, tempore vernali ante et sub frondescentiam terebra perforato, instar aquae stillat, sapore dulciusculo a priscis in calculo laudatur. *Dosis* bis vel ter de die unc. Vj. Paratur ex hoc succo fermentatione potus gratus vinosus, gase carbonico abundans, cum saccharo et fermento addito, atque, si placet, cum cardamomo et cinnamomo. Vid. modum parandi aquam betulam artificialem in not. 310, Ruricolae suecici epidermidem betulae calceis immittere solent, ad revocandum suderem pedum suppressum. In Russia oleum empyreumaticum, sub nomine *olei moscowitici* (Dagget) notum, ex ea elicitur.

BISTORTA, RADIX.

POLYGONUM BISTORTA.

Planta perennis, in montosis et in pratis humidis.

Radix fere digitum crassa, subcylindrica, flexuosa, rugis annularibus obsessa, fusca, vel ex spadiceo-nigricans, intus rubelli coloris, saporis intensi austeri.

Not. 78. *Germ.* Natterwurz, *belg.* Naterwortel, *dan.* Slangeurt, *suec.* Ormrot, *angl.* Snakeweed, *gall.* Bistorte, *ital. hisp. & lusit.* Bistorta, *polon.* Wężownik, *ross.* Serteschnaja trawa. *Icon.* Zorn T. 92. Radix tam cum aqua, quam cum alcohol vim adstringentem participat. Decoctum aquosum sulphate ferri statim ni-

grescit. Ex unc. j radicis eliciuntur extracti aquosi dr. jjj. *Vis:* summe adstringens. *Usus.* In alpibus domesticum specificum putatur contra fluorem album, etsi nullatenus hic morbus semper ferruminantibus tractari debeat. *Dosis* scr. j-dr. jβ. Decocti forma ceteris antecellit.

† *BOVISTA.*

LYCOPERDON BOVISTA.

Fungus in pratis et pascuis sterilibus.

Fungus saccatus, lividus, pulvere fusco dives.

Not. 79. *Germ. & belg.* Bovist, *dan.* Ulvefiis, *suec.* Kiaeringfis, *angl.* Paff-fist, *gall.* Vesse de Loup, *ital.* Vescia, *hisp.* Cuesco de Lobo, *lusit.* Buffa de Lobo, *polon.* Pruchawka. *Icon.* Schäfferi Fung. Bav. t. 3. T. 294. Infusum hujus fungi sulphate ferri non decoloratur. *Vis:* Virtus, quae bovistae in haemorrhagiis sistendis tribuitur, soli compressioni, qua partibus laesis applicatur, adjudicari debet; hinc sine noxa e numero medicaminum abesse potest.

BRITANNICA HERBA SIVE HYDROLAPATHUM, RADIX.

RUMEX AQUATICUS.

Planta perennis, ad ripas fluviorum et in paludibus frequens.

Radix grandis, annulis cincta, externe nigricans, interne flava, sapore manifeste austero et amaro.

Not. 80. *Germ.* Wilde Rhabarber, Wasserampfer, *belg.* Waterpatich, *dan* Vandskreppe, *suec.* Vatnsyra, *angl.* Water-dock, *gall.* Patience aquatique, *lusit.* Labaça major, *ross.* Wodjanoi schawel. *Icon.* Zorn T. 588. Infusum sulphate ferri subito nigrescit. Odor radicis recenter dissectae subfragrans est, dauci odori si-

milis. *Vis* adstringens. *Usus.* Decoctum in ulcusculis oris scorbuticis praedicatur. In Suecia commune dentifricium.

† *BRYONIA*, RADIX.

BRYONIA ALBA VEL. *DIOECA* JACQ.

Planta perennis, in locis umbrosis frequens. Radix fusiformis, valde crassa, alba, in taleolas transversas dissecatur, annulis sibi invicem incumbentibus, et radiis ex centro ad peripheriam ductis, conspicuas. Sapore gaudet amaro-acri.

Not. 81. *Germ* Gichtrübe, Zaunrübe, *belg.* Bryone, wilde Wyngaard, *dan.* Valskrove, *suec.* Hundrofva, *angl.* white Bryony, *gall.* Bryone, couleuvrée, *ital.* Brionia, *hisp.* Brionia, Nueza, *lusit.* Bryonia, Norça branca, *polon.* Przestep bialy. *Icon.* Zorn T. 417. Scatet radix succo tenui, qui primo vere lacteus est, et, dum excavatur, in media ejus parte congeritur. *Vis.* Radix recens cutim inflammat, siccata mitescit. Alvum purgat, et vomitum ciet, praesertim succus (pro dosi dr. jj-unc. ß). *Sydenhamus* dedit dr. j pulveris cum lactis vaccini unc. jV vel infusum ex dr. jV-Vj cum vini albi unc. jV et syrupo quodam, omni tertia die, donec octies vel decies aeger alvum exoneraverit. Externe sequens decoctum in tumore articulorum cum rigiditate laudatur. R. rad. Bryoniae unc. j coq. c. aqu. font. libr. IV Colat. adm. aequalem ipsi aceti vini quantitatem, et sal. communis, quantum solvi potest. Calide pannis laneis imbibitum applicatur. *(Trampel).*

CACAO, FRUCTUS.

THEOBROMA CACAO.

Arbor Americae calidioris indigena.

Fructus ovatus, apice obtuso, diametri trium circiter pollicum, longitudine fere sex.

Intra corticem carnosum pulpa albida, butyracea, dulcis, subacida. Mediam sedem nuclei circiter viginti quinque occupant, saporis unctuosi et amaricantis, magnitudine et figura amygdalas quodammodo referentes.

Not. 82. Expressione libra una seminum dedit butyri unc. jjβ; coctione unc. Vj, quod in aethere sulphurico paene solvitur, ex parte tantum in alcohole. *Icon.* plantae Zorn T. 308. *Vis:* lubricans, nutriens. *Usus.* Ope triturationis et caloris conficitur ex Cacao *Chocolata* (cacao tabulata), quae variat pro additamento aromatum. *Chocolata medica* (chocolat de santé) vocatur ea, quae aromatibus caret. Inter aromata vero, quae pastam ex cacao intrant, consuetissimum est vanilla. Admiscentur praeter eam cinnamomum, caryophylli et alia. In genere chocolata cum aromate digestu facilior fit. *Chocolata aromatica.* R. nuc. cacao leviter tost. pulv. sacchar. ana. unc. XVj — pulv. cinnamomi unc. β — caryophyll. aromatic. dr. jj — cardamom. dr. j vanill. cum saccharo in pulverem tritae dr. j. Pasta, exacte mixta, committitur modulis ferreis, stanno obductis, qui ex parallelogrammis aequalibus conferruminantur (*Wiegleb*). Singuli nuclei ante praeparationem decorticentur, et corculum, quod ob duritiem corneam aegre triturationе et coctione extenuatur, removeatur. *Potus e chocolata.* R. Chocolat. medic. s. aromat. unc. j infund. aqu. fer. vid. unc. jV, sub agitatione infusi denuo ebull. Loco aquae lac pro iis, qui hoc digerere possunt, eligatur, et vinum viribus insigniter consumtis.

† *CAJEPUT*, OLEUM.

MELALEUCA LEUCADENDRA.

Arbor Indiae orientalis.

Est oleum aethereum, ex destillatione foliorum in Insula Banda productum, limpidum, origine flavescens, dein viride, odoris fortis camphoracei, saporis aromatici, fortis, cardamomi instar. Negligatur profunde viride, minusque pellucidum.

Not. 83. Versus annum 1726 primum intravit hoc oleum pharmacopolia amstelodamensia. Color obscure viridis oriri videtur ab ampullis cupreis, in quibus in Europam transfertur, aut a resina quadam eodem colore praedita, et oleo addita. Commiscetur arte simile fluidum lucri studio ex oleo rorismarini et camphora, quod saccharo instillatum, et in aqua solutum facile emissione flocculorum camphoraceorum dignoscitur. *Icon.* plantae Zorn T. 307. *Vis:* exaestuans, diuretica, nervis amica. *Usus:* in morbis dolorificis et spasticis, in paralysi. Cardialgiam a spasmo saepissime sedavit oleum cajeput. Dentur gutt. jj-Xjj saccharo exceptae, aut spiritu vini vel aethere alcoholico solutae. Cephalaeam ab atonia, temporibus illitum cito mitigavit, nec non odontalgiam gossypio instillatum, et denti eroso intrusum. Simili modo lanuginis bombacinae oleo cajeput madefactae immissione in aures et inunctione olei pone eas surditas fuit diminuta. Inunctio externa in affectibus rheumaticis membrorum caute dirigatur, ne internae partes fiant dolosi horum vicarii, ut observarunt practici post illitum cum camphora similibusque discutientibus (*Bang*). Quoad usum externum suppar putatur a quibusdam oleo cajeput linimentum ex parte una camphorae et partibus duabus olei aetherei Terebinthinae. Quod restat, insectis pluribus infestum est oleum cajeput, atque hac ex causa praestantissimum in conservandis rerum naturalium collectionibus.

† *CALAMUS AROMATICUS. Vid. ACORUS.*

† *CAMPECHENSE LIGNUM.*

HAEMATOXYLON CAMPECHIANUM.

Arbor Americae calidioris.

Lignum durum, grave, affatim rubrum, saporis subadstringentis, subdulcis.

Not. 84. *Germ.* Campescheholz, Blauholz, *belg.* Campechehout, *dan.* Campeschetraee, *suec.* Campescheträd, *angl.* the logwood, *gall.* bois de Campeche, *ital.* legno di Campeggio, *hisp.* Palo de Campeche, *lusit.* Pao de Campeche, *ross.* ЛАЗОРЕВОЕ ДЕРЕВО. *Icon.* Blackwell T. 493. Spiritu vini plus extrahitur, quam aqua. Unc. 32 ligni erogant unc. V*ß* extr. aquosi. *Vis* adstringens. Uno in casu lotium rubore post ejus usum tinctum observavi. *Usus:* in diarrhoea, ab atonia et dysenteriam secuta. *Decoctum ligni campechensis.* R. Lign. campechensis dr. jj-unc. *ß* coqu. c. aqu. font. libr. j colat. unc. Vj. D. Dosis omni bihorio cochl. jj.

† *CAMPHORA.*

LAURUS CAMPHORA.

Arbor Indiae orientalis, praesertim in Japonia frequens.

Sit nivea, splendens, subdiaphana, pinguiuscula, tota volatilis, odoris specifici fragrantis, saporis acris, aromatici. Rudis ex India allata in propriis officinis Amstelaedamensibus depuratur.

Not. 85. *Germ.* Kampfer, *belg.* Kamfer, *dan.* Kampfer, *suec.* Kamfer, *angl.* the Camphire, *gall.* Camphre, *ital.* Canfora, *hisp.* Canfor, *lusit.* Alcanfor, *ross.* КАМФОРА. *Icon.* Zorn T. 524. Camphora, materies sui generis, nec cum oleis aetherei aequiparanda, prae-

ter laurum dictum in variis plantis indigenis reperitur e. g. in majorana, salvia, aliisque. Solvitur tantum in aqua, quamvis per se pauxillum ex odore et sapore camphoraceo attrahat, intermedia mucilagine, penitus autem in oleis et spiritu vini, ex quo quidem, si aqua affunditur, maxima ex parte separatur. Cum acido nitrico destillata aciditatem contrahit (Acidum camphorae Dörffurthi ab acido benzoïco diversum). *Vis.* Sub deglutione camphorae sentitur ardor. Cor et vasa sanguifera ea incitantur. Spasmos tollit, et sudorem promovet. Magna dosis pulsum retardat, caloremque animalem diminuit, partibus antea nimia irritatione fatigatis. *Alexander* dum sanus fuit, periculi causa scrupulum unum sine noxa assumsit, deglutitis autem scrupulis duobus, sensorium commune horribiliter est turbatum. (Vid. ej. Versuche in versione germanica p. 96.) Moderatur ut dicunt actionem cantharidum in vias urinarias, aestumque veneris, lethalis est praeterea variis insectis halitus camphoraceus. Externe camphora illita, cutis rubescit, praesertim si emplastro fuit immixta, et taliter exhalatio corporis volatilis coercetur. Animalibus, quibus camphora mortem intulit, dissectis, phlogosis ventriculi apparuit. *Usus* in typho, mania asthenica, aliisque affectibus nervosis. In inflammationibus internis camphora proficua censetur, pulsu existente parvo et debili *(Tralles)*. *Dosis* gr. j-XX. *Mixtura camphorata* R. camphorae dr. ß spiritu vini aliquot guttulis madefactam, gummi arabici dr. jj aqu. comm. unc. jV. Syrup. simpl. unc. ß. Detur omni bihorio cochl. ß-j. *Emulsio camphorata.* R. emulsionis amygdalinae (vid. not. 57.) camphor. dr. j gummi arab. dr. jjj m. unc. Xjj. Infantibus placet *linctus camphoraceus.* R. camphor. scr. ß Dos. cochl. j-jj gummi arabici dr. j syrup. de Alth. unc. jj. D. ccohlearculum j. *Liquor nervinus* R. camphor. scr. j solv. in aether. sulphuric. aut aether. sulphuric. alcoholic. dr. jj. D. gutt. X-XX cum saccharo aut decocto mucilaginoso. *Acetum vini camphoratum.* R. camphor. dr. j terat. in mortario vitreo, addendo spiritus vini gutt. XX dein adjice sacchar. pur. unc. jj acet. vini concentrati unc. X D. cochl. j *(Ph. Herbipol.)* *Oleum cam-*

phoratum R. olei olivar. (vel amygd.) unc. j camphor. unc. ß m. *(Ph. suec.)* Quamvis hoc oleum praecipue usui externo inserviat, interne pariter gutt. Vj-X propinari possunt. Convenit fere cum eo *oleum bezoardicum Wedelii* R. olei amygdal. unc. jj camphor. dr. jj solv. camphora in oleo digestione cum radice alkannae rubro colore tincto, atque admisc. olei del cedro dr. ß. *Dosis:* gutt. V-X.

CANELLA ALBA, CORTEX INTERNUS.

CANELLA ALBA.

Arbor in America vulgaris.

Cortex arboris internus in formam tubulorum convolutus, solidus, at fragilis, extus ex albo flavus, vel pallide griseus, lineis transversis rubellis notatus; superficies interna albicans; saporis acris, aromatici, quodammodo caryophyllacei.

Not. 86. *Germ.* Weifser Zimmt, *gall.* Cannelle blanche, *angl.* white Canel. *Icon.* Blackw. T. 206. Canella alba, quae sparsim sub nomine corticis Winterani spurii venit, maximam similitudinem habet cum cortice Winterano vero, illamque hanc ob causam, et, cum magis genuina occurrit huic praeferendam esse vix dubito. Decoctum canellae sulphate ferri non mutatur. *Vis* analeptica. *Usus.* Additur interdum remediis nauseosis, ut gratiorem saporem adipiscantur.

CANNABIS, SEMEN.

CANNABIS SATIVA.

Planta annua Europae borealis.

Semina rotunda, glabra, binis valvis, oleoso-mucilaginea.

Not. 87. *Germ.* Hanf, *belg.* Hennip, *dan.* Hamp, *suec.* Hampa, *angl.* Hemp, *gall.* Chanvre, *ital.* Canapa, *hisp.* Canamo, *lusit.* Canhamo, *polon.* Konop, *ross.* КОНОПЛЯ (Konopli). *Icon.* Zorn T. 532. Libra j civilis dedit olei unguinosi unc. jjj et gr. XXX et unc. jjj dr. Vjj et scr. jj principii glutinosi (*Buchholz*). *Vis* demulcens, nutriens. *Usus* in gonorrhoea, similibusque blenorrhoeis. Unc. j seminis exhibet saturatam emulsionem cum aquae unc. Vj.

CARBONAS POTASSAE VENALE.

CINERES CLAVELLATI, ALCALI VEGETABILE.

Massa salina, ex ustis ac dein elixatis praesertim lignorum duriorum cineribus in septentrionalibus Europae regionibus nata, carbonate potassae alcalino dives, et praeterea sulphas potassae, murias potassae ac terram siliceam continens.

Depuratione praebet carbonas potassae alcalinum. Vid. SECT. 2da hunc titulum.

Eligatur vero hoc carbonas potassae venale in massis fragilibus, cavernulosis, coloris grisei et ex griseo coerulescentis, facile in aëre libero deliquescentibus et maximam partem aqua solubilibus.

Terra silicea, quacum interdum adulteratur hocce carbonas potassae venale, optime detegitur, affuso ad solutionem acido, quo copiosum terrae istius dejicitur praecipitatum.

Carbonatis hujus virtus a Pharmacopoeo exploretur per solutionem sulphatis aciduli alu-

minae, in quam immissum carbonatis potassae venalis lixivium eo copiosius praecipitatum format, quo majori copia potassa pura affuerit.

Cineres puriores, qui ex America nomine PAERLASCH afferuntur, Pharmacopoeo prae aliis, vulgo venalibus, commendandi.

Not. 88. *Germ.* Potasche, *belg.* Potasch, *dan.* Potaske, *angl.* Ashes pearl, *gall.* Cendres gravellées. Apud germanos cineres clavellati bohemienses et vratislavienses optimi putantur, atque continent $\frac{3}{4}$ carbonatis potassae puri. Ex 1000 libr. ligni fagi remanent cineris 5, 8. ex 1000 libr. l. quercini 13, 5. ex 1000 libr. l. specierum pini 3, 5. Libr. 1000 cineris fagi largiuntur carbonat. potass. libr. 219, libr. 1000 cineris quercini libr. 112 et libr. 1000 cineris ex pini speciebus libr. 132. Fructus hippocastani cum capsulis erogant sat magnam copiam kali carbonici (*Hermbstädt*).

CARBONAS SODAE VENALE.

SODA, NATRUM.

Glebae terreo-salinae, duritiei lapideae, coloris griseo-coerulescentis. saporis salsi et lixiviosi, ex combustis et calcinatis plantis, ad littora marina crescentibus, paratae. Optima censetur soda HISPANICA; quae autem ex SMYRNA affertur, et interdum apud nos venalis prostat, longe majorem salis alcalini copiam praebet, Pharmacopoeis omnino commendanda.

Not. 89. *Germ.* Soda, *belg.* Loogzout, *gall.* Soude. Ex hungarica $\frac{2}{3}$ carbonatis sodae puri extrahi solent.

CARDAMOMUM MINUS, SEMEN.

AMOMUM CARDAMOMUM.

Est planta perennis in Ceylone et Malabaria. Intra capsulam, tribus valvis praeditam, membranaceam semina latent angulata, multiformia, rugosa. Confracta fragrantem et fortem spirant odorem; sapor grate aromaticus, amaricans, acris, camphoraceus.

Not. 90. *Germ.* Kardamomen, *belg.* Kardamom, *dan.* Kardamome, *suec.* Kardemumma, *angl.* Cardamom, *gall.* Cardamome, Amome, *ital. hisp. & lusit.* Cardamomo, *ross.* КАРДАМОМЪ. *Icon.* Zorn. T. 336. Forsan nulli aromati gratia cedit, nisi cinnamomo. Libr. j sem. cardam. minor. dedit olei aetherei dr. V-Vj. *Vis* stomachica, carminativa. *Usus* in laesa digestione, et inflatione intestinorum. Cum vino calefacto et vitello ovi potulentum pergratum *(glühenden Wein)* componit in eorum usum, qui frigori et pluviae expositi eisque delassati fuerunt.

† *CARDUUS BENEDICTUS*, HERBA, SUMMITATES.

CENTAUREA BENEDICTA.

Planta annua, in insulis Archipelagi frequens; in hortis Nordvicensibus aliisque culta.

Herba florens peramara, floribus compositis tubulosis croceis, calyce cum foliis adjacentibus ope texturae arachnoïdeae cohaerente.

Not. 91. *Germ.* Kardobenedicten, *belg.* Kardebenedict, *dan.* Korbenedikt, *angl.* the blessed thistle, *gall.* Chardon bénit, *ital. & hisp.* Cardo santo, *lusit.* Cardo sancto, *polon.* O set Wloski, *ross.* ВЕНЕДЬКТЬ.

Icon. Zorn T. 122. Dat herba tres sui ponderis partes extracti, cui hi nitras potassae, illi murias sodae aliique acetitem potassae *(Succow)* inesse volunt. *Vis* incidens, stomachica. Vomitum ob amaritiem nauseosam aliquoties excitavit. *Usus* in digestione retardata. Colluvie primarum viarum quadam illi accedente, mere amaris antecellit.

† *CARICA*, *FRUCTUS SICCATI.*

FICUS CARICA.

Arbor in Europa calidiori sponte nascens. Fructus siccati, in formam orbicularem compressi, coloris ex albo flavescentis, pulpa subviscida, dulcissima; seminibus exiguis, lenticularibus. Eligantur majores ex Smirna allatae, dulcissimae.

Not. 92. *Germ.* Feigen, *belg.* Vyge, *dan.* Figen, *angl.* Fig, *gall.* Figue, *ital.* Fico, *hisp.* Higo, *ross.* ВИННЫЯ ЯГОДЫ СМОКВЫ. *Icon.* Zorn. T. 479. Constant hi fructus ex saccharo cum mucilagine commixto. *Vis* nutriens et demulcens. *Usus* in tussi catarrhali. Coquitur unc. j cum aqu. libr. j. Colat. D. vasculatim. Hoc decoctum gargarisma leniens in angina catarrhali. Caricae cum lacte coctae et dissectae maturationem abscessulorum in gingivis promovent.

CARVI SEMEN.

CARUM CARVI.

Planta perennis Europae, praesertim meridionalis.

Semina aromatica, parva, incurva, oblonga, glabra, striata, fusco-pulla.

Not. 93. *Germ.* Kümmel, *belg.* Veldkomyn, *dan.* Kommen, *suec.* Kummin, *angl.* Caraway, *gall.* Cumin

sauvage, *ital.* Carvi, *hisp.* Alcaravea, *lusit.* Alcaravia, *polon.* Karny, Kmin, *ross.* ТМИНЪ (Tmin). *Icon.* Zorn T. 397. Unc. 30. dant circiter olei aether. unc. j. *Vis.* Flatus pellit et secretionem lactis auget. *Usus* in colica flatulenta. *Dosis* pulv. dr. j.

† *CARYOPHYLLATA*, RADIX.

GEUM URBANUM.

Planta perennis, petenda e solo sicciore. Radix oblonga, crassa, fibrosa, fusca, recens odorem caryophyllorum aromaticorum quodammodo spirans, sapore stiptico, aromatico.

Not. 94. *Germ.* Benedictenwurzel, Nelkenwurz, *belg.* gemeen Nagelwortel, *dan.* Nellikerod, *suec.* Näglikerot, *angl.* the common Avens, *ital.* Gariofillata, *hisp.* Islera, *lusit.* Garjofillata, *polon.* Zarzyczka, *ross.* ГРЕВНИКЪ. *Icon.* Zorn T. 221. Unc. XVj dabant extr. aquos. unc. V, et spirituos: unc. jjj et scr. jj. *Vis* adstringens, nervina. *Usus* in febribus asthenicis. Corticem peruvianum aliquoties supplevit. (*Buchhave*) *Decoct. rad. Caryophyllat.* R. rad. caryophyllat. unc. j coqu. c. aqu. font. libr. j ß Col. libr. j adm. syrup. cort. aurant. unc. ß D vasculatim.

† *CARYOPHYLLUS AROMATICUS*, FLORES NON APERTI, SICCATI, OLEUM.

CARYOPHYLLUS AROMATICUS, SIVE *EUGENIA CARYOPHYLLATA* THUNBERGII.

Arbor Indiae orientalis, in insulis Molluccis frequens.

Flores vix aperti, claviculis non absimiles,

oleo aethereo turgentes, nigricantes, sapore acri, aromatico, et odore fragrantissimo.

Oleum sit album, limpidum, non spissum, at grave, grate aromaticum. Negligatur pullum, urens et acre, oleo terebinthinae, unguinoso, aut extracto caryophyllorum spirituoso depravatum.

Not. 95. *Germ.* Gewürznelken, *belg.* Kruidnagel, *dan.* Kryde Nellike, *suec.* Kryddneglika, *angl.* aromatic cloves, *gall.* Cloux de Girofle, *ital.* Garofano, *hisp.* Clavo aromatico, *lusit.* Cravoaria, *polon.* Gozdz do potraw, *ross.* ГВОСДИЧКЯ (gwosditschka). *Icon.* Zorn T. 315. Eliciuntur ex unc. XVj caryophyll. olei aether. unc. jj-jjj, quod uberius stillat, cum spiritus vini illis fuit aspersus. *Vis* exaestuans, nervina, salivam proliciens. *Usus* in languore ventriculi. *Dosis* pulv. gr. V-X. In patria arboris oleum in paralysi remedium domesticum. Acritate sua obtundit dolorem gossypio exceptum, et denti carioso intrusum. Sequenti modo in hac odontalgia efficacius fit: R. camphorae dr. j Opii gr. V olei caryophyll. gutt. XX Alcohol. dr. jj. diger. et col. *(Boerhaave)* — Caryophylli usque ad perfectam maturitatem in arbore relicti dicuntur *anthophylli* (cloux de girofle matrices) odore minus forti, quam immaturi.

† *CASCARILLA, CORTEX.*

CROTON CASCARILLA.

Frutex calidarum Americae regionum, in Peru et Paraguay frequens.

Cortex frustis convolutis tubulosis compactus, ponderosus, lineam fere crassus, epidermide tectus albicante, rugosa, insipida, qua semota, ex fusco ferrugineus apparet.

Sapor amarus, aromaticus, odor in accenso cortice fragrantissimus.

Not. 96. *Germ.* Cascarillrinde, *belg.* Kaskarilla, *dan.* Kaskarille, *suec.* Käskarille, *angl.* Cascarilla, *gall.* Cascarilla, *ital.* Cascariglia, *hisp.* Cascarilla, *lusit.* Cascarilha, *ross.* КАШКАРИГЪ. *Icon.* Zorn T. 595. Unc. Vjjj cort. cascarill. continebant mucilaginis et principii amari unc. j cum gr. 64. resinae unc. j cum gr. 100 olei aetherei gr. 68 partis fibrosae unc. V cum dr. jj et aquae gr. 68 *(Trommsdorff)*. *Stisserus* primus inter germanos mentionem ejus fecit 1690 ut corticis, qui ante paucos annos innotuerit. Infusum sulphate ferri fucatur. *Vis* tonica, stomachica. *Usus.* Excelluit in diarrhoea. Quandoque profligavit febres intermittentes. *Dosis* pulv. gr. XX-XXX. — Tabaco gratior odor eo conciliatur.

CASSIA FISTULARIS, FRUCTUS.

CASSIA FISTULA.

Arbor in Arabia et utraque India sponte crescens.

Siliquae longae, teretes, nigrae, dissepimentis pulpa nigra, dulci refertis; in quovis loculamento semen latet subrotundum, compressum, ferrugineum. Rejiciendae leviores, et vetustate corruptae.

Not. 97. *Germ.* Röhrenkassie, *belg.* Pypkassie, *dan. & suec.* Cassierör, *angl.* the purging Cassie, *gall.* Casse de boutiques (Casse fistule), *hisp.* Casia fistola, *lusit.* Canafistula, *ital.* Cassia fistola. *Icon.* Zorn T. 511. Libra j fructuum erogat pulpae libr. $\frac{1}{4}$. Raro ea integritate pharmaceutae traducuntur, ut medicorum desideriis satisfiat; parvae praeterea, si quid judico, in praxi utilitatis.

† *CATECHU, vulgo TERRA JAPONICA, EXTRACTUM GUMMI-RESINOSUM.*

MIMOSA CATECHU.

Arbor Bengalensis.

Frusta gummeo-resinosa, dura, fragilia, sicca, nigricantia, si diffringantur splendentia, intense pulla, adstringentia. Rejiciantur sabulo aut sordibus inquinata, saliva non solvenda.

Not. 98. *Germ.* Catechu, *gall.* Cachou, *angl.* Cashoo. *Icon.* Pluck. T. 329. fig. 2. Est extractum ex arboris ligno aut ex fructibus. Partes 100 continent principii adstringentis partes 70. Unc. jV catechu dederunt extracti aquosi unc. jj et dr. jjj et dein spirituosi dr. V cujus sapor fuit austerior. Unc. jV exhibuerunt extr. spirituosi primi unc. jj et dr. jj. *Vis:* adstringens. *Usus:* in variis se- et excretionibus nimiis, laxitate partium productis. *Dosis pulver.* scr. j-dr. ß. Senibus rebelli dysenteria vexatis utiliter datum est decoctum oryzae, cujus unc. 32 continebant catechu dr. ß *(Alibert). Pastae odoriferae* in terris orientalibus componuntur ex catechu, ambra, moscho, mucilagine tragacanthae subactis. *(Hermbstädt).*

† *CENTAURIUM MINUS, SUMMITATES FLORENTES.*

GENTIANA CENTAURIUM, seu CHIRONIA CENTAURIUM Curtis.

Planta annua, in locis sabulosis, praesertim marinis, frequens.

Herba florens, floribus rubentibus, foliis ovatis, amaritie acri celebris.

Not. 99. *Germ.* Tausendgüldenkraut, *belg.* Duizend, guldenkruid, *dan.* Tusindgylden, *angl.* the lesser Centory, *gall.* la petite Centaurée, *ital.* Centaurea minore, *hisp. & lusit.* Centaurea menor, *polon.* Centurzya mnieyſza, *ross.* СОЛОПНИКЪ ПОЛЕБОИ. *Icon.* Zorn T. 154. Praestat herba summitatibus cum corollis fere insipidis. Spiritus vini unice extrahit partes amaras, aqua autem simul mucilaginosas. *Vis:* stomachica. *Usus.* Herba olim in febribus intermittentibus usitatissima.

CEPA, BULBUS RECENS.

ALLIUM CEPA.

Planta perennis, in hortis culta.

Bulbus rotundus depressus, ruber, membranis tunicatus, saporis acris, subdulcis, odoris fragrantis alliacei. Exstat varietas alba, quae blandior.

Not. 100. *Germ.* Zwiebel, *belg.* Uijen, *dan.* Lögen, *suec.* Rödlök, *angl.* the Onion, *gall.* Oignon, *ital.* Cipolla, *hisp.* Cebolla, *lusit.* Cebola, *polon.* Cebula, *ross.* ЛУКЪ (Luck). *Icon.* Dodon. Pempt. T. 687. Siccatione odor et sapor non parum mitigantur, recens dissecta enim spargit cepa vapores, qui oculos ad lacrymas sollicitant. Aqua et spiritus vini partem illius extrahit. *Vis:* excitans, diuretica. *Usus:* maxime culinaris. Succus expressus pro unciis binis cum tantillo sacchari lotium in quibusdam optime provocavit, et externe ejus excretionem auxit Milites galli, ut vidi, amant *jusculum cepae* matutino tempore, nec male, loco spiritus vini, et potus ex coffea. Cepis duodecim in lebete cum butyro ad rubedinem elixatis, et farina denique conspersis adjicitur aqua cum modica salis et piperis quantitate, atque coctione peracta, pauxillum aceti.

CEREFOLIUM, HERBA RECENS.

SCANDIX CEREFOLIUM.

Planta annua, in usum culinarem et medicum culta.

Folia triplicato-pinnata, tenerrima, glabra, obtuse lobata, dilute viridia, odoris fragrantis foeniculacei, saporis grate subdulcis, aromatici.

Not. 101. *Germ.* Gartenkörbel, *belg.* Tuinkervel, *dan.* Körvel, *suec.* Kyrfvel, *angl.* the garden chervil, *gall.* le cérfeuil commun, *ital.* Cerfoglio, *hisp.* Perifollo, *lusit.* Cerofolho, *polon.* Trzebula, *ross.* КЕРВЕЛЪ. *Icon.* Zorn T. 192. Herba recens succulenta septem sui ponderis partes aquae continet, praeter partes salinas et oleum aethereum, a quo odor pendet. *Vis:* resolvens, excitans. *Usus.* Succus recens (unc. jj de die) in morbis pulmonum a stasi scrophulosa certissime non omni utilitate destituitur. — Scandix odorata huic omnino antecellit.

CHAMAEDRYS, HERBA FLORENS.

TEUCRIUM CHAMAEDRYS.

Planta perennis, in hortis botanicis culta. Herba profundius viridis, odoris subaromatici, siccatione pereuntis, saporis amari subadstringentis; folia cuneiformi-ovata, incisa, crenata, petiolata; flores terni, caules procumbentes, subpilosi.

Not. 102. *Germ.* Gamanderlein, *belg.* Gamanderlyn, *suec.* Ekegräs, *angl.* Germander, *gall.* Calamandrier, Germandrée, *ital.* Camedrio, *hisp.* Germandrina, *lusit.* Carvalhinha, *polon.* Ozanka *Icon* Zorn T. 346. Herbam ob copiam similium in officinis plane supervacaneam esse, puto.

† *CHAMAEMELUM ROMANUM*, FLORES.

ANTHEMIS NOBILIS.

Planta perennis Europae meridionalis, in hortis culta Nordvicensibus aliisque botanicis.

Flores compositi radiati, receptaculo fere plano, paleaceo, flosculis disci flavis, aromaticis, flosculis radii albis, numerosis, brevibus, insipidis.

Not. 103. *Germ.* Römische Chamille, *belg.* roomsche Kamille, *dan.* romerske Kameelblomster, *suec.* romersk Kamillblomma, *angl.* the roman Camomile, *gall.* Camomille romaine, *ital.* Camomilla odorosa, *hisp.* Manzanilla romana, *lusit.* Macella romana, *ross.* РИМСКАЯ РОМАШКА. *Icon.* Zorn T. 161. Octo librae flor. chamaem. romani largiebantur olei aetheri dr. V, et superant olei copia vulgares. *Vis* nervina, antispastica, hystericis grata. *Usus.* Olim magni pendebantur in febribus intermittentibus (dos. omni quadrihorio scr. j — dr. j.) Vid. pag. 93. Infusum concentratum multis nauseam movet.

† *CHAMAEMELUM VULGARE*, FLORES.

MATRICARIA CHAMOMILLA.

Planta annua, in Belgio frequens, in hortis culta Nordvicensibus aliisque.

Flores compositi radiati, receptaculo nudo conico, flosculis disci flavis, amaris et fragrantibus, flosculis radii albis, reflexis, insipidis.

Not. 104. *Germ.* Gemeine Chamille, *angl.* the common Camomile, *gall.* la Camomille vulgaire. *Icon.* Zorn T. 139. Continent flores hujus chamomillae olei

aetheri $\frac{1}{800}$ — $\frac{1}{256}$, quod calycibus unice inhaeret. *Vis.* Eadem pollet chamomilla vulgaris, ac romana. *Usus:* idem, ut in antecedenti.

CHAMAEPITYS, HERBA FLORENS.

TEUCRIUM CHAMAEPITYS.

Planta annua, in montosis regionum meridionalium locis sponte nascens, nostratibus culta.

Herba recens, viscida ad attactum, foliis trifidis linearibus integerrimis, floribus sessilibus lateralibus, solitariis, caule diffuso; odorem habet resinosum, instar pini, saporem amarum.

Not. 105. *Germ.* Schlagkraut, Feldcypresse, *belg.* Veldcyprels, *angl.* the ground pine, *gall.* Ivette, *ital.* Camepizio, *hisp.* Pinillo oloroso, *lusit.* Chamepite, *polon.* Iwinka pizmowa. *Icon.* Zorn T. 120. Virtute aemulatur Chamaedryn, et ut ea, ob abundantiam similium plantarum mera amaritie insignium, in officinis superflua censeri debet.

CHELIDONIUM MAJUS, HERBA RECENS.

CHELIDONIUM MAJUS.

Planta perennis, in ruderibus et ad sepes copiosissima; in hortis Nordvicensibus aliisque culta.

Folia tenuia et mollia, coloris ex flavo dilute viridis, saporis amari et acris, odoris ingrati, gravis, succo croceo scatentia.

Not. 106. *Germ.* Das grofse Schöllkraut, *belg.* groot Schelkruid, *dan.* stor chelidonie, *suec.* Svalört, *angl.*

the greater Celandine, *gall.* Chelidoine commune; éclaire *ital.* Celidonia maggiore, *hisp.* Celidonia mayor, *lusit.* Celidonia major, *polon.* Jaskolcze ziele, *ross.* ЧИСТАКЪ БОЛШОЙ. *Icon.* Zorn T. 22. Herba chelidonii recens exuberat principio acri, quod siccatione insigniter mitigatur. Nullus odor praeterea persistit in arefacta. *Vis:* resolvens. Succus recens cutim exedit. *Usus:* in obstructione viscerum, hydrope, in verrucis exstirpandis. Rustici plantis pedum herbam recentem cum sale et pipere interdum ante paroxysmum febris intermittentis cum effectu exoptato applicarunt. *Dosis.* Cochl. dimidium succi recentis sine noxa est propinatum. Vid. not. 455.

CHINA, RADIX.

SMILAX CHINA.

Frutex Indiae orientalis, in imperio Chinensi frequens.

Radix nodosa; magna, submucilaginea, subdulcis, cortice tenui rufescente vestita, intus pallide rubra.

Not. 107. Famam nacta est haec radix, ut sudorifera in lue venerea, penitiori autem indagine instituta, perdidit eam, ita ut a medicis hodie negligatur. Destillatione nihil extrahitur, quod efficaciam annunciat. Residuum dat cum aqua quartam partem extracti mucilaginosi parum adstringentis odore nauseoso. Loco radicis Chinae orientalis in Virginia et Jamaica smilax pseudochina colligitur et exportatur. Ut videtur, radix chinae, de quo sermo est, nutrimentum offert dignum, quod ab incolis Indiae accipiatur. Praebet suibus pabulum, quo pinguescunt. Mulierculae in Aegypto eam comedere solent, cum emacrescunt. *Icon. Kämpf.* amoen. t. 782.

† *CHINA CHINA, CORTEX PERUVIANUS FUSCUS.*

CINCHONA OFFICINALIS.

Arbor Peruviana, nuper etiam in sylvis provinciae, cui nomen Terra Firma est, detecta.

Cortex ex amaro subaromaticus et subadstringens. Eligantur frusta tenuina, convoluta, fusca, et lichene albo vestita, solida, ponderosa, quae diffracta, non fibrosa, aut pulverulenta, sed particulis, ad solem splendentibus, conspicua. Ne autem frusta crassiora, caeterum iisdem notis ornata, rejiciantur.

Not. 108. *Germ.* Chinarinde, *belg.* Kina, *dan. & suec.* Quina, *angl.* China bark, *gall.* le Quinquina, *ital.* China, *hisp. & lusit.* Quina, *ross.* ЛИХОРАДОЧНАЯ КОРКА. Dispescuntur a botanicis in duas subdivisiones omnes cinchonae-species. Prior continet eas, quae staminibus inclusis praeditae sunt, posterior illas, quae stamina exerta habent. Autores florae Peruvianae hanc posteriorem ad Portlandiam referre volunt *(Persoon).* Monente Alexandro ab *Humboldt,* qui immortaliter de penetiori cinchonae cognitione meruit, hucusque species 27 generis illius recensentur, quae tamen ulteriori indigent scrutinio. Multae enim plantae ex Rubiaceis generi cinchonae adnumeratae sunt, absolutaque igitur specierum designatio adhuc in votis est, minus a foliis, quae in eadem specie praeter consuetudinem variant, quam a formatione florum eorumque staminum et pistillorum petenda. Indagator novi orbis ante dictus posuit unam familiam cinchonarum cum corollis tomentosis et alteram cum corollis glaberrimis *(Magazin der Gesellschaft naturforsch. Freunde zu Berlin. Anni I. trimestris 2 pag.* 122.) Cinchona *Condaminea* ad primam

familiam pertinet, corollae tubo hirto, foliis ovato-lanceolatis utrinque glaberrimis in axillis nervorum inferne scrobiculatis. *Icon.* Humboldt et Bonpland Plant. aequinoct. Fasc. II. pag. 29. T. 10. Berl. Jahrb. f. d. Pharm. 1808. Colligitur ex hac specie Cascarilla fina de Uritusinga in gubernio Loxano (corregimiento de Loxa) et plagis adjacentibus. Cum medici solo hoc cortice quondam in Hispania usi sunt, condaminea prae aliis officinalis appellari posset. Quoniam vero commercium non intrat, et ille, qui exportatur, ex omnibus fere speciebus hujus familiae decerpitur, merito nulli in posterum cognomen hoc separatim competit. Linnaeus composuit cinchonam suam officinalem ex duabus herbarii sui plantis ex America missis, cinchona scilicet condaminea, et cinchona cordifolia *Mutisii* (C. pubescens *Vahlii*). Virtute condamineae proxima est *cinchona lancifolia* foliis lanceolatis, acutis, utrinque glaberrimis, ad oppidum Santa Fé Quina Naranjanda nominata, nec minus rara (Cinchonia augustifolia *Ruizii*) *Cinchona nitida & lanceolata* varietates lancifoliae esse videntur. Cortex Chinae, qui in portu gaditano sub nomine Cascarillae Calisayae inclaruit, a lancifolia, ut *Mutisius* arbitratur, originem trahit. *Cinchona cordifolia* (Quina amarilla) distincta ad *Mutisii* descriptionem manuscriptam foliis orbiculato-ovatis, saepe subcordatis, subtus tomentosis, supra pubescentibus (C. ovata Fl. Peruv. II. T. 195 sive cascarilla pallida *Ruizii* synonymon hujus est, Cinch. hirsuta, et tenuis *Ruizii* levi varietate ab ea declinant) prae aliis nostro tempore corticem peruvianum suppeditare videtur. *Cinchona ovalifolia* (Quina blanca, cinchona macrocarpa Vahlii) ad St. Fé indigena amarum praebet corticem nigro-albiusculum amarum et austerum. — Cortex Cinchonae nobis advehebatur usque ad annum 1772 trans promontorium Hornii a Loxa, Guancabamba, Ayavaca, Jaen de Bracamorros, Riobamba et Cuenca. Inde ab anno 1772 magna corticis copia per Carthaginem in India occidentali aliosque portus illi vicinos in Europam exportabatur, postquam celeberrimi *Mutisii* perconctatione arbores cinchonae in provinciis, quae versus septemtrionem

non parum ab aequatore distant, fuerant reperti, atque luculenter constabat, eos gr. 10 latitudinis borealis perferre. Ut in omnibus plantis, ita in cortice peruviano discrimen oritur a loco natali, aetate arboris, et ratione, qua cortices siccantur. Tam fraude quam incuria eorum, quibus decorticatio committitur, alienos, e. g. ex Winterana grenadensi, et Weinmanniis intermisceri satis compertum est, immo fallaciae causa dicti cortices ab aromatariis infuso ligni brasiliani tinguntur. Haec fraudulentia ignominiosa nostra tempore tam parum velatur, ut ex libris centum cinchonae in Rossiam missis vix quinque ad summum sex bonae notae eligi potuerint. Vid. *Wylii* pharmac. ruthena pag. 41. Quam maxime igitur medicus, qui nulla theoriae specie obcoecatus in adoptandis surrogatis gravium medicaminum minus facilis est, exoptare debet, ut variae cinchonae species, optime, ut scimus, coeli injuriae, ne una forsan excepta, obluctantes in Europae regiones, quae solis beneficio prae aliis fruuntur, denique transplantentur. Hispani in America fasciculos componunt ex libris 120-150, qui pellibus insuti, *Zeronas* dicuntur, et, sic bene muniti, exteris gentibus advehuntur. Non hic reticenda est consuetudo, varios cortices, ut: Chinam de la Angostura, Cascarillam de nueva Andalusia, Chinam de Atacamez in eorum patria ad genus Cinchonae referri, et fasciculis immisceri, etsi primae diversitatem botanici et chemici nuperrime jam demonstrarint, ceteraeque exactiori examine indigeant. Plures fasciculos, qui cinchonam veram quidem complectuntur, et a mercatoribus variis nominibus notantur, ab eadem arbore saepius provenire atque solo fortuito discrimine variare, arbitror. — Falluntur, qui Americanos jam ante adventum Hispanorum in novum orbem cognitam habuisse vim corticis peruviani febrifugam contendunt; timent enim, teste Alexandro ab Humboldt loco citato, ejus usum, eumque referunt ad narcotica, quo gangraenam accendi putant. Incepit adhiberi ut dicunt versus annum 1638, a comitissa del Cinchon, febri pertinaci intermittente Limae tentata, atque paullo post hic cortex, cujus usu sanitatem recuperaverat, sub nomine *pulveris comitissae* inclaruit,

et postea saepius *pulvis jesuitarum*, vel *pulvis patrum* nuncupatur, quoniam patres societatis Jesu divulgare remedium studiose annisi sunt. — In genere cortices trunci, aetate arboris non admodum provecta, palmam praeripiunt junioribus ramorum. Vim suam tarde perdunt, sicco loco asservati, quando dissipatio partium volatilium, quae äere fit, sollicite evitatur. Analysin chemicam corticis peruviani fusci, cum a variis cinchonae arboribus colligitur, non posse easdem semper partes, neque numero neque ratione pares monstrare, satis elucebit. Gummosas partes minori copia ei inesse quam resinosas, *Geoffroy senior* contendit, *Mautt* autem gummosas potiorem partem constituere declarat. Vis adstringens resinae insidere videtur. Cortici elicita est extracti aquosi pars tertia, spirituosi autem pars quinta. Generatim teneamus, decoctione protracta ejus vim minui. Facilius eum reserat aqua quam spiritus vini rectificatus, spiritus vini non rectificatus fortius quam aqua, et vinum melius quam spiritus tenuior. Infusum aquosum sulphate ferri viridescit. Decoctum cinchonae fuscae genuinae dilutum, muriate ferri adjecto, viridem similiter induit colorem, nigrum e contrario, si cum spuria parabatur, aut ea, quae spuriis largiter fuit commixta. Solutionem glutinis praeterea decocto genuini corticis non praecipitari observatur. *(Grindel)*. — *Vis* specifice antifebrilis, adstringens, penitiore et constantiore stimulo corroborans. *Usus*. In febribus intermittentibus certissimum remedium, tanta scrupulosa circumspectione non porrigendum, quam medici quondam anxie inculcarunt. *(Cleghorn)*. Initium eum praebendi sit, exeunte paroxysmo. Ne obliviscamur tamen, hunc, quamvis deletus esse videatur, secunda hebdomade saepius recrudescere in tertianis, tertia autem in quotidianis et quartanis, atque recordemur, resumto antea remedio, paroxysmi reversioni praecaveri. Vitae genere non obstante una remedii repetitio sufficere solet. Forma pulveris, cum aromate et liquiritia mixti et in vino sumti optima merito, in his potissimum febribus, habetur. Nec unquam fere negligendum esse comperi, spinae dorsi aegri, qui febri intermittente laborat, spiritum quendam

aromaticum bis in die infricare. Intervalla ab una dosi ad alteram pendent a spatio apyrexiae, sicut singulum praebium, quod communiter ex duobus scrupulis pro adultis constat. Ubi ventriculus, quod interdum accidit, corticem, quamvis opio et aromate mixtus sit, perferre, aut aeger eum ob fastidium plane deglutire nequit, decoctum (vid. not. 445.) ano tripla dosi ast repartita injici debet, quod, addita tinctura opii, firmius et diutius adhaeret, atque longiori remora certiores edit effectus. Nullo tempore quadrat china in febri exquisite inflammatoria. Caveamus enim, ne calcaribus utamur, cum opus sit fraeno. (*Huxham*). In vera prostratione virium vitalium, et decompositione humorum, quam producit, pluresque putridam nominant, certissimum pollicetur auxilium, nec febris continuitas nec ariditas linguae impurae ejus usum proscribunt. Eandem ob causam in gangraena, vigore vitae praeternaturali nec excitata, nec promota, interne et externe utiliter adhibetur. In variis blenorrhoeis chronicis itidem aestimatur, sicuti in sanguinis profluviis, in quibus vasa laxata accusantur. Aptissime his in casibus pro indicationis diversitate varia remedia chinae adduntur, ut Serpentaria, Valeriana, Angelica, Cinnamomum, Alumen, Aetheres et alia. — *Vinum Chinae simplex* R. Cort. Chinae fusc. grosso modo pulverat. unc. jj Vin. gallic. alb. libr. jj diger. per 24 hor. vas saepius agitando. Col. D. ter de die unc. jj. Pulvis *Chocolatae chinatae* R. pulv. nucleor. cacao leviter tost. unc. Vj pulv. chin. fusc. unc. jjj sacch. alb. unc. Vjjj bals. peruv. nigr. dr. j. Pulveris hujus cochl. jj (unc. j) coquantur cum aquae vel lactis vacul. jjj (unc. jjj). Qui praefert, hunc pulverem in placentas redigendum curabit. *Electuarium Chinae Hoffmanni* R. Roob Sambuc. unc. ß cort. chin. fusc. dr. Vj pulv. fl. Chamom. vulg. dr. jj, extr. Cent. minor. pulv. caryophyll. ana. dr. ß syrup. acetosit. citr. unc. jß. D. singulis binis horis. dr. ß. In frequenti usu fuit autori, atque ejus ope innumeros persanavit febrientes. Non inconcinne et utiliter, caryophyllis tunc omissis, Electuar. theriacae Ph. B. dr. jj saepius admisceri pos-

sunt. — Ob pretii caritatem chinae jam dudum medici insudarunt remediis ei substituendis. *Surrogata chinae notabiliora* sunt quae sequuntur. 1. Arsenicum. 2. Cort. Hippocastani. 3. Cort. salicis pentr. aliarumque salicis specierum. 4. Febrifugum *Audonii* R. Coffeae tost. et trit. dr. Vj coqu. in aquae unc. jjj ad dimidium. Residuo decantato adde succi citr. unc. jj m. Calide datur aegris jejunis tempore apyrexiae. 5. Decoctum Coffeae crudae R. Coffeae crud. unc. j conquass. et coquat. in vase tecto cum aqu. font. libr. jij. Colat. libr. j d. omni bihorio vasculum dimidium *(Grindel)*. 6. Specificum *Mortonii* R. flor. Chamaemeli subtilissime pulver. (plus minusve pro aetate) scr. j, antimonii diaphoretici, sal. absinthii ana scr. ß m. f. pulv. qui sumitur cum quodam julapio, aut in forma boli, aut in pilulas redactus, sexta quavis hora per biduum vel triduum. 7. Cortex liriodendri tulipiferae. 8. Emulsio antifebrilis *Frankii* R. amygdal. amar. dr. jß-dr. jj; cum cortice contusis adm. aqu. flor. chamomill. unc. jß-jj; col. adde extr. centaur. dr. ß-j D. brevi ante paroxysmnm uno haustu. Saepius haec emulsio nullum praestitit, ut ipse observavi, effectum. 9. Colla scriniariorum. Solvitur leni calore unc. j collae in aquae commun. vel decoct. chamaemeli unc. jj. Datur tertia pars hora dimidia ante paroxysmum, totidem post, sexta horae parte exacta; quod restat, post tertiam horae partem. *(Seguin)*. 10. Pulvis ex sulphate zinci cum narcotico. Composuit anonymus quidam ex sulphatis zinci et extr. Hyoscyami vel opii ana gr. j-jij. Omni trihorio datur. Etsi sat confidenter praedicatus sit (Intell. Bl. der n. Leipz. L. Z. nro. 4. 1808.) ulteriori nihilominus examini practico committi debet.

CHINA CHINA, CORTEX PERUVIANUS REGIUS seu FLAVUS.

CINCHONAE species, nondum definita.

Cortex ex Peru allatus, crassior et magis lignosus, qui colore cinnamomeo et principio

amaro subaromatico, omnibus aliis cinchonae corticibus antecellit. Differunt binae hae species a CORTICE NOVO seu CINCHONAE SURINAMENSIS, praesertim eo, quod hic vestitus epidermide profundius et sordide pulla, hinc inde cinerea, lineis aliquanto prominentibus et in longitudinem serpentibus notata. Caeterum parenchyma, pallidius pullum, ad fibrarum directionem facile se discerpi patitur. Sapor quam maxime amarus.

Nuper alia corticis species in usum medicum est recepta, Regio affinis: ab hoc autem dignoscenda colore pallidiore, epidermide cinereo-fusca, et sapore peramaro. Resina caeterum minus dives.

Not. 109. Forsan varietas cinchonae cordifoliae nobis offert hunc praeclarum corticem. Apozema ex illo factum primum rubicundum est, postea luteum. Libr. j dat primum alcohole extr. recinosi dr. Vj scr. j et gr. Xj atque dein aqua extr. gummosi unc. V dr. jj*ß* *(Mirabelli)*. *Vis* fusco amarior, plus febrifuga et pariter fere tonica. *Usus.* In iisdem morbis prodest, in quibus cortice peruviano fusco utimur, saltem egomet ipse non habeo quod doleam, me illum saepissime loco corticis peruviani fusci adhibuisse. *Mixtura cortic. peruv. flavi alcoholica* R. pulv. Cort. Peruv. reg. unc. j spirit. vin. gall. unc. Xjj naphth. vitrioli dr. jj. D. omni hora cochl. j. In typho parum benigno effectum praestitit salutarem *(Rademacher)*.

† *CHINA CHINA, CORTEX PERUVIANUS RUBER.*

CINCHONAE, SPECIES, NONDUM DEFINITA.

Cortex ex fusco ruber, cujus frusta ponde-

rosiora, plerumque etiam crassiora occurrunt, non convoluta quidem, at vero concava; si diffringantur, fibrosa. Principio resinoso et adstringente prae caeteris cinchonae corticibus eminet, Lignum, cortici vetustiori saepe adhaerens, rejiciatur.

Not. 110. Exploratione chemica facta, extract. resinosi $\frac{1}{4}$ gummosi $\frac{1}{8}$ ex hoc cortice evocabantur *(Hagen)*. *Vis.* Virtute simili gaudet, quam cortices ante dicti, immo efficacia fusco antecellere videtur, quando genuinus est, nec, ut saepius occurrit, cum corticibus adventitiis mixtus.

† *CICHOREUM*, *RADIX*, *HERBA RECENS.*

CICHOREUM INTYBUS.

Planta biennis, frequenter culta, sponte nascens vero reliquis praestat.

Radix fusiformis, subflava, crassitie pollicis, lactescens, saporis amaricantis.

Herba, floribus geminis sessilibus, foliis runcinatis; saporis amari, subacris.

Not. 111. *Germ.* Gemeine Cichorie, wilde Wegwarte, *belg.* Cicorey, Suikerey, *dan.* Cichorie, Vägvard, *suec.* Cichorien, Wägwärda, *angl.* the wild Saccory, *gall.* Chicorée sauvage, *ital.* Cicoria, *hisp.* Chicoria sylvestre, *lusit.* Ghicoria brava, *polon.* Cykorya, *ross.* СИХОРИЯ. *Icon.* Zorn T. 37. Toti plantae inest succus lacteus amarus, in fera amarior quam in culta. *Vis.* Organa incitat, quae digestioni praesunt. *Usus* in ptisanis. Radix tosta, loco coffeae arabicae sat frequenter cocta, prae aliis, quae semen peregrinum supplent, peculiari similitudine, hucusque frustra quaesita, non eminet.

† *CICUTA*, HERBA.

CONIUM MACULATUM.

Planta biennis, in umbrosis, ad sepes et vias, in locis, ruderibus refertis, indigena; altero anno colligenda ante florum expansionem ex locis siccioribus, praesertim ad margines fossarum sicciores, et probe siccata in vasis clausis servanda. Culta in hortis botanicis passim occurrit ferme iners.

Folia sunt petiolata, tripinnata, aut quadripinnata cum impari, pinnis oppositis, foliolis lanceolatis, pinnatifidis, venosis, nudis, nitidis, supra plane, infra pallide viridia, trita odoris peculiaris virosi, lotio felium, sive cantharidibus similis, saporis subdulcis, subacris. Distinguitur haec planta ab affini CICUTA VIROSA *caule maculato; ab* AETHUSA CYNAPIO, *quod huic folia sint ex nigro-viridia, cum pagina inferiori nitidissima.* CHAEROPHYLLI SYLVESTRIS *caulis non est maculatus, at angulatus, et deficit involucrum, quo gaudet Conium maculatum.* CHAEROPHYLLI TEMULENTI *denique caulis scaber et folia hirsuta.*

Conii vires suspectae habentur, si, dum teratur herba, odorem sibi peculiarem non spiret.

Not. 112. *Germ.* Gefleckter Schierling, *belg.* gevlakte Scheerling, *dan.* Skarntyde, *suec.* fläckig Odört,

angl. the common Hemlock, *gall.* Cigue ordinaire, *ital.* Cicuta, *hisp & lusit.* Ceguda, *polon.* Swinia wesz, *ross.* БОЛИГОЛОВЪ (Boligolow). *Icon.* Zorn T. 48. Herba recens spargit odorem urinae felum similem. Caulem habet erectum ramosum laevem, nitidum fistulosum 3, 4. pedalem striatum, maculis basi purpurascentibus adspersum; folia laevia tripinnata alterna, summa autem bipinnata non raro pendula cum pinnis subpinnatifidis lanceolatis inciso-dentatis extremis confluentibus, umbellam terminalem planiusculam, 6, 7, sive multifidam cum floribus aequalibus albis, involucro 3, 5 (sive 6, 8) phyllo phyllis latioribus reflexis; involucellam dimidiatam sub 3 phyllam. Caulis plantae, quae in hortis colitur, minus maculis variegatus esse solet *(Schkuhr)*. *Vis:* Primis viis, nimia copia cicutae ingesta, initio turbatis, mox in consensum vocatur totum systema nervosum. Accedunt vertigo, dolor capitis obtusus, delirium, sudores frigidi aliaque symptomata, quae mentem ad statum aegri periculosum advertunt. Apta dosi sedat cicuta spasmos et dolores, morbosque removet, qui his producuntur. *Usus:* in cancro, aliisque morbis dolorificis, glandularum obstructione. *Interne* praefertur extractum ex herba recenti paratum. Vid. not. 455. Herba siccata *externe* cataplasmatibus ut anodynum additur. *Cataplasma ad cancrum apertum. D. Fuld.* R. roob dauci libr. j pulv. herb. cicut. unc. jj Tinct. Opii crocat. dr. jjj.

† *CINNAMOMUM CEYLONENSE*, CORTEX, OLEUM.

LAURUS CINNAMOMUM.

Arbor Ceylonensis, quod ad corticem praestantissima.

Cortex tenuis, flexilis, in cannulam longam convolutus, lignosus, levis, subtenax, diffractus fibras largiens, coloris ex rubicundo

flavi, subinde pullum quodammodo referentis, saporis aromatici subacris, subdulcis cum levi adstrictione, odoris gratissime fragrantis.

Oleum aethereum, albo-flavescens, aqua gravius, saporis peracris, aromatici, odoris gratissimi.

Not. 113. *Germ.* Zimmet, *belg.* Kaneel, *dan.* Caneel, *suec.* Canel, *angl.* Cinnamom, *gall.* Canelle, *ital.* Canella, *hisp.* Canella, *lusit.* Canella vulgar, *ross.* КОРИЦА. *Icon.* Zorn T. 339. Virtus corticis oleo aethereo inest, de quo continet $\frac{1}{128}$. Infusum sulphate ferri fucatur. *Vis*: analeptica, adstringens. *Usus.* Multis remediis grati saporis causa additur, ut cortici peruviano, amarisque. In haemorrhagiis uteri passivis ad cruorem restaurandum multum facere, *Schmidtmüllerus* arbitratus est. Vid. not. 484.

† *CITRUS*, *FRUCTUS*, *HORUMQUE CORTICIS PARS EXTERIOR RECENS ET SICCA.*

CITRUS MEDICA.

Arbor Europae australis indigena.

Fructus sunt ovales, apice in papillam desinentes, basi obtusiore, intus pulpa membranosa, acida; extus cortice gibboso, flavo, folliculis oleiferis.

Cortex exterior recens, fragrans, saporis aromatici; corticum siccatorum sapor subamarus, calidus.

Not. 114. *Germ.* Citronenbaum, *belg.* Citroenboom, *dan.* Citrontrae, *suec.* Citronträd, *angl* Citrontree, *gall.* Citronnier, *ital.* Cedro, limone, *hisp.* Cidro, limonero, *lusit.* Cidreira, *poton.* Cytr drzewo, *ross.* СИТРОННОЕ ЯЛОКО ЛИМОНЪ. *Icon.* Zorn T. 496.

a) Succus citri ex locis, qui citris abundant, ad nos translatus, partim succo uvarum immaturarum adulteratur, partim amaritie nauseosus fit, incauta expressione enata. In itineribus maritimis a corruptela eum defendit affusa quinta vel sexta pars spiritus vini gallici, quo quidem acidi natura paululum alteratur. Itaque rectius frigore condensatur, quo ad octavam partem reducitur, aut saturatione cum calce, acido sulphurico dein dissoluta. *(Coxwells concrete salt of limons). Vis:* analeptica, antiscorbutica, diuretica. *Usus.* Scorbutum, ut ipse in casu singulari observavi, certissime sanat. *(Lind).* Notissimos potus componit, limonadam scilicet et punch. *Limonada.* R. Sacchar. alb. unc. V solv. in aqu. font. mens. j adm. succum ex fruct. matur. nro. jjj express. Ubi opportune fit, frustulum sacchari, prius quam aquae additur, cum flavedine citri conteri potest. *Punch.* R. Infusum ex Thea chinensi mens. j spirit. Arrac lagen. dimid. (unc. Xjjjβ) sacchar. alb. unc. jV cum flaved. ex cort. citr. nro. jV contriti, succum ex fruct. citr. nro. Vjjj. — Potus, quem Punch dicunt, nomine, vi et mixtione variat, in compositione autem magis gulae quam sanitati consulitur. *Punch cum vino.* (Punch americanum). R. Spirit. Arrac mens. j succ. citr. nro. Xjj sacchar. alb. libr. j infus. theae chinens. mens. jjj vin. rubr. mens. j. *Alia formula Punch americani.* R. Sacchari libr. $\frac{5}{4}$ cum cortic. ex pom. citr. nro. jjj tritis affunde Vin. rubr. mens jjβ coqu. et sub finem coct. adm. cass. cinnamom. uncβ col. adm. spirit. Arrac. mens. β succ. citr. fruct. nro. IX. *Punch cum vino lusitanico.* R. Succ. citr. pomor. nro. Vj vin. rubr. et alb. gallic. mens. j coqu. Infusis et immissis vasi, quod gallico nomine Terrine appellatur, vin. lusitan. mens. j spirit. Arrac. mens. j sacchar. alb. libr. $\frac{1}{2}$ cum cort. pomor. citri nro. jV trito adde vinum prius cum succo citri coctum. *Punch frigidum extemporaneum.* R. Spiritus Arrac. aqu. comm. vin. rubr. ana mens. j succ. pom. citr. nro Vjj l'Vjjj sacchar. albi libr. j. *Punch congelatum.* R. Vin. campani vel rhenan. mens. j spirit. Arrac. mens. β succ. citr. pomor. nro. Vj sacchar. alb. libr. j contrit. cum flaved. pomor.

citr. nro. Vj m. infunde pyxidi urnae impositae, quae glaciem continet (Gefrierbüchse). Circumrotetur, usquedum punch congelascit. Immittatur fluidum lagenae osculo lato apertae, et bibatur ex vitris longis campanis. *Punch pro cardinalibus* (Cardinal). R. Vini, quod dicunt petit Bourgogne, mens. jj vin. campan. mens. j spirit. Arrac. mens. j succ. citr. pomor. nro. Vj sacchar. et tinct. pro potu episcopali (Extrait d'Orange) q. l. Apparet hos potus minus succo citri, quam vino et spiritu ejus effectus esse edituros, nec sanis ipsis profuturos, si pocula hilaritatis frequenter eis abundant. — Succus citri recenter expressus, postquam carbonas potassae alcalinum saturavit, cum eadem aquae quantitate dilutus et grato syrupo mixtus offert potionem laudabilem (dosis omni hora cochl. jj), quae initio febrium exanthematicarum vomitum, plerumque primum in scenam procedentem, optime et verosimiliter acido carbonico sensim adhuc erumpente compescit, refrigerat et evacuationes criticas sublevat. Haec saturatio salina usque ad punctum crystallisationis inspissata, *citras potassae* deponit (*Kali citratum*, sal Absinthii citratus). Lapides cancrorum sive oculi cancrorum citrati ex phosphate, malate, et citrate calcariae concreti hodie a medicis, ut aequum est, vili penduntur. — *Morsuli citri ph. suec.* R. Sacchar. albiss. pulverat. unc. jV leniter calefact. adm. succ. citr. concentr. uncß f. morsuli.

b) Fructus citri dissecti saccharo conditi ex Italia et Gallia australi nobis adportantur (*Citronata*).

c) Corticis efficacia ab oleo aethereo pendet. *Vis:* carminativa, analeptica. *Usus.* In colica flatulenta, torminibus ventris spasticis, aqua infusus adhiberi solet purus, aut aliis remediis admixtus.

† *COCHLEARIA*, HERBA RECENS.

COCHLEARIA OFFICINALIS.

Planta annua, in aggeribus collibusque maritimis frequens, nostratibus culta.

Herba florens, principio acri, volatili; fo-

liis radicalibus subrotundis, caulinis oblongis, sinuatis.

Not. 115. *Germ.* Löffelkraut, *belg.* Lepelkruid, *dan.* Skee-urt, *suec.* Sked-ört, *angl.* sea scurvy grafs, *gall.* herbe aux cuillerées, *ital. hisp. & lusit.* Cochlearia, *ross.* ЛОЖЕЧНАА ПРАВА. *Icon.* Zorn T. 2. Transmigrant partes acres plantae in aquam et spiritum vini, siccando autem avolant. Principium acre, quod lingua percipitur, destillatione ascendit cum pauxillo olei aetherei. *Vis* antiscorbutica, longissimo usu comprobata. Medici hodierni, nimium hypotheticae explicationi virium medicaminum indulgentes, saepius quam par est negligunt cochleariam, et in primis ejus succum expressum. *Succus cochleariae compositus Ph. Lond.* R. succ. cochl. libr. j — Beccabung. — nasturtii aquatic. ana. libr. ß. succ. aurant. hisp. unc. X. *Dosis* vasculum dimidium aliquoties de die.

COLCHICUM, RADIX RECENS.

COLCHICUM AUTUMNALE.

Planta perennis, in pratis depressis Europae australis.

Radix bulbosa, solida, carnosa, ab altera parte convexa, ab altera plana, cum levi scapi impressione, extus tunica pulla vestita, intus alba, odoris fortis, nares ferientis, nauseosi; saporis, dum recens est, acris: colligenda tempore autumnali.

Not. 116. *Germ.* Zeitlose, *belg.* Tydeloosen, *dan.* Hundedöd, *suec.* Tidlösa, *angl.* the common meadow Saffron, *gall.* mort aux chiens, *ital. hisp. & lusit.* Colchico, *polon.* Rozsiad, *ross.* БЕСВРЕМЕННОИ ЦВѢТЪ. *Icon.* Zorn T. 133. Verno tempore radix effodienda est, autumnali enim omnis saporis et acri-

moniae expers fit. *Vis.* Vomitum excitat et stranguriam. *Usus* in hydrope. *Dosis.* Initio minutissima sit. Granum unum succosae radicis intra micam panis deglutitum ardorem ventriculi produxit *(Stoerk)*. *Medicina veterinaria.* Bruta domestica, quibus omnes colchici partes damnum inferunt, intactum in pratis relinquere solent. Canibus praesertim deleterium esse, nonnullis ex periculis constat.

† *COLOCYNTHIS*, FRUCTUS.

CUCUMIS COLOCYNTHIS.

Planta annua, climatis calidioris, circa Aleppo frequens. Pepo globosus, pugni quandoque magnitudinis, albidus, levis, intra carnem fungosam, amaram, acrem, copiosis cellulis semina oblonga, plana includens.

Not. 117. *Germ.* Koloquinten, *belg. dan. & suec.* Koloquint, *angl.* the bitter gourd, *gall.* Coloquinte, *ital.* Coloquinta, *hisp.* Coloquintida, *lusit.* Colocynthe. Ex pulpae colocynthidis unc. Vjjj proliciebantur extract. aquos. unc. jjj extr. resinosi unc. ß. *(Boulduc)*. Extractum resinosum vix purgat sed tormina solummodo excitat *(Bergius)*. — *Colocynthides praeparatae* (Trochisci Alhandel) fiunt, si unc. jj medullae albae horum fructuum a seminibus purgatae et concisae cum mucilagine gummi arabici miscentur et in pastam rediguntur, quae in mortario lapideo contusa et leni igne exsiccata pulveratur. Praeparatum superfluum. *Vis.* Mediocris dosis vehementissime purgat, cum torminibus atque dejectionibus non raro sanguinolentis. *Usus* in variis morbis nervorum chronicis, et a recentioribus inprimis in paralysi. *Dosis* sit minuta; gr. $\frac{1}{8}$-gr. jj *Decoctum colocynthidis* R. pomor. colocynthid. dr. jj ebull. c. aqu. font. s. q. per sex minuta. Colat. libr. j adm. aeth. sulphurici alcoholic. dr. jj syrup. cort. aurant. unc. jj. Dosis ter de die cochl. j in hydrothorace *(Buchhave)*.

† *COLOPHONIUM*, RESINA.

PINUS SYLVESTRIS.

Arbor Europae borealis frequentissima, nobis culta.

Resina pulla, diaphana, dura, fragilis, super ignem liquata, aut inter digitos trita, fragrans. Quae aliunde petitur, paratur ex resina communi, quae tempore hyemali e Pini sylvestris trunco, aut sponte, aut post inflicta vulnera stillat. Amstelaedami autem habetur ex residuo post olei terebinthinae praeparationem.

Not. 118. *Germ.* Geigenharz, *gall.* Brai sec, Colophone, *angl.* Black resin. Haec resina usque ad $\frac{1}{12}$-$\frac{1}{16}$ in spiritu vini solvitur. *Vis:* stimulans. *Usus:* externus. Pulvis in carie laudatur, variisque unguentis admiscetur, atque recentiori tempore tenuissimus inspergitur digiti crassitie stupae, quae, spiritu vini adstillato, tumoribus genu, quos albos dicunt, antequam caries accedit et effluvium lymphae corruptae, imponitur. Stuppa siccata denuo saepius humectatur, et telae ceratae ope adnectitur.

COLUMBO, RADIX.

AN BRYONIAE SPECIES?

Affertur ex insula Ceylon; crescit in Africa, prope Mozambique.

Radix lignosa, extus subfusca, intus ex viridi lutea, in taleolas transversim secta, saporis amaro-adstringentis.

Not. 119. *Ross.* КОРЕНЬ КОЛОМБЫ. Aqua, destillatione ex radice columbo educta, saporem mani-

festat balsamicum, et odorem quasi ex cumino. Ex uncia una radicis modo extracti spirituosi primi gr. XXIV supersunt. Vinum cum radice digestum, mediocriter fit amarum. Infusum aquosum columbo citius corruptelam init, quam alia ex amaris plantis parata. *Vis:* stomachica, in bilis inertia proficua. *Usus* in dyspepsia, diarrhoea. *Dosis* pulv. scr. j-dr. ß. *Decoctum rad. columbo* R. rad. columbo unc. ß coqu. c. aqu. font. simpl. unc. X col. unc. Vj. D. omni hora cochl. j *(Selle)*.

CONSOLIDA MAJOR, SYMPHYTUM, RADIX.

SYMPHYTUM OFFICINALE.

Planta perennis in pratis humidis, ad fossas et rivos copiosissima; in hortis culta.

Radix magna, digitum circiter crassa, recens carnosa et viscida, siccata vero et diu servata, spongiosa et farinosa, fragilis, extus nigra, interne alba; saporis mucilaginosi et viscidi.

Not. 120. *Germ.* Schwarzwurzel, Schmeerwurz, *belg.* Smeerwortel, *dan.* Kul sukkerod, *suec.* Vallört, *angl.* the greater Consound, Comfrey, *gall* grande consoude, *ital* Consolida maggiore, *hisp.* Consuelda major, *lusit.* Consolda major, *polon.* Zywokost, *ross.* КОЛНОЫ КОРЕНЬ. *Icon.* Zorn T. 137. Radix in aqua cocta erogat tres circiter partes mucilaginis insipidae. Decoctum sulphate ferri nigrescit. *Vis* subadstringens, involvens. *Usus* in haemoptysi, diarrhoea, dysuria. *Decoctum rad. consolid.* R. rad. consolid. unc. ß coqu. c. aqua font. unc. XVj col. unc. Vjjj D. omni hora cochl. jj.

CONTRAJERVA, RADIX.

DORSTENIA CONTRAJERVA.

Planta perennis Peruviana.

Radix capitulo oblongo, nodoso, et tuberculoso, multas fibrillas tenues emittente, extus rufa; saporis acri-amaricantis, et odoris aromatici.

Not. 121. *Germ.* Peruvianische Giftwurzel, *belg.* Contrajerva, *angl.* Contrayerva, *gall.* Dorstène à feuilles de berce, *(Enc.) hisp.* Contrayerba. *Icon.* Blackwell T. 578. Mexicani nominant radicem *Tuzpatlis.* Decoctum, quod cum aqua mucilaginosum evadit, sulphate ferri non alteratur. *Vis:* alexiteria *Dosis* scr. j-dr. j. *Pulvis contrayervae compositus* Ph. Lond. (1762) R. pulv. e chel. cancror. compos. libr. ¡ß rad. contrayerv. unc. V. Dosis dr. ß. Multae radices tam indigenae quam exoticae merito hodie hujus vicariae censentur, quae olim nimiis praeconiis efferebatur. *Psoraleam pentaphyllam,* plantam mexicanam, radicem fere similem offerre, dicunt. (Vid. Icon hujus plantae in act. parisiens. 1744. T. 17.)

† *COPAÏVAE BALSAMUM,* BALSAMUM.

COPAÏFERA OFFICINALIS.

Arbor Americae meridionalis, in Brasilia frequens.

Balsamum pellucidum, flavescens, aromaticum, non ingratae amaritudinis. Varia depravatur ratione, praesertim vero admiscendo terebinthinam aut oleum amygdalarum. Quo facto, facile dignoscas terebinthinam, si balsamum ferro candenti inspergatur, aut super papyrum extensum igni admoveatur; oleum vero amygdalarum eo, quod, in spiritu vini vel fortiori non solubile, fundum petat, soluto copaïvae balsamo.

Not. 122. *Angl.* The Balsam of capevi, *gall.* Baume de copahu, *belg.* Balsem copayve. *Icon* arboris *Jacquin* stirp. americ. T. 342. Librae jij balsami copaivae destillatione porrigebant olei aetherei unc. XX et resinae unc. Xjj *(Bergius)*. *Vis.* Exagitat humores, et auget actiones renum et vesicae, ita ut nimia dosis mictum cruentum produxerit. (*Hoppe*). In Urina amarities ex sumto balsamo copaivae fuit observata. *(Fuller)*. *Usus* in blenorrhoea membri virilis chronica et aliis. *Dosis* gutt. X-LX. Majorem dosin facile damnum illaturam esse, elucet.

CORIANDRUM, SEMEN.

CORIANDRUM SATIVUM.

Planta annua Europae meridionalis, in hortis frequenter culta.

Semina globosa, sublutea, odoris aromatici.

Not. 123. *Germ. belg. dan. & suec.* Koriander, Wanzendille, *angl.* Coriander, *gall.* Coriandre, *ital.* Coriandro, *hisp.* Cilantro, *lusit.* Coriandro, Coentro, *polon.* Koryander, *ross.* КОРИАНДЕРЪ, КИЧНЕКЪ. *Icon.* Zorn T. 363. Olei aetherei $\frac{1}{477}$ effundere dicitur destillatione. Semen recens cimices redolet. *Vis* carminativa. *Usus.* Angli potionibus laxativis semen addere solent, quod pluribus tamen odore et sapore displicet.

† *CROCUS*, *FLORUM STIGMATA.*

CROCUS SATIVUS, *VAR. AUTUMNALIS*, *SEU CROCUS AUTUMNALIS HOFFMANNI.*

Planta perennis, in Europa meridionali et in Oriente sponte nascens.

Stigmata e floribus resecta et siccata, versus apicem latiora, principio luteo tinctorio ditissima.

CARTHAMI TINCTORII flosculi, croco intermixti, colore dilutius luteo, basi non pallescente et apice quinquefido discernuntur. Fraus cum CALENDULAE OFFICINALIS flosculis, tam florum habitu diverso, quam infuso saturatiore et magis rubro, facillime dijudicanda.

Not. 124. *Germ.* Safran, *belg.* Saffran, *dan.* Safran, *suec.* Saffran, *angl.* the Saffron, *gall.* le Safran, *ital.* Zafferano, *hisp.* Azafran, *lusit.* Açafrao, *polon.* Szafran, *ross.* ШАФРАНЪ. *Icon.* T. 151. Est aroma sui generis, principio saponaceo abundans, aqua enim solvitur, octava parte tantum remanente. Alcohole fit tinctura croci saturata *(extractum essentiale de croco Boerhaavii)* quae autem, cum aqua sedimentum post evaporationem residuum perfecte imbibit, partes resinosas non potest continere. Unciae 16 croci dabant olei aether. scr. jV *(Lewis)*. — Ad granum unum croci sicci requiruntur flores 14 vel 15 plantae *(Alston)*. Num mirum est, quod fraudulenter ei diversae res immisceantur? *Vis.* Vapores concentrati obnubilant sensorium commune praesertim in infantibus. Dosi sufficiente exhilarat crocus et nervos sedat. Inefficacia a quibusdam observata, ex effoetis stigmatibus, et additamentis adulterinis explicari debet. *Usus* in mensium suppressione, tussi spastica, mentis stupore, asthmate. *Externe* adhibetur in contusione discutienda, et dolore leniendo. *Dosis* scr. ß-j. *Syrupus croci Ph. Bor.* R. croci unc. ß vin. alb. gall. libr. j stent in leni digestione per aliquot horas. In liquoris expressi unc. X solve sacchar. alb. libr. jß. Dosis cochlearculum j-jj infantibus. Opii syrupo in his non raro praeferri meretur.

† *CRYSTALLI TARTARI, qui, in pulverem redacti, CREMOR TARTARI dicuntur.*

TARTRIS ACIDULA POTASSAE.

Tartarus vini crudus, praegressa solutione

in aqua, et cum argillis pinguibus coctione, in crystallos redactus, parvas, non pellucidas, albas, in massas non regulares vulgo aggregatas, constantes potassa et acido tartaroso, in aqua parum solubiles.

Not. 125. *Germ.* Weinsteinrahm, *belg.* Wynsteenroom, *gall.* Crême de tartre, *angl.* Cream of Tartar. Tartris acidula potassae cruda solvitur aquae frigidae partibus 120 fervidae partibus 28, depurata aquae gr. 50 Th. F. partibus 160 et ferventis partibus 14. Componitur posterior ex acidi tartarici part. 3 potassae p. j atque calcariae tartarosae $\frac{1}{25}$ *Vis:* refrigerans, laxans, diuretica. *Usus:* in febribus biliosis, haemorrhoidibus activis, hydrope. *Dosis* dr. ß-unc. j, pro natura morbi et medici intelligentia. *Potus ex tartrite acidula potassae* R. tartrit. potass. acid. dep. unc. ß ebull. cum aqu. commun. libr. j adm. syrup. rub. id. unc. j; sorbilletur vasculatim. Alia formula pro pauper. R. tartr. acid. potass. unc. ß roob prunor. unc. jj aqu. commun. libr. jj ebull. *Electuarium ex tartr. potass. acidula* R. tartrit. potass. acid. unc. ß roob prunor. unc. jj. D. omni hor. cochl. dimidium.

CUBEBA, FRUCTUS.

PIPER CUBEBA SIVE PIPER CAUDATUM BERGII.

Frutex Indiae orientalis.

Fructus pedunculati, globosi, nigricantes, amaro-aromatici.

Not. 126. *Germ.* Kubeben, *belg.* Koebeben, *angl.* Cubebs, *dan.* Kubeber, *suec.* Kobeber, *gall.* Cubebes; poivre à queue, *ital.* Cubebi, *hisp.* Cubebas, pimienta à cola, *lusit* Cobebas, pimenta rabuda. Unc. Vj erogabant olei aetherei blandi ponderosi gr. XVjjj. Aqua

extrahit $\frac{3}{8}$ spiritus vini $\frac{5}{16}$ (*Juch*). *Vis:* stomachica, nervina. *Usus* in dyspepsia, et vertigine gastrica. *Dosis* gr. X-XXX.

CUCUMIS, SEMEN.

CUCUMIS SATIVUS.

Planta annua ignotae patriae, copiosissima in hortis colitur.

Semina ovato-oblonga, plana, compressa, utrinque angustiora, margine acuto; seminum arillus coriaceus, medulla alba, dulci, oleoso-mucilaginosa.

Not. 127. *Germ.* Gurke, *belg.* Komkommer, *dan.* Agurke, *suec.* Gurka, *angl.* Cucumbre, *gall.* Concombre, *ital.* Cetrivolo, *hisp.* Cohombro, *lusit.* Tolombo, *polon.* Ogorek, *russ.* ОГУРЦЫ. *Icon.* Zorn T. 247. *Vis.* Fructus refrigerans, paululum nutriens. *Usus.* Mitigat aestum hecticorum succus fructuum expressus, atque unc. jj cum saccharo vel melle bis de die sorbeantur. Semina cucumeris ad exoleta referamus medicamina et superflua.

CULILAWAN, CORTEX, OLEUM.

LAURUS CULILABAN.

Arbor diffuse per Insulas orientales crescens. Cortex convexo-planus, amplus, coloris flavo-rufi, extus vestigia quaedam epidermidis griseae relinquens, rugosus, intrinsecus glaber; sapor ejus acris, aromaticus, cum levi adstringentis et mucilaginosi sensu mixtus.

Oleum aethereum, flavo-pullum, acre, odoris mixti, moschatellini quippe et caryophyllacei.

Not. 128. *Germ.* Nelkenzimmet, *belg.* Koelilaban, *gall.* Culiban, *lusit.* Culilabao. *Icon.* Rumph. II. t. 14. Ex corticis libr. j eruta est olei aetherei dr. ß. Ex unc. ß corticis educta sunt extract. spirituosi odore et sapore caryophyllaceo gr. 50 atque extr. aquosi, odorem caryophyllorum parum aemulantis, quantitas minor. *Vis:* stomachica, diuretica (?) *Usus:* in ventriculi languore. Oleum aethereum extus laudatur in arthritide. (Vid. Verhandl. der Hollandsch. Maatsch. te Harlem II. p. 8 et IV. app. p. 21.)

† *CUMINUM*, SEMEN.

CUMINUM CYMINUM.

Planta annua orientalis.

Semina aromatica, oblonga, striata, seminibus carvi similia, at duplo majora.

Not. 129. *Germ.* Kümmel, *belg.* Komyn, *dan.* Kummen, *suec.* Kummin, *angl* Cumin, *gall.* Cumin, *ital.* Cumino, *hisp.* Comino, *lusit.* Cuminho, *polon.* Kmin, *ross.* КМИНЪ. *Icon.* Moris. s. 9. t. 2. Libr. j sem. cumini dat olei aetherei dr. jjj. *Vis* carminativa. *Usus* in colica flatulenta. Semine carvi potentius est.

CURCUMA, RADIX.

AMOMUM CURCUMA JACQUINI.

Planta perennis Indiae orientalis.

Radix oblonga vel globosa, rugosa, ponderosa, extus lutea, intus apprime flava; saporis amaro-aromatici.

Not. 130. *Germ.* Gelbwurzel, *belg.* Kurkema, *angl.* Turmerick, *gall.* Safran d'Inde. *Icon* curc. oblong. Zorn T. 421. curc. rotundae T 254. Charta, ope amyli hac radice tincta, exigua potassae quantitate badium colorem adipiscitur. Acida pallidiorem reddunt ejus fla-

vedinem. In ictero a priscis laudatur haec radix. Majorem autem utilitatem praestat in dignoscendis kalinis, quam in morbo ante dicto profligando. *Dosis* scr. j-dr. j. — Curcuma rotunda vix ab oblonga differt.

† *CYDONIA MALA*, SEMEN.

PIRUS CYDONIA.

Arbor Cretensis, ubique fere culta.

Semina oblongo-acuta, nitida, fusca, mucilaginosa.

Not. 131. *Germ.* Quitte, *belg.* Kwee, *dan.* Quaede, *suec.* Quitten, *angl.* Quince, *gall.* Coing, *ital.* Cotogna. *hisp.* Membrilla, *lusit.* Marmelo, *polon.* Pigwa, *ross.* АРМУДЪ. *Icon.* Zorn T. 306. Fructus sunt grato odore, adstringentes. Ex seminibus paratur mucilago, quae cuticulae inhaeret. Octo partes aquae, parti unī seminum frigide infusae, extrahunt mucilaginem ejusdem spissitudinis, quam in ea observamus, quae fit ex partibus aequalibus gummi arabici et aquae. Coctione partes 48 aquae transeunt in mucum spissiorem cum una seminum parte. Vid. not. 490. *Cydonia condita* et *miva cydoniorum* (simplex inspissatur ex libr. X succī cydoniorum per residentiam depurati cum sacch. libr. jjj) hodie pistoribus dulciariis relinquuntur.

DAUCUS SYLVESTRIS, SEMEN.

DAUCUS CAROTA.

In campis pratisque crescit: pro seminibus eligatur varietas SYLVESTRIS.

Semina subrotunda, grisea, aspera, marginibus costisque setosis, aromatica, fragrantia.

Not. 132 *Germ* Mohrrübe, *belg.* Karoot, *dan.* Derreurt, *suec.* Morot, *angl.* Carrot, *gall.* Carote, *ital.* Carota, *hisp.* Zanahoria, *lusit.* Cenoira, *polon.* Mar-

chew, *ross.* МОРКОВЬ. *Icon.* Zorn T. 471. *Vis* sem. dauci carminativum et diureticum. *Usus* semen infusis diureticis additur. In Gallia ex semine dauci sylv. et cretici oleo del cedro atque ambra cum spiritu vini destillatur *aqua vestalis* (eau de Vestale). Succus ex radicibus dauci recentibus expressus et ad justam consistentiam inspissatus fit mellaginis species *(roob dauci)*, quae cibis et potionibus in praxi pauperum loco sacchari admisceri potest. Vid. not. 112. Rasura radicis dauci recentis ulceribus cancrosis admota, optime foetorem diminuit et ipsum dolorem.

DICTAMNUS, RADIX.

DICTAMNUS ALBA.

Planta in montosis Germaniae, praesertim meridionalis, regionibus perennis.

Radicis pars corticea, in cylindrum convolutá, alba, sapore subamaro et leviter acri. Quo tenuior, eo efficacior habetur.

Not. 133. *Germ.* Weifser Diptam, *belg. dan. & suec.* Diptam, *angl* white Dittany, *gall* Dictame blanc, *ital.* Dittamo bianco, *hisp.* Chitan, *lusit.* Dictamo branco, *polon.* Dyptan, *ross.* БАДАНЪ. *Icon.* Zorn T. 439. Amarities radicis aqua excipitur. Infusum sulphate ferri non variat. *Vis:* excitans, diaphoretica. *Usus* in febribus nervosis, fluore albo inveterato *(Stoerck)*. *Dosis* scr. j bis de die. Paravit Stoerckius *vinum dictamni martiatum.* R. rad. dictamni unc. j ferri pulveris non rubiginosi dr. jjj vin. generosi libr. j. D. omni hihorio cochl. j. Idem medicus laudat *tincturam dictamni simplicem* contra epilepsiam.

DIGITALIS, FOLIA.

DIGITALIS PURPUREA.

Planta biennis sylvestris, in hortis culta. Pe-

tatur autem stirps inculta ex Anglia, aut Helvetia.

Folia ovato-oblonga, acuta, rugosa, crenata, hirsuta, saporis amari acerrimi.

Not. 134. *Germ.* Purpurrothe Fingerhuth, *belg.* Paarsch vingerhoed, *dan.* Fingerbölle, *angl* the purple foxglove, *gall.* Digitale pourprée, doigtier, *ital* Guantelli, *polon.* Paluſznìczek, *ross.* НАПЕРСТОЧНАЯ ТРАВА. *Icon.* Zorn T. 262. Herba colligi debet, antequam flores aperiuntur. Libr. j foliorum digitalis siccatorum dat extr. aquos. unc. jj℈. Decoctione vires plantae non parum hebescunt, quamobrem infusio praevalet. Operae pretium est, ut medici plures digitalis species ulteriori examini submittant, soli enim purpureae non inest eximia efficacitas, ut *Brera* in epiglottide observavit. Radix, quae prius effoditur, quam caulis anno secundo flores propellit, simili modo ac herba corpus humanum afficit, omnis autem virtutis expers fit, hoc tempore praeterlapso. *Vis.* Dosis refracta lotium pellit, major nauseam cum anxietate excitat, pulsum retardat, nimia vomitum ciet, et cardialgiam atque singultum, cum frigido manuum et pedum sudore producit. Ardor faucium sentitur, et oris. *(Boerhaave).* *Usus:* in febre vasorum sanguiferorum, et orgasmo humorum, phthisi scrophulosa et phlogosi chronica pulmonum, et hydrope. *Dosis* Negari nequit, saepius nimia dosi a medicis hoc heroïcum remedium propinari. Forma pulveris merito aliis antecellit. Incipiamus a grano uno, atque ascendamus usque ad tria. Aroma quoddam, si congruenter fieri potest, simul addatur. In phlogosi pulmonum chronico nitrum aliquoties adjeci vel sal ammoniacum. Post pulverem secundo loco ponendum infusum. *Infusum herb. digitalis* R. herb. digital. purp. dr. j infund. aqu. fervid. unc. Vjj per quatuor horas. Colat. adm. tincturae aromaticae, quae placet, unc. j D bis de die unc. j adultis. *Ypeyus* commendat infusionem dr. jj hb. digit purp. in aquae unc. XVj (pint. j) ut cochleatim omni triborio sumatur,

donec nausea et alvi dejectiones incipiunt. Infantibus trium annorum detur omni trihorio pulvis ex gr. $\frac{1}{4}$. Me initio febris scarlatinae, ob vehementem sanguinis versus caput congestionem, cum delirio tacito et rubore oculorum, saepius pulveribus ex muriatis hydrargyri oxydulati gr. j et herb. digit. purp. gr. $\frac{1}{4}$ omni trihorio infantibus optimo cum successu propinasse, laete recordor. *Oxysaccharum liquidum herbae digitalis Martii* R. herb. digit. purp. unc. j acet. vin. dest. unc. Vjjj diger. leni calore. Sub expressione filtr. et unc. Viß adm. sacchar. unc. X. Ebulliant et despument. Proponitur pro dosi ab autore cochlearculum j et plus (v. Abh. der phys. med. Societät zu Erlangen I. pag. 313) *Tinctura digital. purpur. aether. Ph. B.* R. herb. digit. purp. unc. j spiritus sulphurico-aetherei unc. Vjjj. Frigide digest. in vitro obturato, saepius agitando extrahatur tinctura. *Dosis:* initio guttul. X et sensim usque XXX et plures. *Tinctura hb. digital. aether. Trommsdorffii.* R. hb. Digit. purp. unc. j alcohol, unc. Vjjj extrah. herba per dies octo ad calor. gr. 10. Th. R. Col. adm. aeth. sulphuric. unc. jj D. Patet, hanc praeparandi methodum ante dicta esse praestantiorem. *Tinctura digitalis purpureae Flittneri.* R. hb. digital. purp. unc. jjj; evaporetur aquae affusae s. q. usque ad unc. jjj, quibus admiscetur tinctura cum liqu. anodyn. min. Hoffmanni unc. Vj ex residuo herbae, quae aqua extrahebatur, elicita. Dosis eadem, itidem augeatur. (Vid. Hufeland's J. d. p. H. XVI. 1. pag. 183.) Haec tinctura prioribus efficacior est, cum exactius eliciat herbae vires. *Harlesius* tincturam hb. digital. purpur. digestione cum spiritus vini et aquae cinnam. s. v. ana unc. jjj factam in usum vocare solet. Non hic reticendum est, has solutiones spirituosas morbis non respondere, in quibus sanguinis velocitatem cohibere laboramus. Nec unquam immemores simus, effectum digitalis sat diu perdurare, atque, illo clare manifestato, ejus usum esse sistendum *(Hahnemann)* nec renovandum, nisi cessaverit, et continuationem remedii necessariam esse, nobis persuaserimus. *Antidota.* Interne lac, in quo sem. Foeni graeci coctum est, Opium etc.; externe vesicantia commendantur.

† *DRACONIS SANGUIS*, RESINA.

CALAMUS DRACO.

Arbor Indiae orientalis.

SANGUIS DRACONIS IN GUTTIS, SEU LACRY-

, foliis involutus, glebae sunt resinosae, diversae magnitudinis, fragiles, obscure rubrae, tritae autem in pulverem, cinnabarinae, flammae admotae odorem styracinum spargentes. SANGUIS DRACONIS IN PLACENTIS, *massae grandiores, magis rubicundae, at vilioris pretii.*

Not. 135. *Germ.* Drachenblut, *belg.* Draakenbloed, *angl.* Dragon's blood, *gall.* Sang de Dragon. *Icon.* plantae: Rumph V. t. 58. fig. I. Solvitur spiritu vini. *Vis:* adstringens partibus adventitiis tribuitur, quia genuinus omnis odoris et saporis expers est. *Usus* non sine ratione exolevit.

† *DULCAMARA*, STIPITES.

SOLANUM DULCAMARA.

Stirps perennis frutescens, sarmentosa, ad sepes, in fruticetis, in locis humidis indigena.

Stipites flexiles, pennam anserinam et ultra crassi, plures pedes longi, ramosi, glabri, lignosi; juniorum cortex externe et interne viridis, rugosus et hiscens. Sapor primo subamarus, dein dulcis, odor mucidus, virosus, praesertim in recentibus.

Not. 136. *Germ.* Bittersüfsstengel, *belg.* Bitterzoet, *dan.* Bittersöde, *suec.* Quesved, *angl.* woody nightshade,

Bittersweet, *gall.* Douce-amère, *ital.* Solatro dolce amaro, *hisp.* Dulzamara, *lusit.* Docamarga, *polon.* Psinki wodne, *ross.* СОРОТШЬИ ЯАГОДЬИ. (Elsterbeeren). *Icon.* Zorn T. 43. Colligantur stipites primo vere aut fine autumni, tunc enim sapor et odor sunt fortiores. Coctione stipites plurimum efficaciae perdunt. *Vis:* narcotica, diaphoretica. Nauseam quibusdam creat, et vomitum cum aliis symptomatibus nervosis. *Infusum stipitum dulcamarae* R. stipit. dulcamar. dr. jj-jV infund. aqu. fervid. libr. j per hor. dimidium. Ebulliant expost per octavam horae partem. Dosis mane et vesperi duo vascula pro potu Theae, aut omni hora cochl. j. Extractum parum virtutis retinet.

ELEMI, RESINA.

AMYRIS ELEMIFERA.

Arbor orientalis.

Resinae orientalis frusta globosa, vulgo foliis palmae obvoluta, resinosa, viridi-lutescentia, extus dura, intus molliora, odore foeniculaceo.

Not. 137. *Icon.* plantae Plum. t. 100. Libra j civilis exhibet resinae unc. 15 et extr. aquos. secundi scr. j. *Vis:* Fibras musculares stimulat, et secretionem puris promovet. *Usus:* externe in unguentis, quae digestiva nominant.

† *ENULA* VID. *HELENIUM.*

† *ERYNGIUM,* RADIX.

ERYNGIUM CAMPESTRE.

Planta perennis, copiosa in locis sabulosis incultis.

Radix praelonga, fusca, saporis subdulcis; diutius masticata, aroma leve et mitem acrimoniam prodit.

Not. 138. *Germ.* Mannstreu, *belg.* Kruisdistel, *dan.* Mandstroe, *suec.* Krustistel, *angl.* the common eryngo, *gall.* Chardon à cent têtes, *ital.* Eringio, *hisp. & lusit.* Cardo corredor, *polon.* Mikolaiek ziele (Niklaskraut), *ross.* СИНАЯ ГОЛОВНЬКЪ. *Icon.* Zorn T. 135. *Vis* diuretica. *Usus* in hepatis obstructione obsoletus. Sine culpa hodie negligitur.

EUPHORBIUM, GUMMI-RESINA.

EUPHORBIA OFFICINARUM.

Frutex Africae meridionalis.

Succus lacteus, in aëre sponte exsiccatus, exhibet frusta gummeo-resinosa diversae magnitudinis, rotundata, aut angulata, fragilia, flavescentia, acerrima, urentia, inodora, nisi accensa.

Not. 139. *Germ.* Das officinelle Euphorbium, *belg.* Winkel-Euphorbium, *angl.* the officinal spurge, *gall.* Euphorbe officinal, *ital. & hisp.* Euforbio, *lusit.* Euphorbio. *Icon.* Blackw. t. 340. Aequali fere portione resina et gummi euphorbio insunt, in priori autem principium acre praecipue latere videtur. *Vis.* Ore diutius retentum ardorem faucium, sitimque pariter inexstinguibilem proritat, nec non vomitus frequentes, cum insequentibus sudoribus frigidis et animi deliquiis. Pulvis naso attractus pertinacissimam sternutationem producit. *Usus internus* insecurus exolevit. Datum est euphorbium pulveratum antiquitus a grano uno usque ad decem, immo pluria. *Externe* magni fit in carie ad vitiosas partes separandas. In paralysi externum usum in linimentis non vilipendendum esse arbitror. Illitum est in hoc morbo oleum euphorbii (Ph. Wirtemb.

ed. ann. 1771) paratum coctione euphorb. triti unc. β cum olei cheiri infusi unc. V et vini unc. jj usque ad humiditatis consumtionem, — *Coste* et *Willemet* plures species generis euphorbiae examini quoad virtutem medicam subjecerunt; est tamen dolendum, eos singulas non seorsim distinxisse.

† *FILIX MAS*, RADIX.

POLYPODIUM FILIX MAS.

In sylvis et locis umbrosis frequens.

Radix oblonga, paleacea, squamosa, tuberculis confertis, ovatis, incurvis, pullis et nigricantibus; saporis adstringentis, subamari, quodammodo acris. Radicis recentis color subviridis.

Not. 140. *Germ.* Das männliche Farrenkraut, *belg.* Mannetjes-varen, *dan.* Hanbregne, *suec.* Frajon, *angl.* polypody, the common male farn, *gall.* Fougere mâle, *ital.* Felce mascolina, *hisp.* Helecho masculino, *lusit.* Feto macho, *polon.* Paproc, *ross.* ПАПОРОПНЬКЪ. *Icon.* Zorn T. 497. Ex rad. filic. mar. eruuntur extr. aquos. pr. unc. jj et scr. Vjjj sapore subdulci, leniter adstringente, amariusculo, extr. spirituos. pr. unc. j et scr. XXjj magis adstringentis et amarioris. Sunt, qui radicem filicis foeminae (Pteris aquilina L.) huic praeferant. *Vis:* vermifuga, emmenagoga. *Usus* praecipuus contra taeniam latam. Multi specificam esse in eliminando hoc vermi intestinali hanc radicem credunt, negari autem nequit, et frustra esse adhibitam, quamvis bonitas et sinceritas remedii in dubium non potuerint vocari. Praeterea vix omnes adminiculantur virtuti radicis vel purgantibus, vel laxantibus. *Methodus radice filicis utendi Noufferae.* Initium curationis fit jusculo ex pane et multo butyro tempore vespertino sorbillato, et clysmate ex fol. malv. aut althaeae cum pauxillo salis culinaris et oleo olivarum, si alvus fuerit adstricta.

Postridie summo mane capiuntur dr. jjj radicis filicis cum aquae commun. unc. jV vel Vj. Ut nausea ex remedio, quae saepius accedit, avertatur, masticetur cortex citri conditus. Pulvere forsan vomitu ejecto, nova dosis postmittitur. Duobus horis praeteritis bolus deglutitur ex scammonii, panaceae mercurialis (muriat. hydrarg. mitis) ana gr. Xjj gummi gutt. gr. V cum confect. de hyacynitho compactus, et superbibitur vasculum unum vel alterum infusi theae viridis non saturati. Bolo vim exserente, denuo sorbillentur vascula quaedam theae, donec taenia prodierit; quo facto jusculum carneum theae potui substituatur. Quodsi bolus non graviter purgaverit, stimulus addatur solutionis sulphatis magnesiae unc. β-unc. j. Radice filicis dicto modo dato, loco pulveris evacuantis alii sumi jubent post duas horas omni semihorio olei ricini unc. dimid. donec unc. jj-jjj hujus olei aeger ingurgitaverit. *(Dunant). Methodus filice utendi Herrenschwandii.* Datur mane jejuno stomacho pulv. rad. filic. maris vel foeminae dr. j. Tertio die eodem tempore propinatur pulvis ex gummi gutt. gr. Xjj sal. absinth. citrat. gr. XXX sapon. starkeyani gr. jj. Ut tormina, quae evacuationes comitantur, mitigentur, post quemlibet epotentur poculum cum aqua tepida, vel cyathi quidam cum infuso theae. Trihorio praeterlapso sorbilletur olei ricini unc. j in cyatho jusculi carnei, quae dosis reiteretur post horam, et, si vermis nondum emigraverit, post alteram. *Methodus filice utendi Mathieui* 1. R. limaturae stanni anglic. pur. unc. j rad. filic. mar. dr. Vj sem. cynae unc. β rad. jalapp. resinos. sal. polychr. ana dr. j m. f. cum mellis communis s. q. elect. 2. R. pulv. rad. jalapp. resin. sal. polychr. ana scr. jj scammon. alepp. scr. j gummi guttae gr. X m. f. cum mell. commun. Elect. Per plures dies aeger utatur victu, cibis salsis, jusculis ex pane, atque obsoniis, quae facile digeruntur. Sumat dein omni bihorio electuar. primi cochlearculum j bidui vel tridui spatio, donec vermis sensus molestos in intestinis producit. His sensibus exortis, eadem dosis alterius electuarii iisdem intervallis loco prioris propinetur, usque dum taenia ex ano egreditur, et si forsan cunctetur, cochlearia non-

nulla olei ricini bibantur, vel clysma ex hoc oleo in auxilium vocetur.

FLAMMULA JOVIS, FOLIA, FLORES.

CLEMATIS ERECTA.

Planta perennis in collibus et dumetis Austriae, Hungariae, Valesiae et alibi in Helvetia.

Folia pinnata, foliola ovato-lanceolata integerrima, caule erecto; recentia in lingua et faucibus ardorem cient, diutius in ore retenta, os inflammant, vesiculas excitant et exulcerant.

Sicca mitiora sunt, utpote saporis acido-subdulcis, leniter adstringentis, parum urentis.

Flores tetrapetali et pentapetali, pariter acres, sive sicci explorentur, sive in infuso.

Ne substituatur huic plantae CLEMATIS VITALBA, caule scandente, et foliorum pinnatorum foliolis cordatis; neque CLEMATIS FLAMMULA. quae itidem scandens, et foliis instructa inferioribus pinnatis laciniatis, summis simplicibus integerrimis.

Not 141. *Germ* Brennkraut, *belg.* Brand Klemeche, *gall* clematite droite, *angl.* Lady's bower, Upright. *Icon* Jacqu. austr T. 291. Exsiccatione quidem folia et flores mitiorem naturam accipiunt, tanta autem acritudo remanere solet, ut medici circumspectionem in eis adhibendis nondum superfluam reddant. *Vis.* Folia et praeprimis flores ardorem in lingua producunt; prorumpunt vesiculae et ulcuscula. *Usus* in tophis et ulcusculis syphiliticis. *(Stoerck). Infusum flammulae jovis* R. hb. flammul. jovis dr. jj, vase clauso, ebull. c.

aqu. commun. s. q. per horae quadrantem. Colat. libr. j d. pro dosi bis et quater de die unc jV. *Dosis* pulv. et extr. cum saccharo gr. jjj *Externe* pulvis herbae detersit ulcera fungosa et cancrosa.

† *FOENICULUM*, *RADIX*, *SEMEN*.

ANETHUM FOENICULUM.

Planta biennis Europae, in hortis culta. Radix aromatica, subdulcis, ramosa, alba. Semina subdulcia, aromatica, oblonga, striata, pallida. Datur varietas, quae VULGARE GERMANICUM dicitur, seminibus exilioribus, pulli coloris, magisque aromaticis.

Not. 142. *Germ.* Fenchel, *belg.* Venkel, *dan.* Fennikel, *suec.* Fänkel, *angl.* the Fennel, *gall.* Fenouil, *ital.* Finocchio, *hisp.* Hinojo, *lusit.* Funcho, *polon.* Kops wlosky, *ross.* ВОЛОСКОЬ УКРОПЪ. *Icon.* Zorn T. 63. Spiritu vini plus extrahitur ex semine foeniculi quam aqua, etsi infusi aquosi sapor fortior sit eo, quem spirituosum exserit. Oleum aethereum cuticulae seminis inhaeret. Libr. X seminis dant unc. jV-V. Medulla includit oleum unguinosum. *Vis:* carminativa, bechica, et lactifera. *Usus* in catarrho, tussi, colica flatulenta, agalactia, et oligogalactia. *Dosis* pulv. seminis scr. j-dr. j. *Pulvis foeniculi compositus.* R. carbonat. magnes. unc. j sem. foeniculi, cort. aurant. ana unc. β. Dosis dr. β. *(Rosenstein).* *Species galactopoeae* R. rad. foenicul. hb. foenicul. — chaerefolii, sem. anisi — foenicul. — anethi ana. Infund. unc. j cum aquae mens. j pro potu.

† *FOENUM GRAECUM*, *SEMEN*.

TRIGONELLA FOENUM GRAECUM.

Planta in Europa meridionali annua.

Semina mucilaginea, subaromatica, subquadrangularia, pullo-lutea, odore nauseoso ingrata.

Not. 143. *Germ.* Fönugräk, Bockshorn, *belg.* Fenegriek, *dan.* Graeskhöe, *suec.* Fenugrek, *angl.* Fenugreck, *gall.* Fenu-grec, Senegré, *ital.* Fieno greco, *hisp.* Feno greco, *lusit.* Feno grego. *Icon.* Zorn. T. 116. Odor seminis foeni graeci cum illo similitudinem habet, qui ex meliloto percipitur. Continet semen praeter mucilaginem principium extractivum amarum. Caloris ope ejus unc. j conciliat unc. XVj aquae mucilaginosam consortionem. Infusum sulphate ferri perfunditur colore nigro-fusco. *Vis* emolliens, lubricans. *Usus:* olim in catarrho, externe ad cataplasmata emollientia. *Medicina veterinaria.* Medici veterinarii admiscent foenum graecum pulveribus contra morbum glandulosum equorum catarrhalem.

FRAXINUS, CORTEX.

FRAXINUS EXCELSIOR.

Arbor in sylvis frequens.

Corticis recentis color extrinsecus cinereus, interne ex albo flavescit, siccati color externe fuscus, intus luteo-pullus, compages subfragilis, sapor amarus et austerus. Eligatur ex ramis crassioribus, vel trunco.

Not. 144. *Germ.* Eschenbaum, *belg.* Escheboom, *dan.* Asketraee, *suec.* Askträd, *angl.* Ash-tree, *gall.* Le frene, *ital.* Frassino, *hisp.* Fresno, *lusit.* Freixo, *polon.* Jesion, *ross.* ЯАЗЪ. *Icon.* Blackwell T. 328. Unc. j cort. praebet extr. aquos. dr. jjj, extr. spirit. unc. β. *Vis:* adstringens, roborans. *Usus:* in febribus intermittentibus. *Dosis* dr. β omni bihorio tempore apyrexiae. Incassum saepius datum est. (*Torti*).

FUMARIA, HERBA RECENS.

FUMARIA OFFICINALIS.

Planta annua frequens.

Caulis diffusus, folia composita, foliola trilobata, tenerrima; sapor peramarus.

Not. 145. *Germ.* Gemeiner Erdrauch, *belg.* Aardrook, *dan.* Jordrög, *suec.* Jordrök, *angl.* Fumitory, *gall.* Fumeterre, *hisp.* Filomosterra, *lusit.* Fumiterra, *polon.* Rutka ptasza albo polna, *ross.* ЧИСТЯКЪ. *Icon.* Zorn T. 14. Amaricies praesertim transit in extract. spirit. *Vis:* stomachica, resolvens. *Usus:* succus expressus in obstructione viscerum abdominalium. *Dosis* unc jj-jjj bis de die. In vitiis cutis herpeticis pariter profuit. Infusum succo non inferius virtute habetur.

GALANGA MINOR, RADIX.

MARANTA GALANGA, SIVE ALPINIA GALANGA SWARTZII.

Planta perennis Indiae orientalis.

Radix ramosa, nodosa, teres, annulis transversim cincta; extus et intus profunde rufa; saporis acris, aromatici.

Not. 146. *Germ.* Galgant, *angl.* Galingale, *gall.* Galanga. *Icon.* Rumph. V. T. 63. Quaevis libra radicis continet circiter olei aether. dr. j. Extrahuntur ex libra j spiritu vin. unc. jjj, aqua unc. Vj. *Vis* stomachica, incidens. *Usus* in dyspepsia, colluvie pituitosa primarum viarum. *Dosis* gr. X-scr. j. — Cum radice cyperi longi subinde commutatur, multum amariori.

† *GALBANUM*, GUMMI-RESINA.

BUBON GALBANUM.

Frutex in Arabia, Syria, Mauritania et India orientali sponte nascens.

Gummi-resina ex frustulis siccis flavescentibus, et albis nitidis, facile diffringendis, aggregata, odoris fortis, plerisque ingrati, saporis subamari, acris. In granis allata semipellucidis, albicantibus, vel flavo-rubellis optima habetur.

Not. 147. *Germ.* Mutterharz, *belg. & angl.* Galbanum, *gall.* Galbanon, *ross.* АЛБАНЪ. *Icon.* Zorn T. 216. Spiritus vini extrahit $\frac{2}{3}$, aqua $\frac{1}{3}$. Haec gummi-resina, aqua destillata, transmittit olei aetherei $\frac{1}{21}$. *Vis:* antihysterica, sanguinis motum accelerans. *Usus.* In pilulis antihystericis cum aliis plerumque miscetur. Dantur tincturae galbani gutt. XV-XX. Gummi-resina, sicuti oleum ejus aethereum, externe discutiens est et nervina.

† *GALLAE QUERCINAE.*

QUERCUS CERRIS.

Gallae tumores sunt morbosi, punctura Cynipis Quercus folii *et* Cynipis Quercus inferae *L. in foliis producti, globosi, verrucosi. Aleppenses majores, duriores, coloris coerulescentis, reliquis magis adstringentes, et imperforatae praeferendae sunt.*

Not. 148. *Germ.* Gallapfel, *belg.* Gallnoot, *dan.* Galdaebel, *suec.* Gallaple, *angl.* Gallnut, *gall.* Noix de galle, *ital.* Noce di galla, *hisp.* Agalla, *lusit.* Galha. *Icon.* plantae du Roi II. T. 5. fig. 1. Adstringens porrigunt gallae purissimum et efficacissimum. Maxime quoque abundant acido, quod dicitur gallicum. Spiritus vini parciorem copiam extracti deponit, quam aqua, quod aquoso fortius adstringit. *Vis:* Styptica, tonica. *Usus:* in blenorrhoeis pertinacissimis, diarrhoea inveterata a laxitate, et febribus intermittentibus. *Dosis* pulv. gr.

X-XX. *Decoctum gallarum* R. gallar. quercin. unc. ß coqu. c. aqu. font. libr. jj. Colat. libr. jß vel libr. j det. cochleatim. Adhibuere illud plures externe contra prolapsum intestini recti, alii ut lavacrum in discutiendis maculis hepaticis. Ne misceatur tamen cum aqua calcariae, kali, ferro et salibus martialibus. *Tinctura gallarum* R. gallar. quercin. unc. ß spirit. vin. unc. jj. Diger. Vid. prooemium. *Unguentum gallarum.* R. pulv. gallar. axung. porc. ana f. unguent. ad haemorrhoides coecas repercutiendas. *(Bell).* Alii addunt tantum axungiae octavam gallarum partem. *(Cullen).* In haemorrhoidibus coecis gravidarum et similibus locum potissimum habere videtur. — Ulterius tentandum est, an gallae, ut *Weikardius* asserit, cum amaris commixtae evacuationem alvinam magis promovent, quam diminuunt.

† *GAMBOGIA, GUMMI GUTTAE,* GUMMI-RESINA.

STALAGMITES CAMBOGIOÏDES MURRAYI, SEU *GUTTAEFERA VERA* KOENIGII.

Arbor Indiae orientalis.

Gummi-resina ex arbore stillans, calore solari siccata, flavo-rufa, opaca, fractura nitens, friabilis, ex acri subdulcis. Rejicienda grumosa, aut sorde contaminata.

Not. 149. Spiritus vini ex gummi guttae genuina extrahit $\frac{5}{6}$. *Vis.* Fortiter alvum purgat, nec raro vomitum producit. Cum potassa solutum gummi guttae lotium potenter pellit. *(Boulduc).* Blandius in genere operatur, si liquore copiose diluitur. *(Geoffroy).* *Usus* in torpore canalis intestinalis gr. $\frac{1}{2}$-gr. j in hydrope gr. jjj aliquoties de die, contra taeniam gr. X-XX vid. not. 140. Optime ex eo fit emulsio mucilagine gummi ara-

bici. *Solutio gummi guttae kalinae* R. gummi guttae gr. jV solv. in liqu. kal. carbonic. dr jj Omni trihorio gutt. XV. Non opus, ut gummi guttae cum lixivio in saponem commutetur.

GENISTA, SUMMITATES.

SPARTIUM SCOPARIUM.

Fruticulus in locis arenosis et elatis sponte nascens.

Foliis ternatis, solitariis, ramis inermibus angulatis; sapor inest amarus, nauseosus.

Not. 150. *Germ.* Pfriemenkraut, *belg.* Bezembrem, *dan.* Gyfvel, *suec.* Pingstblomma, *angl.* common Broom, *gall.* le Genêt commun, *ital.* Ginestra. *hisp.* Retama de escobas, *lusit.* Giesteira menor. *Icon.* Zorn T. 224 Continent summitates genistae magnam potassae copiam. *Vis* diuretica. *Usus:* salutaris in hydrope. *Meadius* hoc in morbo superbibi jussit decoctum genistae assumto cochl. parvo seminis sinapis. Non minus proficuus fuit salis genistae scr. j ter de die aegris datus. *Vinum genistae Sydenhami* R. cinер. genistae libr. j fol. absinth. dr. ß vin. rhenan. libr. jj. *Dosis:* ter de die unc. jV. Hydropes pro deploratis habiti hoc vino devicti fuere. — Scoti quondam cerevisiae loco lupuli genistae herbam adjicere solebant. — In Europa meridionali genista hispanica (*spartium junceum L.* vid. *Icon.* in Regnault T. 220) loco communis colligitur.

† *GENTIANA RUBRA*, RADIX.

GENTIANA LUTEA.

Planta in Alpibus perennis.

Radix admodum longa, rugis annularibus conspicua, crassitie pollicis et quod excurrit, extus fusca, intus lutea; saporis amarissimi.

Not. 151. *Germ.* Rother Enzian, *belg.* Gentiaan, *dan.* Entzianrod, *suec.* Baggsöta, *angl.* Gentian, *gall.* Gentiane, *ital.* Genziana, *hisp.* Jenciana amarilla, *lusit.* Genciana amarella. *Icon.* Zorn T. 257. Vix aliud remedium excepto ligno quassiae huic radici amaritie antecedit, quam spiritus vini copiosius attrahit, quam aqua. *Vis:* stomachica, bilis inertiam corrigens. *Usus:* in atonia ventriculi, acore succi gastrici, et inordinata alvi excretione. Ob nimiam amaritiem forma pulveris in hoc remedio ut in quassia a medicis et ab aegrotis respui solet. Multa composita ingreditur rad. gentianae rubrae. *Infusum gentianae compositum Ph. L.* (1788) R. rad. gentian. rubr. dr. j cort. exter. limon. recent. unc. ß cort. exter. aurant. hispal. exsiccat. dr. jß aqu. fervent. unc. Xjj. macer. per horam et col. Dosis ter de die cochl. jj. *Infusum amarum simplex Ph. L.* (1762) R. rad. gent. r. flaved. cort. aurant. dr. jß — cort. citri unc. ß aqu. bull. unc. Xjj. post macerationem per horam unam aut alteram col. per chartam emporeticam vel per pannum sine expressione. Dosis ut in anteriori. *Infusum amarum Ph. Ed.* (1784) R. rad. gentian. rubr. unc. ß cort. aurant. hispal. siccat. dr. j sem. coriandr. dr. ß spirit. vin. tenuior. unc. jV aqu. commun. unc. Xjj. affund. primum spiritum, dein aquam; tum macera sine calore per noctem. Col. Dosis ut in antecedentibus. Praeferri debet infusum edinburgense. Cardamomum eum gratius reddit quam coriandrum. Soda in primis viis praesente dr. j natri carbonici optimum erit additamentum.

GEOFFROYA JAMAÏCENSIS, CORTEX.

GEOFFROYA JAMAÏCENSIS, SEU GEOFFROYA INERMIS WRIGHTII.

Arbor procera in Jamaica frequens.

Cortex intus luteus, extus epidermide cinereofusca, cortice sequente ex viridi flavo, nonnihil amarus et subausterus.

Not. 152. *Angl.* Worm-bark. *Icon.* in Bondt. monogr. *Vis:* anthelmintica. Major vulgari dosi vomitum excitat. *Usus:* in lumbricis et ascaridibus expellendis. *Dosis pulv.* adultis gr. XXX, infantibus biennibus gr. X et infantulis gr. β ter vel quater de die. *Decoctum corticis Geoffroyae Jamaïcensis.* R. cort. geoffroyae jamaïcensis unc. j coqu. in aqu. font. unc. 32 Col. unc. Vjjj d. cochl. jV ter vel quater de die. *(Donald Monro).* Cum sequens cortex jamaïcensi efficacior habetur, non video, quare officinae utroque onerantur.

† *GEOFFROYA SURINAMENSIS,* CORTEX.

GEOFFROYA SURINAMENSIS, SEU *GEOFFROYA INERMIS* SWARTZII.

Arbor Americae meridionalis, in nemoribus Surinamensibus frequens.

Cortex externe algis cinereis tectus, crassus, fibrosus; in superficie externa colorem habet ex fusco nigricantem; intus coloris est ferruginei, subfusci. Diu servatus, inodorus est, recens advectus, odoris nauseosi; sapor leviter amarus et nonnihil austerus.

Not. 153. *Icon.* Act. Lond. 67. p. 512. t. 10. Frusta geoffroyae surinamensis plana sunt et longa. Saepius eis intermiscentur cortices Cascarillae crassioris, geoffroyae inermis et jamaicensis. Cortex geoffr. surinam. partibus resinosis abundat *Vis.* Virtute vermifuga ante dicto praeit. *Usus:* contra vermes intestinales. *Decoctum cort. geoffr. surinamens.* R. cort. geoffr. surinam. unc. jj, spirit. vin unc. jV, aqu. font. unc. XXXji, coqu. usque dum dimidia pars remaneat. Ter sumat aeger primo die unc. jj, quae producunt ut plurimum tres modicas alvi evacuationes cum nausea! Altero die capiat tantundem, atque, majori nausea praegressa, vomitus exorietur cum dejectionibus pituitosis.

Tertio die reliqua pars decocti sumatur vasculatim, jamque excitabitur vomitus cum eliminatione vermium et pituitae, quarto in auxilium vocetur purgans ex radice jalappae et muriate hydrargyri oxydulati, et copiose, si qui restant, prodire pergent vermes et pituita. *Decoctum aliud cort. geoffr. s.* R. cort. geoffr. s. unc. β coqu. per dimid. hor. c. aqu. font. unc. Vj Colat. admtinct. geoffr. s. unc. j syrup. Cort. aurant. unc. β. D. omni hora cochl. j. (*Thuessink*). *Tinct. g. surin.* vid. not. 484.

† *GLYCYRRHIZA, LIQUIRITIA,* RADIX, SUCCUS SIVE EXTRACTUM.

GLYCYRRHIZA GLABRA ET *GLYCYRRHIZA ECHINATA.*

GLYCYRRHIZA GLABRA, *planta perennis, in Europa meridionali frequens.*

GLYCYRRHIZA ECHINATA, *perennis Russiae meridionalis.*

Radix extus cinereo-fusca, rugosa, intus lutescens, saporis dulcis, dein nonnihil amari.

Succus inspissatus vel extractum forma subcylindrica, longitudine sex pollicum, crassitie unius, vel majori; foliis laurinis obvolutum, in fractura splendens, dulcis saporis cum levi amaritie. Rejiciatur empyreuma sapiens vel olens, et quod cupro inquinatum est.

Not. 154. *Germ.* Süfsholz, Lakrizen, *belg.* Zoethout, *dan.* Lakris, *suec.* Lakrits, *angl.* Liquorice, *gall.* Réglisse, *ital.* Regolizia, *hisp. & lusit.* Regaliz, *polon.* Lakrycya, *ross.* СОЛОКОШВЫЙ КОРЕНЬ. *Icon.* Zorn T. 209 et 350. Infusum aquosum liquiritiae suaviter dulce est, decoctum dulciusculo-amarum, Aqua solvit

$\frac{1}{3}$ succi liquiritiae venalis. Alcohol extrahit ex radice $\frac{1}{3}$, atque solutio spirituosa aquosae dulcedine cedit. *Vis:* resolvens, bechica, blande stimulans. *Usus.* Praesertim sapori remediorum ingratorum emendando inservit. Dr jj succi loco unc. j sacchari eis addi possunt. Corrigit optime salsedinem muriatis ammoniae. Radix ore retenta, et sensim masticata, sitim sedat, unde grata hydropicis. Infuso cum ea parato male vero adjicitur murias hydrargyri, quoniam hoc illud decomponit. Plura praeparata ex liquiritia non immerito frustra hodie in officinis exposcuntur. De succo liquiritiae depurato vid. not. 452. et de syrupo liquiritiae not. 463.

† *GRAMEN*, RADIX.

TRITICUM REPENS.

Planta perennis, in agris, ruderibus refertis, et pratis maxime vulgaris.

Radix repens, glabra, longissima, geniculata, albescens; saporis dulcis.

Not. 155. *Germ.* Quecke, *belg.* Kweekgras, *dan.* Quäckrödder, *suec.* Quickhvete, *angl.* common wheatgrafs, Quickgrafs, *gall.* Chiendent, *ital.* Gramigna, *lusit.* Grama canina, *polon.* Psia pasza, *ross.* ПИРЕИ (Pyrei). *Icon.* T. 257. Centum librae radicis siccatae erogant extr. aquos. libr. 20. Constat haec radix praecipue ex principio extractivo dulci ad fermentationem proclivi. *Vis:* leniter stimulans, et, ut volunt, humores corrigens. *Usus:* in ptisanis et forma mellaginis.

GRANA PARADISI, SEMEN.

AMOMUM GRANUM PARADISI.

Arbor potissimum Indiae orientalis.

Semina turbinata, angulosa, rugosa, sublucida, odoris aromatici, saporis acris, fervidi, ad piperinum accedentis.

Not. 156. *Germ.* Paradieskörner, *angl.* grains of Paradise, *gall.* grains de Paradise. *Icon.* Blackwell t. 385. *Vis* incidens. *Usus* in colluvie pituitosa primarum viarum. Ob abundantiam acrium, quae cum hoc semine conveniunt, numerus eorum sine necessitate extraneo non ultro augendus.

GRANATUM, CORTEX FRUCTUS, FLORES, BALAUSTIORUM DICTI.

PUNICA GRANATUM.

Arbor praesertim in Hispania frequens.

Cortex fructus peradstringens, ex fusco rubet. Flores balaustiorum, hemisphaerici, laete rubri, calyce coloris obscuri, saporis adstringentis. Ex varietate PUNICAE GRANATI desumuntur.

Not. 157. *Germ.* Granatbaum, *belg.* Granaatboom, *angl.* the pome-granate tree, *gall.* Grenadier, *ital.* Granato, *hisp.* Granado, *lusit.* Romeira, *polon.* Drzewo granatowe, *ross.* ГРАНАТНОЕ ДЕРЕВО. *Icon.* Zorn T. 270. Flores granati mitius adstringunt cortice. *Usus.* Cortex fruct. et flores granati locum habent, ubi adstrictio partium necessaria videtur. Infusum ex cort. granati dr. jj cum vini rubr. libr. jj contra fluorem album cochleatim omni trihorio praebitum est. Quod reliquum est nec cortices fruct. granati nec flores praestant aliis adstringentibus, atque sine damno ex officinis abesse possunt.

GRATIOLA, HERBA, RADIX.

GRATIOLA OFFICINALIS.

Planta praesertim Europae meridionalis, apud nos rarior, culta in hortis.

Herba amaro-acris, foliis lanceolatis serratis, glabris; floribus ringentibus, subalbidis, diandris.

Radix cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba; valde amara, acris.

Not. 158. *Germ.* Gnadenkraut, *belg.* Genadekruid, *dan.* Guds naades urt, *suec.* Nädeört, *angl.* Hedge hyssop, *gall.* Graticle, *ital.* Graziola, *hisp. & lusit.* Graciola, *polon.* Konjtrud, *ross.* ЛИХАРОДОЧНАЯ ТРАВА. *Icon.* Zorn T. 449. Obtinetur ex herba gratiolae Extr. aquosi prim. $\frac{1}{4}$ et dein extr. spirituosi ex residuo $\frac{1}{107}$. *Vis:* purgans, non raro simul emetica. *Usus:* in hydrope, morbis verminosis, mania, ulceribus pedum phagedaenicis. *Dosis* pulv. gr. X-XXX. *Decoctum herbae Gratiolae* R. hb. Gratiolae dr. jj coqu. c. aqu. font. s. q. Col. unc. jV adm. spirit. sulphurico aether. scr. j, syrup. Rhei unc. j. D. omni bihorio cochl. j. *Clysma ex hb. Gratiolae* R. hb. Gratiolae dr. jjj-V coqu. c. aqu. font. unc. Xjj. Col. unc. Vjjj D. In pertinace obstructione alvina, et contra ascarides utile. Addi possunt, si ut anthelminticum injiciatur, fell. tauri dr. jjj. Propinantur extr. aquos. gr. jj-X bis de die, dosin sensim augendo, in ulceribus pedum inveteratis. Constat praeterea folia, sive fuerint recentia sive pulverata, vulneribus admota, consolidationem eorum promovere.

† *GUAJACUM*, *LIGNUM*, *CORTEX*, *GUMMI-RESINA*.

GUAJACUM OFFICINALE.

Arbor Indiae occidentalis et Americae meridionalis.

Lignum ponderosum, compactum, fusco-ferrugineum, aqua specifice gravius, resinosum; odoris, si calefiat, aromatici; saporis subacris et nonnihil amari. Alburnum coloris multo dilutioris, albidi.

Cortice vestitur tenui, ex lamellis cinereis aut fuscis constructo, extus scabro, fissurisque variis et maculis ex livido griseis notato. Corticis sapor acris.

Succus arboris stillatitius gummeo-resinosus, inspissatus, ex pullo virescens, in magnis frustis inaequalibus advehitur; saepe fragmentis corticis unitus, fragilis, friabilis, diffractus splendens, frustis minoribus pellucidis, subamarus, acris, urens, prunis inspersus odoris grati specifici. Exsudat sponte per corticem de arboribus aetate provectioribus, arte facto longe praestantior; qui majori in spiritu vini solubilitate praesertim dignoscitur a gummi-resina nativa. Trita haec cum mucilagine gummi arabici, et sufficiente aquae quantitate diluta, caesio colore tingitur. Solutio alcoholica, aquae mixta depuratae, continuo lacteum induit colorem, post aliquot horas coeruleum, in limpidum aut viridem vertendum, si alcali causticum fluido instilletur. Si vero colophonio, alcali caustico non solvendo, depravata fuerit gummi-resina, turbidus evadet liquor.

Not. 159. *Germ.* Franzosenholz, *belg.* Pokhout, *dan.* Franzos traee, *suec.* Fransosenholts, *angl* Pok-wood, *gall.* Gayac officinal, *ital.* Guajaco, *hisp.* Guayacan, *lusit.* Guajaco, *ross.* БАККАУШЪ. *Icon.* Zorn. T. 539. Ex ligni guajaci unc. jj educebantur dr. jjj resinae. *(Juch)* et extr. aquos. odore et sapore balsamum Peruvianum referentis dr. j. *(Spielmann). Vis:* Sudorifera. *Usus* in

arthritide et lue venerea. *Decoctum guajaci Huttenii* R. scob. lign. guajac. libr. j; cum aqua libr. Vjjj macerata, lento igne per sex horas coqu. *Dosis* bis de die libr. ß, subjuncto simul per diem decocto tenui ex residua rasura ligni cum libr. Vjjj aquae parato. Inter usum decocti tenuis tantum cibus et potus concedebatur. *Huttenius* consumsit libr. V ad symptomata, quae post luem syphyliticam supererant, penitus repellenda. Saporis causa plures addunt sub finem coctionis rad. liquirit. aut passulas, et vis augendae gratia radicem sassaparillae et lignum sassafras. Hodierni medici praeferunt quoque decoctum dilutius, concentratum enim fauces irritat, easque nonnihil inflammat. Eluebant autem aegri ejus adminiculo optimo cum effectu ulcera, post luem veneream foetore et diuturnitate aeque molesta. Contra morbos arthriticos et rheumaticos in praxi recentiorum praevalet usus resinae guajaci varia forma et compositione. *Pulvis resinae guajaci Weikardi* R. pulv. resinae guajaci, tartar. pur. ana gr. XV D. ter quaterve de die cum decocto althaeae. *Solutio resinae guajaci aquosa.* R. resinae guajaci unc. ß, gumm. Arab. dr. jj, sacchar. alb. unc. ß, aqu. hyssopi unc. jX. Dosis mane et vesperi cochl. jj *(Berger)* superbibatur libr. j decoct. hordei perlati vel avenae. *Pilulae resinae guajaci* R. resinae guajaci unc. ß, sapon. medicat. dr. j, f. pilul. pondr. gr. jj, consperg. pulv. lycopod. D. nro. X-XV. *(Theden)* aut R. resin. guajaci nativ. dr. jj, natr. carbonici siccati dr. j. f. pilul. pond. gr. jj c. aqu. font. s. q Dosis mane et vesperi nro. Xjj. *Morsuli guajacini* R. sacch. Canar. unc. jjj, solv. in aqu. comm. s. q. et decoqu. ad consistent. qua opus est; adm. resinae guajaci nativ., extr. guajac. aquos. ana unc. ß. ebull. leni igne, ut unionem ineant. Formentur morsuli dr. j. D. ter de die nro. j. vid. not. 484.

† *HEDERA TERRESTRIS*, HERBA.

GLECHOMA HEDERACEA.

Planta perennis, ubique frequens et culta.

Folia reniformia, crenata, subaromatica.

Not. 160. *Germ.* Gundermann, *belg.* Aardveil, *dan.* Vedbende, *suec.* Jordrefvor, *angl.* Ground-ivy, *gall.* Terrette, *ital.* Ellera terrestre, *hisp.* Hiedra terrestre, *lusit* Hera terrestre, *polon.* Bluszcz poziemny, *ross.* КРОПОВИКЪ. *Icon.* Zorn. T. 93. Unc. j herb. siccae dat extr. aqu. acriusculi unc. β, resinosi dr. j. *Vis:* aromatica, lotium pellens. *Usus* in affectione renum et catarrhalibus. *Dosis* pulv. dr. ß.

† *HELENIUM, ENULA,* RADIX.

INULA HELENIUM.

Planta perennis in pratis succulentis et humidioribus.

Colitur in hortis Nordvicensibus aliisque.

Radix fusiformis, carnosa, crassa, recens extus pulla, siccata vero glauca, intus alba, mucilaginea, aromatica, ex acri subamara: recentis odor camphoraceus.

Not. 161. *Germ.* Alantwurz, *belg.* Alantswortel, *dan. & suec.* Aland, *angl.* Elecampane, *gall.* Aunée, *ital. hisp. & lusit.* Enula campana, *polon.* Oman, *ross.* ДЕВЬЯПШИКЪ ДЕВЕСИЛЪ. *Icon.* Zorn T. 475. Helenium in hortis cultum sylvestri inferior fit. Aqua extrahit $\frac{7}{8}$, spirit. vini $\frac{1}{5}$. Continet $\frac{1}{80}$ olei aetherei camphoracei. Cum radices helenii cito mucescant, in longitudinem dissecantur, ut melius siccescant. *Vis* diaphoretica, exaestuans. *Usus* in catarrho chronico, anorexia, febri nervosa. An tremorem artuum ab incauto hydrargyri usu ortum sedet helenium, dubitatur. *Dosis* pulv. dr. ß. *Decoctum Helenii* R. rad. Helen. unc. ß coqu. c. aqu. font. q. s. Col. unc. Vj. Omni bihorio cochl. j-jj. Tinct. Helenii vid. not. 484. *Unguentum ex rad. Helenii* R. rad. Helenii libr. β coqu. cum aqu. font. unc. 128 ut f. pulmentum; adm. butyr. insuls. unc. jV. Laudatur in scabie. *Medicina veterinaria. Un-*

guentum Helenii jam pridem medici veterinarii ad sanandam scabiem pecoris cornuti et equini adhibuerunt.

HELLEBORUS ALBUS, VERATRUM, RADIX.

VERATRUM ALBUM.

Planta perennis in montosis Austriae aliisque locis, ut et in America septentrionali crescens.

Radix conico-cylindrica, apice obtuso, subinde ultra pollicem crassa, numerosis, albicantibus vel badiis, oblongis fibrillis stipata, vel resectarum vestigiis insignita; extus fusca, vel grisea, intus alba, saporis acerrimi, subamari, nauseosi et urentis; tritura in pulverem redacta sternutationem excitare solet.

Not 162 *Germ.* Weiſse Nieswurzel, *belg.* witbloemige Nieswortel, *suec.* hvit prustrot, *angl.* the white hellebore, *gall.* Hellebore blanc, *ital.* Elleboro bianco, *hisp* Vedegambre blanco, *ross.* ЧЕМЕРИЦА. *Icon.* Zorn. T. 295. Elicitur ex radice helleb. alb. dimidia pars extr. aquos. exigua acrimonia, $\frac{3}{4}$ extr. spirituosi haud parum acris. *Vis.* Helleborus albus, larga dosi assumta, vomitus ciet vehementissimos atque alvi dejectiones, strangulationis quasi a laqueo sensum, anxietatem, pulsus remansionem, convulsiones, motus febriles, et frigidos sudores. *Usus:* in mania, melancholia et hydrophobia. *Dosis* Initium fiat minuta dosi gr. j sensim progrediendo et caute usque ad gr. XXjV, si forte necessitas exigat. *Decoctum radicis hellebori albi* R. rad hellebor. alb. dr. j, coqu. c. acet. vin. Col. unc. XX d cochl. j omni bihorio aut trihorio pro corporis constitutione *(Wendt)*. *Tinctura Veratri Ph. L.* (1762) R. rad. hellebor. alb. unc. Vjjj spirit. vin. tenuior. libr. jj diger. et col. per chartam. Dosis dr. β-j. *Extern.* radix hellebori albi necat pediculos, scabiemque sanat, et ulcera herpetica. *Unguent. Helleb. alb. Ph. L.* R. r. helleb. alb. unc. j ungu. adip. suill. unc. jV.

ess. limon. scr. ß m. *Extispicia cadaverum* exhibuerunt ventriculi inflammationem in hominibus, qui helleboro nigro interierunt, nec non maculas nigras, eum obsidentes, cum corrosione membranae internae. Pulmones atro sanguine infarcti et inflammati comparuere.

HELLEBORUS NIGER, MELAMPODIUM, RADIX.

HELLEBORUS NIGER.

Planta perennis alpina Helvetica; in hortis culta negligatur.

Radicis caput subglobosum, innumeras fibrillas crassiores emittens, extus nigras, intus albas; sapor subacerbus, acris, nonnihil amarus. Minores fibrillae crassioribus ipsique radicis tuberi virtute praestant medica. Plures quandoque radices pro vera Hellebori nigri radice divenduntur, ut v. c. Trollii Europaei, Actaeae spicatae, aliarumque plantarum, praesertim vero radix Adonidis vernalis; ab Helleboro nigro autem distinguenda, capite breviori, crebrioribus, carnosioribus et subtilioribus fibrillis; nigredine praeterea insigniore ad superficiem externam, ad internam magis candida albedine, odore fortiori et sapore acri et amaro, dulcedini mixto.

Not. 163. Hellebori nigri radix similes effectus prodit ut albus. *Icon.* Zorn T. 185. *Tinctura Melampodii Ph. Ed.* (1764) R. rad. hellebor. nigri unc. jV coccinell. scr. jj spirit. vin. tenuior. libr. jj diger. et col. per chartam. Dosis dr. j-jj.

HIPPOCASTANUM, CORTEX.

AESCULUS HIPPOCASTANUM.

Asiae septentrionalis indigena, culta vero frequens in Belgio.

Cortex admodum adstringens, amarus, epidermide tectus ex rubro fusca, intus ferrugineus.

Not. 164. *Germ.* Roſskastanie, *belg.* Paardenkastanie, *dan.* Hestekastagne, *suec.* Hästkastagnier, *angl.* Horsechesnut, *gall.* chataigne de cheval, marronier, *ital.* Ippocastano, *hisp.* Esculo castana de aballo, *lusit.* Ippocastano, *polon.* Konski Kasztan, *ross.* КОНСКОИ КАСПАНЪ. *Icon.* Zorn T. 68. Optimi cortices decerpuntur a ramis trium digitorum crassitie. Unc. j cort. hippocast. dat extr. resin. dr. jjβ. *Vis:* adstringens, aromatica, febrifuga. *Usus* non contemnendus in febr. interm. *Dosis* pulv. scr. jj-jV omni trihorio, ita ut unc. jβ, tempore apyrexiae consumantur. *Decoctum corticis hippocastani* R. cort. hippocastani unc. jβ, coqu. c. aqu. font. unc. XXX, sub finem coct. adm. rad. liquirit. dr. j. Col. unc. X d. omni bihorio vasculum pro thea. *Medicina veterinaria.* Praebent fructus hippocastani optimum pabulum bestiis domesticis. Continent unc. Vj amyli unc. jj et dr. j *(Hermbstädt)* vid. not. 88.

HORDEUM, SEMEN CRUDUM, MUNDATUM ET PERLATUM, MALTUM.

HORDEUM VULGARE.

Gramen annuum ignotae patriae, nobis cultum. Semen integrum, prout colligitur, HORDEUM CRUDUM vocari solet; quod cortice molendo

exutum est, MUNDATUM, et quod mola in formam sphaericam redactum, PERLATUM dicitur.

Hordei semina cruda, aqua frigida emollita, et tum per strata, in loco, per quem aëri liber est transitus, distributa, germinantia, ac dein vel aëre libero, vel furni ope, subito siccata, MALTUM sistunt.

Not. 165. *Germ.* Gemeine Gerste, *belg.* gemeene Gerst, *dan.* Byg, *suec.* Biugg, *angl.* the barley, *gall.* l'orge, *ital.* Orzo, *hisp.* Cebada, *lusit.* Cevada, *polon.* Jeczmien, *ross.* ЪЧМЕНЪ, hordeum mundatum ПЕРЛОВАА maltum СОЛОДЪ. *Icon.* Zorn T. 509. Modius hordei berolinensis continet libr. 61 $\frac{1}{10}$ nutriminis. Unc. Vjjj hordei vulgaris dant principii volatilis dr. Vjj et gr. X; cuticul. unc. jβ farinae unc. V dr. jV et gr. XXX. Farinae hordei unc. Vjjj intus habent aquae dr. Vj albuminis gr. XLIV principii saccharini dr. jjj et gr. XX mucilaginis dr. jj et gr. LVj phosphatis calcariae cum albumine gr. jX glutinis dr. jj et gr. XV partis fibrosae dr. jV et gr. XX amyli cum pauxillo glutinis unc. V et dr. jjj. *(Einhoff).* *Amylum hordei* (hordeum perlatum) R. Farinae hordei aliquot libras. Includantur sacculo linteo, ita ut inter ejus orificium et farinae superficiem spatium palmae reddatur vacuum. Supernatet sacculus aquae affusae et ferventi. Fervore per horas XXIV sustentato atque aqua identidem affusa, placenta farinacea immittitur patellae. Crusta digiti crassitie illam ambiens cultro rescinditur, nucleusque, postquam siccatus fuit, comminuitur, loco arido servandus. Phthisicis et tabiosis pulmentum ex hoc amylo cum lacte paratur mane et vesperi comedendum. Fit pro adultis ex lactis unc. XVj et amyli cochl. j-jj leni digestione sub perpetua agitatione, et pro lubitu saccharo edulcatur. Infantibus duodecim annorum sufficit quantitas dimidia. (*Thilenius*). Addito pauxillo pimentae pulmentum hoc farinaceum digestu facilius fit, ut saepius observavi. Hordeum praeparatum concoctu fa-

cilius est massa, quam *Marxius* ex aequalibus partibus hord. perl. et sacchar. commixtam, et in furno modico igne siccatam cum lacte coqui jubet. *Decoctum hordei integri* et *decorticati* vid. not. 447 et 446. *Apozema malti* R. malti molend. fracti unc. Vj, coqu. c. aqu. font. libr. Vj, Col. libr. jV. Laudatur in diversa dyscrasia humorum, et in scorbuto. Bibantur quotidie libr. jj-jV.

† *HYOSCYAMUS*, *FOLIA RECENTIA*, *SEMEN*.

HYOSCYAMUS NIGER.

Planta biennis in Europae ruderibus refertis, pinguibus agris, culta in hortis botanicis.

Folia amplexicaulia, sinuata, hirsuta, viscida, odoris summe narcotici.

Semina parva, subrotunda, cinerea.

Not. 166. *Germ.* Bilsenkraut, *belg.* Bilsenkruid, *dan.* Fandensnosser, *suec.* Bolmört, *angl.* Henbane, *gall.* Jusquiame, *ital.* Giusquiamo, *hisp.* Beleno, *lusit.* Yosciamo, *polon.* Bielun, *ross.* БЛЕКОПА, БѢЛЕНА. *Icon.* Zorn T. 84. *Vis* narcotica. Peculiariter ideas turbat, atque affectus mentis maniae similes producit. *Usus.* Extractum inprimis a medicis datur, licet herba, caute siccata vim retineat, et gr. V-X de illa porrigi possunt. Semen aeque narcoticum in emulsionem redigi potest. *Emulsio seminis Hyoscyami* R. sem. Hyoscyami gr. XX amygd. dulc. excort. dr. jj cont. c. aqu. font. s. q. f. emulsio; col. unc. Vj d. omni bihorio cochl. j. *Electuarium Boyleanum.* R. pulv. sem. papav. alb. — hyoscyam. ana. dr. β syrup. papav. errat. conserv. rosar. ana unc. jβ. *Dosis:* bis de die quantum juglandem aequat in haemoptysi. *Extispicia.* Repertae sunt maculae lividae in ventriculo, vasa membranarum cerebri sanguine turgentes. *Antidota* emeticum, acida, potus coffeae, et clysmata ex ea cocta.

HYPERICUM, SUMMITATES FLORENTES.

HYPERICUM PERFORATUM.

Planta perennis pratensis et sylvestris; colitur in hortis.

Herba florens subacris, foliis ovato-obtusis, pellucidis punctatis, petalis luteis oblique truncatis, crenulatis, puncto atro inter crenam notatis.

Not. 167. *Germ.* Johanniskraut, *belg.* Mansbloed, *angl.* Tutsan. St. Johns wort, *gall.* Toute-saine, *ital. hisp. & lusit.* Androsemo. *Icon.* Zorn T. 31. Extr. spirituosum florum obtinetur ½; aquosi quod adstringit et nauseosum est, ¼. Continent flores pauxillum olei aetherei terebinthinacei. *Vis.* Leniter excitant flores. *Usus* hodierna praxi obsolevit. Vid. not. 503.

† *HYSSOPUS*, HERBA.

HYSSOPUS OFFICINALIS.

Fruticulus spontaneus, non admodum frequens, in hortis botanicis colitur.

Herba foliis lanceolatis, spicis secundis, inter stirpes refertur aromaticas.

Not. 168. *Germ.* Isop, *belg.* Yzoop, *dan. & suec.* Isop, *angl.* Hyssop, *gall.* Hysope, *ital.* Isopo, *hisp.* Hisopo, *lusit.* Hyssopo. *Icon.* Zorn. T. 61. Libra j hb. hyssopi continet dr. j olei aetherei. *Vis* stimulans, discutiens. *Usus:* in blenorrhoeis pulmonum, *externe* in sugillationibus cum vino infusa.

† *JALAPPA*, RADIX.

CONVOLVULUS JALAPA?

Planta perennis Americae meridionalis.

Radix oblonga, integra, vel in taleolas dis-

secta, compacta, ponderosa, resinosa; cortice rugoso, fusco-nigricante cincta, interne grisea, striis nigris variegata. Saporis est, uti odoris, acris, nauseosi; quo nigrior, eo resina ditior et efficacior.

Not. 169. Spiritus vini ex optima radice educit $\frac{1}{10}$. Radix haec circa annum 1610 ex Yalappa urbe in nova Hispania primum in Europam pervenit. *Vis:* purgans, resinae adhaerens, sub sensu torminum. *Usus* in colluvie pituitosa primarum viarum. *Dosis* adultis scr. j-dr. β cum saccharo, et aromate quodam, infantibus unius anni gr. j cum chocolata, addendo pro quovis anno granum unum. Vid. not. 484 et 517.

IMPERATORIA, RADIX.

IMPERATORIA OSTRUTHIUM.

Planta perennis, in montibus Helvetiae aliisque sponte crescens.

Radix teres, oblonga, nodosa, nonnihil plana, annulata, geniculata, fibris instructa, griseo-nigra; saporis calidi, pungentis, aromatici, odoris Angelicae non absimilis, sed validioris.

Not. 170. *Germ.* Meisterwurzel, *belg.* Meesterwortel, *dan.* Mesterurt, *suec.* Mästarerot, *angl.* Master-wort, *gall.* Impératoire, *ital. hisp. & lusit.* Imperatoria. *Icon.* Zorn T. 24. Uncia j radicis dat circiter extracti gummosi amarioris unciam dimidiam, resinosi dr. jjβ, acri sapore et aromatico. *Vis:* carminativa, diaphoretica, salivam promovens. *Usus.* Loco angelicae radicis haec in febribus nervosis interdum eligi potest. *Dosis* pulv. gr. XX-XXX.

† *INDICUM BALSAMUM* VID. *PERUVIANUM BALSAMUM.*

† *IPECACUANHA*, RADIX.

PSYCHOTRIA EMETICA?

Planta perennis, in Regno Mexicano praesertim frequens.

Radix cinerea est, intus alba, tenuis, varie flexa, rugis eminentibus inaequalibus distincta. Pars interior lignea est, fili instar per medium ducta, subflavescens, insipida. Corticis sapor amaro-acris et nauseosus, odor graviusculus, ingratus. — Pulvis diutius asservatus vires perdit, praesertim si lagena, operculo vitreo accurate claudenda, non servetur.

Adulteratur praesertim radice, habitu ac forma verae PSYCHOTRIAE EMETICAE *maxime affini, et difficulter ab hac dignoscenda, nisi quod falsa crassitiei sit vulgo majoris, et in pulverem trita, coloris cinereo-lutescentis.*

Not. 171. *Germ.* Brechwurzel, *angl.* Markgrave, *gall.* Ipécacuanha, *ross.* РВОТНЫЙ КОРЕНЬ. Commercio offeruntur tres Ipecacuanhae species, nigra, cinerea (fusca) et alba. Colligitur Ipecacuanha fusca prope Rio Janeiro in Brasilia, *(Arthur Philipp)* nec autem a planta, quam Linneus, filius, psychotriam emeticam nuncupat, sed a cephaëli ipecacuanha capitulis solitariis terminalibus pedunculatis, involucro tetraphyllo caule herbaceo simplicissimo, foliis ovatis, ut *Brotero* professor conimbricensis nos docet, a quo callicocca ipecacuanha appellatur. Vid. *icon.* cephaëlis ipecacuanhae in berl. J. f. d. Pharm. ann. 1804. cura Wildenowii sculptum. Alba ipecacuanha a viola ipecacuanha amputari dicitur. Similes radices, emetica virtute

instructae, loco ipecacuanhae in America occidentali et orientali adhibentur, et genuinae forsan interdum admiscentur. In Canada effodiunt radicem euphorbiae ipecacuanhae, in Virginia radicem spiraeae trifoliatae, in India orientali radices periplocae emeticae et cynanchi ipecacuanhae. (Vid. icon. hujus plant. in berl. J. f. d. Ph. loco modo cit.) Mox cum America ipsa innotuit Europaeis radix emetica, in officinis pharmaceuticis praestat potissimum autem 1694. Continet extr. gumm. $\frac{3}{8}$ resinos. $\frac{1}{4}$ sine ullo oleo aethereo. Partibus resinosis, quibus cortex radicis magis abundat, quam reliqua pars, virtus praesertim insita est. (*Lewis*). Infusum aquosum fucatur sulphate ferri. *Vis* emetica, parva dosi (gr. $\frac{1}{8}$-gr. $\frac{1}{4}$) antispastica, diaphoretica. *Usus* per se patet. *Dosis* pulv. scr. j-jj. Quo tenuior pulvis est, eo certius et facilius emesin ciet. Granum dimidium cum saccharo omni triliorio datum, haemorrhagiam ex utero et aliis partibus feliciter consopivit Diaphoresin cum opio contrita sat certo provocat ipecacuanha, atque connubium init in rheumatismis probatum. *Infusum ipecacuanhae Gianella* R. pulv. rad. ipecacuanhae dr. jβ cort. aurant. curass. dr. jj tartar. depur. dr. β ebull. c. aqu. font q. s. colat. unc. jV adm oxymell. scillitic. unc. β. D. omni quarta horae parte cochl. j-jj. Vid. *vinum ipecacuanhae* not. 480.

† *IRIS FLORENTINA*, RADIX.

IRIS FLORENTINA.

Planta perennis Italiae, in Florentino tractu praesertim radicis causa colitur.

Radix frustum refert compactum, ponderosum, album, compressum, inaequale ex separata epidermide et fibrillis resectis. Odor est violaceus, sapor nonnihil amarus, subacris.

Not. 172. *Germ.* Violenwurzel, *belg.* Florentynse Iris, *suec.* Violrot, *dan.* Violrod, *angl.* Florentine Or-

ris, *gall.* Iris de Florence, *hisp.* Lirio de Florencia, *lusit.* Lirio de Florença. *Icon.* Zorn T. 168. Dat rad. iris florent. extr. aquos. pr. $\frac{3}{8}$ et extr. spirituos. pr. $\frac{1}{8}$. Aqua destillatione particulas abripit odoras. Infusum vinosum aquoso fortius fit. *Vis:* incidens, sternutatoria; radix recens purgat. *Usus:* in catarrho, et tussi catarrhali. *Dosis* pulv. rad. sicc. scr. j.

JUNIPERUS, LIGNUM, BACCAE.

JUNIPERUS COMMUNIS.

Arbor, seu frutex in sabulosis patriae locis sponte nascens.

Lignum, quod accensum, aut rasum, gratum odorem spirat, albidum, ponderosum, resinosum est. Fructus baccati integri, resinosi, odoris graveolentis et saporis subamari, aromatici, subdulcis.

Not. 173. *Germ.* Wachholderbaum, *belg.* Geneverboom, *dan.* Enebaertree, *suec.* Enbär, *angl.* Juniper-tree, *gall.* Génévrier, *ital.* Ginepro, *hisp.* Enebro, *lusit.* Zimbro, *polon.* Jalowiec, *ross.* МОЖЖЕВЕЛЬНИКЪ. *Icon.* Zorn T. 178. Uncia j ligni continet extr. gummosi scr. jj et extr. resinosi dr. j. Libr. j baccarum maturarum cum aqua destillata transmittit olei aetherei dr. jjj. *Vis.* Lignum et baccae lotium pellunt, baccae autem potentius. *Usus* in hydrope. *Infusum baccar. juniperi.* R. bacc. juniperi unc. j infund. aqu. font. fervid. s. q. Colat. unc. Vjjj D. vasculatim. *Pulvis diureticus Thedenii* R. pulv. baccar. tostar. (!) rad. pimpinell. alb. gr. V, nitr. antimoniat. gr. jjj. D. ter de die pulv. j. Baccae juniperi constituunt suffimigium vulgare domesticum. Cutis post scarlatinam inflata, et in rachiticis flaccida utiliter cum panno fricatur, qui fumum ex his baccis excepit, prunis inspersis. Librae jj bacc. Junip. balneis aromaticis salutariter addi possunt. Vid. not. 283, 465 et 505.

KINO, seu GUMMI KINO, seu GUMMI GAMBIENSE, succus induratus.

Ex arbore Africae interioris, nondum satis cognita, incolis pau de sangue dicta.

Substantia dura, friabilis, rubro-nigricans, peradstringens; frustula minora rubro-diaphana; aqua aut spiritu vini soluta sulphas ferri colore viridi praecipitans. Substituitur quandoque Resinae species, ab hac distinguenda tenacitate sua et odore specifico.

Not. 174. Gummi Kino tam aqua solvitur, quam spiritu vini. *Vis.* Crispat fibras musculares. *Usus* in diarrhoea habituali, fluore albo et nimia menstruorum profusione. *Dosis* scr. j omni trihorio (*Fothergill*). Injicitur vaginae solutio hujus gummi cum aqua calcariae facta in fluore albo. (*Thilenius*). *Tinctura e Kino Ph. Ed.* R. Gumm. Kino unc. jj spirit. vinosi tenuioris libr. j; diger. octo dies. Dosis unc. β. — Extractum tormentillae erectae, monente *Wylieo*, virtutem hujus succi styptici perfecte aemulatur.

LADANUM GUMMI, seu LABDANUM, resina.

CISTUS CRETICUS.

Frutex in Candiae collibus siccis et arenosis crescens.

Resina solida, nigra, ponderosa, in gyros convoluta, in superficie et fragmento subaspera. Masticata stridorem quasi ex arenulis admixtis edit sapore subamaro; odor gratus; flamma admota, fumum suaveolentem spargit.

Not. 175. Solvitur Ladanum spiritu vini et communicat cum aqua destillatione odorem fragrantem, emit-

tens pauxillum olei aetherei. Sine damno negligi potest in censu medicaminum, ad cujus normam instruuntur pharmacopolia. *Icon.* cisti cretici Jacq. pl. rar. I. T. 95.

† *LAPATHUM ACUTUM, OXYLAPATHUM,* RADIX.

RUMEX ACUTUS.

Planta perennis in locis humidis.

Radix cylindrica, extus fusca, amara, subadstringens.

Not. 176. *Germ.* Grindwurzel, *belg.* spitsbladige patich, *dan.* Skreppe, *suec.* Hastsyra, *angl.* sharp pointed dock, *gall.* Patience sauvage, *ital.* Lapazio, *hisp.* Lampazo, *lusit.* Labaça menor, *polon.* Szczaw kobyli, *ross.* КОНСКИЯ ШАВЕЛЪ. *Icon.* Zorn T. 587. Huic radici sulphur insitum esse dicitur (*Parmentier cod. ph.* Ed. III. p. 58.) *Vis:* diaphoretica, humorum crasin depravatam corrigens. *Usus:* in morbis cutis chronicis variis. *Decoctum rad. Lapathi acuti* R. rad. Lapathi acut. unc. j-jj coqu. c. aqu. font. q. s. colat. libr. jß sorbilletur una die. *Ptisana lapathi acuti* (tisane de racine de patience) R. rad. lapathi acuti unc. jV coqu. c. aqu. font. s. q. sub finem coct. adm. rad. liquirit. conc. dr. jj. Colat. mens. jV d. (*Formulaire pharm. militaire).*

LAUROCERASUS, FOLIA RECENTIA.

PRUNUS LAUROCERASUS.

Frutex Europae meridionalis et Orientis; in hortis colitur.

Folia lanceolato-ovata, sempervirentia, nitida, dorso biglandulosa; siccata fere insipida.

Not. 177. *Germ.* Kirschlorbeerbaum, *belg.* Laurierkers, *angl.* Cherry-bay tree, *gall.* Laurier cerise, *ital.*

Lauro regio, *hisp.* Laurel real, *lusit.* Loiroce rejo. *Icon.* Zorn T. 96. Arbor 1576 Trapezunte in Europam transmigravit. Venenum abscondunt ejus folia vehementissimum, quod sensibilitatem quam citissime aufert. Exsiccatione mitiorem nanciscuntur indolem. Aequiparatur principium deleterium acido borussico (Blausäure), quod ex borussate potassae et ferri acido sulphurico extruditur, atque similes edit effectus *(Ittner Beitr. z. Gesch. der Blausäure)*. Molestiis demumque jactura loquelae praegressis, sine vomitu et dejectione sub motibus convulsivis nece affligit hoc acidum celerrima. Vid. not. 509.

† *LAURUS*, FOLIA, BACCAE, OLEUM, LAURINUM DICTUM.

LAURUS NOBILIS.

Arbor Europae meridionalis, in hybernaculis culta.

Folia lanceolata, integerrima, saporis amari, aromatici et subadstringentis, odoris, dum fricantur, fragrantis.

Baccae aromaticae, oleosae, nigricantes.

Oleum expressione ex baccis elicitur in calidioribus Europae regionibus, praesertim Italia. — Sit viridi-flavescens, spissum, quasi granulosum, odoris fortis, et saporis laurini. Rejiciatur intense viride, minus spissum, aequabile, unctuosum et odoris debilioris.

Adulteratio per adipem suillum dignoscitur solutione in aethere, qui inde colorem lacteum contrahit; adulteratio autem per viride aeris tritura cum carbonate ammoniae alcalino liquido, hinc coerulescente.

Not. 178. *Germ.* Lorbeerbaum, *belg.* Laurierboom, *dan.* Laurbärtraee, *suec.* Lagerbärsträd, *angl.* the common sweet bay, the laurel-tree, *gall.* Laurier, *ital.* Lauro, *hisp.* Laurel, *lusit.* Loiro, *polon.* Bobek drzewo, *ross.* ЛАУКЪ. *Icon.* Zorn T. 52. Folia Lauri pauxillum olei aetherei erogant destillatione, baccae autem plus aromatis quam illa continent. *Vis:* nervina, excitans. *Usus.* Folia aroma cibi. Baccae lauri fere in praxi hodierna obsoleverunt. Libr. j earum aqua infusa balneum aromaticum constituit simplicitate et efficacia aeque commendabilem. Oleum ex aethereo et unguinoso compositum solum infricatur, ut nervinum, insuperque praeclarum est corpus pro balsamis aromaticis ex variis oleis aethereis commixtis. Saepe axungia porci adulteratur.

LAVENDULA, SPICAE FLORENTES.

LAVENDULA SPICA.

Fruticulus Galliae meridionalis; in hortis medicis colitur.

Spicae florentes corollis ringentibus coeruleis, odoris gratissimi, saporis subamari, calidi.

Not. 179. *Germ. belg. dan. & suec.* Lavendel, *angl.* Lavender, *gall.* Lavande, *ital.* Lavendola, *hisp.* Lavandula, *lusit.* Lavanda, *polon.* Lawanda, *ross.* ЛЕВАНДА. *Icon.* Zorn T. 53. Spicae florentes lavendulae continent $\frac{1}{200}$ olei aetherei. *Vis* nervina, analeptica. *Usus.* Externe praesertim fomentationibus discutientibus admiscentur et spiritus oleaque ex his extracta itidem plerumque adhibentur vid. not. 505 et 510.

LEVISTICUM, RADIX.

LIGUSTICUM LEVISTICUM.

Planta perennis, in collibus maritimis sponte nascens.

Radix fibrosa, crassa, extus ferruginea, rugosa, saporis calidi, subdulcescentis, odoris graveolentis nauseosi.

Not. 180. *Germ.* Liebstöckel, *belg.* Lavaskruid, *dan.* Loestilk, *suec.* Libsticka, *angl.* the common lovage, *gall.* Liveche, *ital.* Livistico, *hisp.* Ligustico, *lusit.* Levistico. *Icon.* Zorn T. 233. Libr. j radicis Levistici continet olei aetherei dr. j. *Vis* sanguinem movens, diaphoretica, emmenagoga *(Barthez consult. T.* 1.) *Usus.* Loco Angelicae in febribus nervosis infusum rad. Levistici dari potest. *Medicina veterinaria.* Non alterat, ut vulgi opinio fert, rad. levist. odorem lactis vaccarum, atque utiliter usurpari potest in febribus bestiarum domesticarum malignis, coryza et catarrho equorum. *(Viborg Samml. T. IV.)*

† *LICHEN ISLANDICUS*, TOTA PLANTA.

LICHEN ISLANDICUS.

Perennis in Europae sylvis sterilissimis borealibus.

Lichen subamarus, valde mucilaginosus, coriaceus, sinuatus, lacunosus, superficie altera cinereus, altera fuscus.

Not. 181. *Germ.* Isländisches Moos, *belg.* Yslandsch Moos, *dan.* Islands moos, *suec.* Islandsmossa, *angl.* the Iceland lichen, *gall.* Lichen d'Islande, *ross.* ИСЛЯНДСКІЙ МОХЪ. *Icon.* Zorn T. 138. Amarities firmiter inhaeret mucilagini hujus lichenis. Ex unc. jV plantae aqua eductae sunt unc. XVj mucilaginis et plures. Lichenis islandici unc. jV cum libr. XXjV per sex horas coctae, ita ut circiter supersint libr. jj, erogant, postquam decoctum colatum refrixit, gelatinam amaricantem, quae, in extractum inspissata insipida fit atque ad unc. jj et dr. j redigitur. *Vis:* involvens, nutriens, et, amaritie nondum ignis vehementia dispersa, paululum, ut quibusdam visum est, alvum

laxans. *Usus:* in omni tabis genere, diarrhoea. *Decoctum lichenis islandici* R. lichen. island. unc. j coqu. c. aqu. font. unc. XVj Col. libr. j detur vasculatim. Sapidius fit decoctum, si paulum chocolatae adjicitur, nisi forte morbus hoc additamenti genus recuset. Vid. not. 470. Additis syrup. amygd. unc. jj et tinct. opii simpl. scr. j optimum solamen in tussi catarrhali nimium protracta.

LILIUM ALBUM, BULBUS, PETALA RECENTIA.

LILIUM CANDIDUM.

Planta perennis in Syria, affinibus locis et Helvetia; frequens culta in hortis.

Bulbus ovatus, acuminatus, squamis carnosis, laxis, albis, saporis subamari, viscosi.

Petala recentia, mucilaginosa, alba, fragrantia.

Not. 182. *Germ.* Die weifse Lilie, *belg.* witte lelie, *dan.* den hvide lilie, *suec.* Hvitlilja, *angl.* white lily, *gall.* lis blanc, *ital.* giglio bianco, *hisp.* Azucena blanca, *lusit.* Lirio branco, *polon.* Lilia, *ross.* ЛИЛЬЕЯ. *Icon.* Zorn T. 462. Quarta ponderis pars rad. lilii albi consistit mucilagine. Emollit igitur tumores inflammatione correptos, eorumque tensionem dolorificam diminuit. Non opus est, ut hac ex causa in pharmacopoliis asservetur, cum multae res, quae semper in promtu sunt, facultatem ejus emolliendi prorsus adaequant.

† *LINUM*, *SEMEN*, *FARINA*, *OLEUM*.

LINUM USITATISSIMUM.

Planta annua sativa, copiose culta.

Semina oleoso-mucilaginea, ovato-oblonga, compressa, margine acuto, pallide pulla, nitentia.

Farina, placenta, post olei expressionem de seminibus residua, in pulverem redacta.

Oleum, quod expressione e seminibus elicitur, sit pellucidum, luteum, odoris ingrati, saporis pinguis, nauseosi, frigore non congelascens. — Usui medico noxium turbidum, obscure luteum, rancidum.

Not. 183. *Germ.* Lein, *belg.* Vlasch, *dan.* Hör, *suec.* Lin, *angl.* the flax, *gall.* Lin, *ital. & hisp.* Lino, *lusit.* Linho, *polon.* Len, *ross.* ЛЕНЪ. *Icon.* Zorn T. 251. Ex libr. j medicinali educuntur olei unguinosi dr. XIX et gr. XV mucilaginis unc. jj-unc. jjß. Mucor decoctione ex farina provenit. *Vis* nutriens, emolliens. *Usus.* Infusum ex semine lini et passulis majoribus vel liquiritiae proficuum fuit in tussi catarrhali, et ultimo stadio phthiseos pulmonalis. Sufficit unc. ß seminis, ut fiat infusum ex aquae unc. XVj. *Ptisana Lini* (Tisane de graine de lin) R. sem. lini unc. ß aqu. commun. mens. jj (quaelibet mensura continet unc. 3ɔ) sub finem coct. adm. rad. liquirit. conc. unc. ß Col. mens. jß D. (*Formul. pharmac. milit.*) Infusum sem. lini commode quoque ut clysma involvens injicitur. Inspissari porro potest usque ad syrupi spissitudinem, et misceri cum mellis rosati aequali parte. Capiant aegri saepius cochlearcula quaedam in dolore et singultu, quos aphthae internae producunt. *Oleum frigide expressum,* oleo amygdalarum gratia quidem cedens laxat lenissime ventrem. In obstipatione alvina vomitum interdum ciet ob nauseosum saporem, facile corrigendum, pauxillo olei anisi aetherei aliusve similis adstillato. Laudatur praeterea oleum lini in pleuritide, haemoptysi, colica pictonum et nephralgia calculosa. *Farina seminis lini* cataplasmatibus emollientibus addi solet. *Species ad cataplasma Ph. B.* R. hb. malv. — Melioti flor. chamaemel. v. rad. Alth. sem. lin. ana f. pulv. *Medicina veterinaria.* Placenta seminum, quae post expressionem

olei lini superest, praeclarum porrigit pecoribus nutrimentum.

LOPEZIANA, RADIX.

MORUS INDICA?

Arbor orientalis?

Radix cylindrica, coloris straminei; cingitur cortice fusco, tegmine molli, spongioso, luteo, per strata obsito. Exiliores crassioribus virtute praestant.

Not. 184. Cortici radicis Lopezianae inest quaedam amarities. Spiritu tincturae detracto balsamici aliquid percipitur sapore pungenti, quasi ex opio amaricanti (*Murray*). Inclaruit Lopeziana periculis *Gaubii* in diarrhoea. *Dosis* pulv. dr. β. Decoctum ex ea paratur, digestione praegressa. Non intelligo, quare *Ypeyus* hanc radicem ad drastica refert.

LYCOPODIUM, SEMINA.

LYCOPODIUM CLAVATUM.

Passim in patriae nostrae sylvis occurrit.

Pulvis flavescens subtilissimus, flammae inspersus cum fulguratione et strepitu accenditur, aqua levior.

Not. 185. *Germ.* Bärlapp, *belg.* geknodst aardmos, *dan.* Jordmos, *suec.* Mattegräs, *angl.* Club-moſs, *gall.* pied de loup, *ital. hisp. et lusit.* Licopodio, *ross.* ПЛАУНЪ. *Icon.* Zorn T. 54. Non semen est, quod de hac planta colligitur, sed pollen antherarum. Meretur, ut istud penitiori adhuc analysi chemicae subjiciatur. Unc. jV erogarunt phlegmatis aciduli lutei dr. Vj, olei liquidi nigricantis totidem et olei butyracei collo retortae adhaerentis fusco-lutei dr. jj remanente in fundo vasis carbone atro-fragili (*Bergius*). Aegre cum

aqua lycopodium miscetur. *Vis* leniter diuretica, externe exsiccans. *Usus.* In stranguria infantum a dentitione difficili commendantur gr. X pulv. mane et veperi, *(Jawandt)*, aut omni bihorio cochl. ß ex *mixtura lycopodii*, quae fit ex lycopod. dr. jj aqu. commun. unc. jj et syrup. Alth. unc. jß. *(Hufeland)*. Laudat non minus archiater dictus berolinensis hanc mixturam in dysuria haemorrhoidali et rheumatica. *Externe* inspergitur hoc pollen cuti excoriatae infantum vel solum sacculo inditum, aut cum quarta parte oxydi zinci mixtum. *Unguentum exsiccans Rosensteinii* R. zinc. oxyd. alb. lycopod. ana. dr. j unguent. rosat. unc. ß. m. Loco pulveris memorati ad inspergendum eo uti possumus.

MACIS, OLEUM.

MYRISTICA MOSCHATA.

Oleum summe aethereum, saporis subacris, odoris aromatici, ut Macis, pellucidum, leve, subluteum. In vasis fundo vulgo oleum spissius, coloris obscurioris, reperitur.

Not. 186. Flores macis (Muscatenblüthen, fleurs de muscade, *angl.* mace), putamina nucis moschatae, exhibuere olei aetherei odorati $\frac{1}{64}$ olei unguinosi $\frac{1}{5}$. *(Spielmann)*. *Vis* nervina, stomachica. *Usus* in dyspepsia, vomitu ab infirmitate ventriculi. Solvi potest oleum macis in spiritu sulphurico aethereo aut spiritu vini rectificato. Vid. not. 203.

MAJORANA, HERBA.

ORIGANUM MAJORANA.

Planta annua Europae meridionalis, in hortis culta Nordvicensibus aliisque botanicis.

Herba aromatica, foliis ovalibus obtusis, subtomentosis, ex albo viridibus.

Not. 187. *Germ.* Majoran, *belg.* Mariolein, *dan.* Meiran, *suec.* Mejram, *angl.* sweet marjoram, *gall.* Marjolaine, *ital.* Maggiorana, *hisp.* Mejorana, *lusit.* Mangerona, *polon.* Maieran, *ross.* МАЕРАНЪ. *Icon.* Zorn T. 81. Largitur herba majoranae olei aetherei $\frac{1}{64}$. Infusum aquosum sulphate ferri fucatur. Deponit oleum aethereum majoranae longo intervallo interjecto coagulum camphoraceum. *Vis* nervina, errhina. *Usus:* inprimis culinaris condimenti loco. Ut nervinum et discutiens externe medicis in usu est.

† *MALVA*, FOLIA, FLORES.

MALVA SYLVESTRIS ET *ROTUNDIFOLIA.*

Utraque est planta annua, in hortis culta.

Malvae Sylvestris folia septem et quinque lobata, petiolis pilosis, mucilaginosa.

Malvae rotundifoliae folia cordato-orbiculata, subquinqueloba, mucilaginea.

Flores mucilaginosi, corollis vel albis, vel coerulescentibus, vel rubicundis, venis aut rubris, aut coeruleis pictis.

Not. 188. *Germ.* Wilde und Feld-Pappel, *belg.* rondbladige und wilde maluwe, *dan.* lille und store Katost, *suec.* Kattost, *angl.* roundleaved and common mallow, *gall.* la petite mauve et mauve sauvage, *ital.* malva minore et malvone, *hisp.* malva de boja redonda et malva sylvestre, *lusit.* malva ordinaria et sylvestre, *polon.* Slaz ziele, *ross.* ПРОСВИРКЬ et ПРОСКУРАПЪ. *Icon.* malv. rotundif. Zorn T. 237. Etsi folia et flores harum malvarum magnam mucilaginis quantitatem contineant, aquae tamen iis infusae non impertiunt viscosam naturam. Nigro-fusco autem colore suffunditur infusum sulphate ferri. *Vis:* lubricans, emolliens. *Usus* in cataplasmatibus et fomentis. Nec foliis

malvae egemus in praxi nec floribus, nisi vulgi causa in pharmacopoliis remanere debeant.

† *MANNA.*

FRAXINUS ROTUNDIFOLIA Mill. et *FRAXINUS ORNUS* Linn.

In Calabria et Sicilia frequentes.

Mense Junio et Julio succus viscidus magna copia ex trunco et arborum ramis sponte stillans, sauciato cortice, mense Augusto iterato elicitur.

Manna electa, quam Canellatam vocant, frustis longioribus lamellatis, extus convexis, intus concavis, vel subplanis. Hac vilioris notae est, quae in officinis Calabrinae vel Sicilianae nomine venit.

Praestantioris frusta sint leviora, sicca, non sordida, coloris albo-lutescentis, aut rubescentis, diffracta succum dulcem continentia.

Not. 189. *Germ.* Mannaesche, *angl.* the manna ash, *gall* le frêne à manne. *Icon.* Fraxin. orn. Zorn. T. 574. Quodam modo manna naturae mellis accedit. Laricea (Brianconner manna) odore terebinthinaceo conspicua non intrat commercium, nisi in terra natali. Solvitur hic succus tribus partibus aquae modice calidae, et duobus fervidae. Spiritus vini retinet $\frac{1}{8}$. Virtus diminuitur coctione. Partes 200 componuntur ex partibus 120 principii mannae proprii, fermentatione immutabilis, p. 15. principii extractivi gummosi p. 3. gummi dulciusculi p. 11. materiae mucoso-sacharini et aqua. (*Bucholz*). *Vis:* laxans, bechica. *Usus:* in catarrhis, morbis gastricis infantum. Adultis rarius sola datur, sed cum aliis eccoproticis mixta. *Manna tabulata* a cruda

mera fere forma differt. *Manna tabulata tartarisata Ph. dan.* (1786) R. mann. calabrin. libr. j aqu. font. unc. Vj solutis et ad tabulati consistentiam evaporatis add. crem. tartar. unc. jß form. inde morsuli.

MARRUBIUM ALBUM, HERBA.

MARRUBIUM VULGARE.

Planta perennis; in agris, ruderibus conspersis, frequens, in hortis medicis culta.

Herba amara, foliis ovato-oblongis, crenatis, rugosis, hirsutis, ex viridi albicantibus.

Not. 190. *Germ.* Gemeiner Andorn, *belg.* witte andoorn, *dan.* Hvidmarrn, *suec.* Andorn, *angl.* white horehound, *gall.* Marrube blanc, *ital.* Marrubio bianco, *hisp.* Marrubio blanco, *lusit.* Marroyo branco, *polon.* Szanta biala, *ross.* МАРРУБЬИЛЫ ШАНДРА. *Icon.* Zorn T. 27. Herba marrubii albi, dum recens est, odorem habet balsamico-acidulum. Ex unc. j eruuntur extr. aquos. dr. V extr. spirituos. pr. dr. jjß. Infusum aquosum sulphate ferri coloratur. *Vis:* diluens, diuretica. *Usus:* in obstructione viscerum abdominal. et pulmonum. *Dosis:* pulv. dr. ß. Extractum marrubii plerumque in praxi adhibetur.

MARUM SYRIACUM, HERBA.

TEUCRIUM MARUM.

Fruticulus Europae meridionalis et Orientis, in Syria et Hispania frequens.

Herba aromatica, fragrantissima, foliis integerrimis, ovatis, acutis, petiolatis, subtus tomentosis, incanis.

Not. 191. *Germ.* Katzenkraut, *angl.* lat-thyme, *gall.* Marum vrai, *ital.* Erba gatta, *hisp. & lusit.* Maro. *Icon.*

Zorn T. 60. Siccatione non prorsus vires herbae mari amittuntur. Oleum destillatione eductum cum oleo cochleariae convenire videtur. *Vis:* analeptica, nervina. *Usus: Dosis* pulv. scr. j-dr. β. Vinum optimum menstruum putatur. Pulveribus errhinis addi solet.

† *MASTICHE*, RESINA.

PISTACIA LENTISCUS.

Arbor insularum Archipelagi.

Grana resinosa, ex albido citrina, friabilia, splendentia, diaphana, igni admota suaveolentia.

Not. 192. *Germ.* Mastix, *gall.* Mastic, *angl.* Mastich. *Icon.* Pistac. Lentis vid. Tournefort voyag. du levant. Fere tota solvitur mastiche spiritu vini. Carbonibus inspersa gratum odorem spargit. *Vis.* Salivae secretionem auget, si masticatur. Cutim paululum irritat, et fibrillas vasorum sanguineorum ad majorem acticnem concitat. *Externe* consolidans. *Usus.* Fama ejus excidit in dysenteria, et catarrhis, falsa opinione fundata de ejus vi ulcera interna detergendi, et balsamico effluvio sanandi. Dentifriciis a quibusdam additur, praeterea variis emplastris admiscetur. *Emplastrum Mastichis simplex* R. mastichis dr. jj extend. spatula fervida supra pannum sericeum nigrum, ut formentur duo emplastra nummi magnitudinis, temporibus applicanda. Irrorentur olei caryophyll. gutt. jj. In cephalaea nervosa, et levibus ophthalmiis aliquoties non inutiliter agglutinantur. *(de Gorter).* Suffimigium ex mastiche et succino laudatur in catarrho chronico. *(Marx).*

MATRICARIA, HERBA, SUMMITATES FLORENTES.

MATRICARIA PARTHENIUM.

Planta perennis, in hortis Nordvicensibus aliisque medicis culta.

Herbae folia composita, plana, foliolis ovatis, incisis, subpilosis, pallide viridibus, odoris fragrantis, saporis valde amari.

Summitates florentes amaro-aromaticae, floribus compositis radiatis, disco flavo, radio brevi albo.

Not. 193. *Germ.* Mutterkraut, *belg.* Moederkruid, *dan.* Moderurt, *suec.* Matram, *angl.* the common fever-few, *gall.* Matricaire, *ital. hisp. & lusit.* Matricaria, *polon.* Maruna ziele, *ross.* МАПОШНАЯ ТРАВА. *Icon.* Zorn T. 166. Unc. j hb. matricar. erogat extr. aquos. dr. jij extr. spirituos. gr. 80. cum pauxillo olei aethereo. *Vis* antihysterica, emmenagoga, anthelmintica. *Usus.* Infusum matricariae in spasmis hystericis, et menstruis retardatis.

MECHOACANNA, RADIX.

CONVOLVULUS MECHOACANNA.

Planta perennis, luxurians in agris et sylvis Americae, praecipue Brasiliae.

Radix in taleolas conscissa, diametri pollicis et ultra, compactas, albicantes, vel albo-flavas, cortice griseo obductas; subdulcis initio, dein subacris, subnauseosa.

Not. 194. Sextam partem resinae continet haec radix, quae similitudinem prae se fert cum resina jalappae. *Vis*: blande purgans. *Dosis* scr. jV-dr. jj. Non indigemus in officinis hac radice, ob ceterorum purgantium, quibus gaudent, ubertatem.

MELILOTUS, SUMMITATES FLORENTES.

TRIFOLIUM MELILOTUS OFFICINALIS var. FLORIBUS CITRINIS.

Planta biennis, per patriam frequens.

Rami florentes, floribus luteis, odoris proprii aromatici.

Not. 195. *Germ.* Meliloten, Steinklee, *belg.* Meloten, Steenklaver, *dan.* Steenklever, *suec.* Melotengräs, *angl.* the common melilot-trefoil, *gall.* Mélilot commun, *ital. hisp. & lusit.* Meliloto, *polon.* Komonica swoyska, *ross.* ДОННИКЪ ИЛИ БУРКУНЪ. *Icon.* Zorn T. 204. Continet oleum aethereum. *Vis* emolliens, anodyna. *Usus:* externus in cataplasmatibus. — Herba meliloti coerulei ab Helvetiis caseis viridibus, quos Schaabzieger appellant, immiscetur.

MELISSA, HERBA.

MELISSA OFFICINALIS.

Planta perennis Europae australis, in hortis Nordvicensibus aliisque culta medicis.

Herba foliis ovato-cordatis, villosis, saporis aromatici, balsamici, odoris citrini.

Not. 196. *Germ.* Melisse, Citronenkraut, *belg.* Melisse, Citroenkruid, *dan.* Hiertenscrid, *suec.* Melifs, *angl.* the common balm, *gall.* melisse sauvage. *Icon.* Zorn T. 134. Melissa citrina ab odore citrino nomen accepit. Continet paululum olei aetherei, et dat extr. aquos. dr. jjß extr. spirituos. dr. jß. *Vis:* nervina. *Usus.* Ad theae modum in lentore menstrui, doloribus ad partum, et colica spastica communis medicina.

MELO, SEMEN.

CUCUMIS MELO.

Planta annua Tartarica, in hortis apud nos frequenter culta.

Semina pedicellata, ovalia, acuta, utrinque compressa, glabra, mucilaginosa, oleosa.

Not. 197. *Germ.* Melone, *belg.* Meloen, *dan. suec. & angl.* Melon, *gall.* Melon, *ital. hisp. & polon.* Melon, *lusit.* Melao, *ross.* МЕЛОНЪ. *Icon.* Zorn. T. 360. Quandoquidem semen melonum minus quam alia semina lactea a vermibus corroditur, in penu pharmaceutico non prorsus superfluum esse arbitror. Aestate in Italia emulsiones ex his seminibus frequentes pro potu (*lattate*).

† *MENTHA CRISPA*, HERBA.

MENTHA CRISPA.

Planta perennis originis Sibiricae, in hortis culta.

Herba aromatica, foliis cordatis, dentatis, crispis, sessilibus.

Not. 198. *Germ.* Krause Münze, *belg.* Kruizenmunt, *dan.* Krusemynte, *suec.* Krusmynta, *angl.* the curled mint, *gall.* Menthe crêpue, *ital.* Menta crespa, *hisp.* Menta rizada, *lusit.* Hortelãa crespa, *ross.* МЯПА. *Icon.* Zorn T. 386. Continet herba menthae crispae olei aetherei $\frac{1}{300}$. Infusum aquosum parum saporis ostendit. Lac, in quo folia menthae macerata sunt, lentius coagulum format. *Vis* carminativa, lactis secretionem minuens. Infusum semivinosum praevalet mere aquoso. Mentha vino cocta atque continuo mammis imposita ut fomentum earum indurationes in puerperis discussit.

† *MENTHA PIPERITIS*, HERBA.

MENTHA PIPERITA.

Planta perennis Anglicana.

Herba aromatico-camphoracea, foliis ovato-acutis, serratis, petiolatis.

Mentha viridis, foliis lanceolatis, sessilibus, facile ab hac discernenda.

Not. 199. *Germ.* Pfeffermünze, *belg.* Peperminte, *suec.* Peparmynta, *angl.* the peppermint, *gall.* Menthe poivrée, *lusit.* Hortelaä pimentosa, *ross.* ПЕРЕЧНАЯ МЯПА. *Icon.* Zorn T. 56. Facile ab imperitis confunditur cum mentha viridi hebetiori (Menthe à épi). Eliciuntur ex libr. jj menthae piperitae olei aetherei dr. jjiß *(Knigge)*, verumtamen aliquoties tantum gr. 84 *(Hagen)*. *Vis:* carminativa, anodyna. *Usus:* In colica flatulenta infusum theiforme aestimatur. Vid. not. 505.

MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM,

HERBA RECENS.

MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM.

Planta annua in Graecia prope Athenas. Herba blande salina, refrigerans, saporis propemodum ut acetitis potassae, foliis alternis ovatis, papulosis, floribus sessilibus albis.

Not. 200. *Germ.* Eiskraut, gefrorne Ficoides, *belg.* Yskruid, *dan.* Iisplante, *suec.* Isört, *angl.* the ice-plant; the diamond fig-marigold, *gall.* Ficoïde glacial, *ital.* Erba crystallina, *hisp.* Hierba de la plata, *lusit.* Agelada. *Icon.* in plant. grasses. Conspersa sunt folia mesembr. crystall. vesiculis, succo aquoso repletis, quae referunt guttulas congelatas adamantina specie. Continent sulphas, murias, et nitras potassae *(Hoffmann)* et malas ejusdem salis kalini *(Vauquelin)*. *Vis:* temperans, solvens. *Usus* in dysuria, tussi convulsiva et colluvie pituitosa primarum viarum. Datur succus foliorum, omni bihorio cochl. j. *Linctus mesembr. crystall.* R. succ. hb. mesembr. cryst. recent. syrup. musc. querni ana unc. j D. sexies de die cochl. ß, emetico praemisso, et junctis clysteribus antispasticis *(Wendt)*.

† *MEZEREUM*, *cortex*, *Garou dictus.*

DAPHNE MEZEREUM, *et DAPHNE LAUREOLA.*

Frutices in Gallia, Hispania et Germania meridionali frequentes, nobis culti.

Cortex peracris, tenuis, coloris straminei, tectus epidermide coloris obscurioris.

Not. 201. *Germ.* Kellerhals, *belg.* Pepperbompje, *dan.* Kielderhals, *suec.* Kiaellerhals, *angl.* common spurge-olive, Mezereon, *gall.* Bois gentil, mezereum, *ital.* Dafnoide, *hisp.* Laureola hembra, *lusit.* Loireolea femea, *polon.* Wylcze lyko, *ross.* ВОЛЧЬЕ ЛЫКО, ВОЛЧІЙ ПЕРЕЦЪ. *Icon.* Zorn T. 3. Deglubitur cortex a trunco aut ramis majoribus. Educuntur ex unc. jj extr. aquos. dr. jjβ, extr. spirituosi urentis gr. 48. Angli corticem radicis adhibere solent. *Vis.* Cortex in ore detentus, primum vix linguae nervos vellicans, ardorem posthinc incendit vehementem, qui per totam oris superficiem diffunditur. *Externe* applicatus cutim erodit. *Usus. Interne* laudatur in nodis venereis dissolvendis, qui periosteo tumefacto formantur. *Decoctum corticis mezerei* R. cort. Mezerei recent. unc. j, coqu. c. aqu. font. libr. Xjj sub finem coct. adm. rad. Liquirit. unc. j col. libr. Vjjj. Dosis hujus decocti, per diem vasculatim intervallis idoneis sumenda, libr. *ſ.* *Externe* cortex mezerei salutare fit exutorium. Cortices crassiorum ramorum potentius agunt, quam tenuiorum. Sicci macerantur, prius quam cuti imponuntur, per horae dimidium aqua aut aceto. Tria fragmenta longitudine fere dimidii pollicis, interjecto aliquot linearum spatio, prope insertionem musculi deltoidei emplastro aut fascia circulari brachio affiguntur, vel nuchae, femoribus et suris. Bis de die recentibus commutantur, et in indolentioribus prima excoriatio emplastro cantharidum fieri potest. Secundo vel tertio die cutis rubet, et hinc inde punctis sudantibus notatur, quarto vel quinto, interdum

prius, destrui solet. Id quod ulcus tegit mortuum suppuratione, continuato exedentis usu promota, sensim separatur. Nimio dolore urgente, unguentum cereum vices corticis mezerei per aliquod tempus suppleat, ne, ut occurrit, humorum accumulatio dolorosa sub partibus arrosis oriatur. Accessere enim tumor, et inflammatio, ita ut fomenta discutientia in auxilium vocare medicus fuerit coactus. (*Engel*).

† *MILLEFOLIUM*, FOLIA, SUMMITATES FLORENTES.

ACHILLEA MILLEFOLIUM.

Planta perennis indigena, frequentissima. Herba amaro-aromatica, foliis bipinnatis, nudis, laciniis linearibus dentatis, caulibus sulcatis.

Not. 202. *Germ.* Schaafgarbe, *belg.* Het gemeene Duizendblad, *dan.* Röllike, *suec.* Röllika, *angl.* the common milfoil, *gall.* Millefeuille commune, *ital.* Millefoglie, *hisp.* Achîlea milenrama, *lusit.* Mil em rama, *polon.* Tysiacznik ziele, *ross.* ТЫСЯЧЕЛИСТНИКЪ ТРАВА. *Icon.* Zorn T. 29. Libr. IX florum millefolii dabant olei aetherei dr. jj. Ex herbae siccae unc. j extrahuntur extr. aquos pr. dr. jjj et scr. j. et extr. spirituos. pr. dr. jjβ. *Vis:* nervina, spasmos vasorum haemorrhoidalium sedans, eorumque nimium fluxum, externe discutiens. (*Hoffmann & Stahl*). *Usus:* in hysteria, colica flatulenta et haemorrhoidali. Datur succus expressus et infusum.

† *MOSCHATA*, NUCLEUS, EJUS INVOLUCRUM, MACIS DICTUM, ET OLEUM, QUOD OLEUM MOSCHATAE VEL NUCISTAE DICUNT.

MYRISTICA MOSCHATA, VEL *AROMATICA* THUNB. *OFFICINALIS* JACQ.

Arbor insulae Bandae, inter Moluccas celebris. Nuclei subrotundi, extus grisei, intus striis rubicundis variegati, ponderosi, fragiles, oleoso-aromatici, fragrantes. Macis reticulum nuclei membranaceum, pinguiusculum, glabrum, lutescens, odoris fortioris, saporis calidioris aromatici.

Oleum nucis moschatae expressum, substantiae spissioris, coloris ut Macis, odoris grate aromatici.

Not. 203. *Germ.* Muskatnuſs, *belg.* Nooten-moskaat, *dan.* Muskad, *suec.* Muskot, *angl.* the nutmeg, *gall.* noix muskade, *ital.* Noce moscada, *lusit.* Noz moscada. *Icon.* myrist. moschat. Act. paris. 1788 p. 155. t. 5, 6, 7. Nuces moschatae erogant olei aetherei $\frac{1}{16}$ olei unguinosi $\frac{1}{3}$ *(Spielmann)*. Olei nucum moschatae expressi triplex species occurrit, una odoratissima e luteo sanguinea, ex India adfertur in lagenulis lapideis, altera minus fortis pallidius colorata in fragmentis fere quadratis obvia, et tertia vulgo *oleum macis* dicta, quae est composita e sevo ovillo, oleo palmae et pauxillo genuini olei nucum moschatae *(Ypey)*. Merito igitur oleum macis aethereum et oleum nucis moschatae expressum *(oleum nucistae)*, cum emtitia diversimode adulterantur, parari debent in ipsis officinis, ut pharmacopoea danica et borussica statuunt. *Vis.* Nux ipsa stomachicum egregium est, et oleum nucis moschatae externe nervinum notissimum. *Dosis* nucis gr. X-XX. Admiscentur oleo ut plurimum olea aetherea, (dr. jj scilicet, dr. V.) *Linimentum spirituosum olei nucis moschatae Rosensteinii* R. spiritus Juniperi unc. jj olei caryoph. olei nuc. mosch. expr. ana dr. ß. *Balsamum aromaticum* Ph. suec. R. olei nuc. mosch. exp. unc. ¼ cerae flav. dr. jj modico igne liquat. et inde remotis adm. olei caryophyll. — lavend ana dr. jj. — succin. scr. ß. Vid. de maci et oleo macis not. 186.

† *MYRRHA*, *GUMMI-RESINA.*

AN MIMOSAE SPECIES?

Arbor aethiopica.

Succus induratus, gummeo-resinosus, granulatus, friabilis, subpellucidus, ex rubro-fuscus, aut fulvus, fracturae splendentis, saporis aromatici amari, odoris fragrantis.

Not. 204. Calida digestione myrrha quidem prorsus aqua solvitur, solutione autem refrigescente, magna ex parte fundum petit. Uncia una enim myrrhae dat extr. spirituos. unc. ß. Ex libra j transmigrant destillatione olei aetherei dr. jj-jjj. *Vis:* stomachica, exaestuans. Dr. ß et scr. jj ingesti ingratum ardorem in stomacho excitarunt et calorem in universo corpore *(Cullen)*. *Usus* in dyspepsia, chlorosi, et tussi chronica. Praeferunt plures pro usu interno extractum aquosum, quod vario modo paratur, nec praeparatione semper mitior et temperatior redditur, ut videre est in pharmacopoea wirtemb. quae extractum myrrhae aquosum liquore nitri fixi praeter aquam educi jubet. *Dosis* pulv. et extr. myrrh. gr. V-X. *Solutio Myrrhae* R. myrrh. elect. unc. j adfund. olei tartar. per deliquium unc. ß acet. fortiss. unc. Vj aqu. rutae unc. Vjjj diger. per Vj horas, dein coqu. per dimidium horae in balneo arenae. Col. D. de die cochl. jjj-jV. *(Boerhave)*. *Liquor Myrrhae Ph. boruss. R.* Myrrh. cont. unc. jj aqu. dest. simpl. unc. Vjjj. Diger. in balneo aquae et col. *Elaeosaccharum myrrhatum.* R. Extr. myrrh. cum kali parat. dr. j sacchar. canariens. unc. j. Dosis ter de die cochlearculum j. *(Fr. Hoffmann)*. *Solutio Myrrhae Griffithi* R. myrrh. dr. j solv. terendo in mortario cum aqu. alexiter. simpl. unc. Vjß. — Spirituos. dr. Vj-unc. j adde demum sal. absinth. dr. ß sal. martis gr. Xjj syrup. simpl. dr. jj. Quarta pars hujus solutionis parum concinne compositae datur ter de die. Laudatur ab autore in phthisi pulmonali. Oleo aethereo myrrhae cum saccharo usus est *Frid. Hoffmannus* in tussi inveterata.

NASTURTIUM AQUATICUM, HERBA RECENS.

SISYMBRIUM NASTURTIUM.

Planta biennis, ad fossas et rivulos indigena, per totam hyemem virens.

Folia pinnata cum impari, foliola cordato-subrotunda, crassa, succosa, glabra, laete viridia, saporis subacris, nonnihil amari.

Not. 205. *Germ.* Brunnenkresse, *belg.* Waterkers, *dan.* Vandkarse, *suec.* Kiällkrasse, *angl.* common watercresses, *gall.* cresson de fontaine, *ital.* Nasturcio, *hisp.* Mastuerzo de agua, *lusit.* Mastruço dos rios, *polon.* Rzezucha, *ross.* ВОДАНОЯ КРЕСЪ. *Icon.* Zorn T. 144. *Vis* antiscorbutica, resolvens. *Usus* succi expressi in scorbuto, obstructione hepatis et pulmonum. Dosis unc. j-jjj vid. not. 115.

NEPETA, HERBA.

NEPETA CATARIA.

Planta perennis, in locis, ruderibus refertis, nostrae patriae.

Herba aromatico-amara, floribus spicatis, foliis petiolatis, cordatis, dentato-serratis.

Not. 206. *Germ.* Katzenmünze, *belg.* Kattekruid, *dan.* Katteurt, *suec.* Kattmynta, *angl.* cat-mint, *gall.* Chataire, herbe aux chats, *ital.* Gattaria, *hisp.* Gatera, *lusit.* Neveda dos gatos, *polon.* Mietka kotcza, *ross.* КОШИЛЦА МЕЛА. *Icon.* Zorn T. 232. Continet herba nepetae pauxillum olei aetherei. *Vis:* nervina. *Usus.* Balneis utiliter additur.

† *NICOTIANA*, *FOLIA.*

NICOTIANA ABACUM.

Planta annua Americae meridionalis, in Belgio culta.

Herba foliis lanceolato-ovatis, sessilibus, decurrentibus, amara, nauseosa, post exsiccationem fusca.

Not. 207. *Germ. & belg.* Tabak, *dan. & suec.* Tobak, *angl.* Tobacco, *gall.* Tabac, *ital.* Tabacco, *hisp.* Tabaco, *lusit.* Tabacco, *polon.* Tabak, *ross.* ТАБАКЪ. *Icon.* Nicot. tabac. Zorn T. 252 nicot. rust. Blackw. T. 437. Obtinentur ex unc. Vjjj herbae nicotianae crudae extr. aquos. unc. jj et gr. XV atque dein extr. spirituosi dr. jj. Inest nicotianae multum potassae, et pauxillum nitri. Medio seculo XVI translatum est in Europam tabacum. *Vis.* Herba nicotianae masticata salivae affluxum excitat, deglutita nauseam, vomitum, vertiginem, atque vesicae urinariae alvique excretionem progignit. Fumum ori aut ano affatim immissum similes edit effectus. *Usus* in tussi ferina, hydrope, alvique obstipatione. *Infusum herbae nicotianae Fowleri* R. herbae nicotianae virginianae unc. j aquae ebull. libr. j; macera per horam unam, vase clauso, calore balnei maris, dein exprime infusi unc. XIV. Colat. adm. spirit. vini rectificati unc. jj. Dosis bis de die gutt. 60-100 pro adultis. Aegris nimia sensibilitate praeditis sufficiunt gutt. 35. Aestimatur hoc infusum ab autore in hydrope et dysuria. *Pilulas ex extracto tabaci* non frustra tentavit *Rosensteinius* in tussi convulsiva adultorum. *Clysma herbae nicotianae* R. herb. nicotian. dr. j infund. aqu. fervid. q. s. col. unc. Vjjj injiciatur. Major herbae quantitas saepius a medicis clysteribus adjecta, teste *Lattao* nimis irritat, nec raro vertiginem et lipothymiam produxit, sicut fumum ano temere inflatum. *Infusum herbae nicotianae pro usu externo.* R. herb. nicotianae unc. jj ebull. c. aqu. font. unc. XVj col. unc. XV adm. potassae liquidae dr. j. Sequenti modo contra tineam capitis adhibetur. Capillis detonsis, superficies capitis ulcerosa fomentatur infuso simulque mane et vesperi illi infricatur ex unguento, quod componitur ex unguent. picis unc. j et muriat. hydrarg. oxydulat. dr. j-jj. *(Marryat)* *Ceratum tabacinum.* R. succ. herb. nicotian. cerae flavae ana unc. jjj resinae pini

unc. jß olei myrrh. q. s. ut f. ceratum. Aliquoties utilis fuit infrictio cum hoc cerato in herpete, quem nec dolor nec inflammatio comitabantur. *(Consbruch).* Ne obliviscamur tamen, tabacum ulceribus illitum interdum eadem symptomata efficere, quae usum ejus internum sequuntur. *Medicina veterinaria.* Infusum ex herbae tabaci unc. jV et aquae libr. jV frequenter adhibetur in scabie pecorum. Vid. not. 39. Infricant quoque opiliones tabacum masticatum multifariis ovium ulceribus.

† *NUX VOMICA.*

STRYCHNOS NUX VOMICA.

Arbor in Ceylonae et Malabariae arenosis locis.

Semina orbiculata, compressa, umbilicata, villis ex cinereo argenteis splendentibus, ingrate amara.

Not. 208. *Germ.* Krähenaugen, *belg.* Braaknooten, *dan.* Bräknödd, *suec.* Räfkaka, *angl.* Vomiting-nut, *gall.* Noix vomique, *ital.* Noce vomica, *hisp.* Mutaperros, *lusit.* Noz vomica. *Icon.* Zorn T. 343. Largitur nux vomica, extr. aquosi dimidiam ponderis partem, spirituosi partes tres decimas sextas. *(Neumann).* *Vis:* narcotica, anthelmintica. Nimia dosis vomitum produxit, et praeter alios affectus nervorum stuporem universalem. *Usus* in febribus intermittentibus, melancholia, et dysenteria. *Dosis* pulv. ter de die gr. Vj-X. Non reticendum, cum pulveratio nucis vomicae ob intractabilem duritiem laboriosissima sit, pharmaceutas qui, quo facilius comminuatur, eam torrent, perperam agere, quoniam ejus vis tostione plane infirmatur. Pulveretur nux rasa et mucilagine gummi tragacanthae mixta, postquam siccata fuit. *Solutio extracti nucis vomicae* R. extr. nuc. vomicae gr. X mucilag. gummi arab. unc. j aqu. font. unc. Vj D. S. omni bihorio cochl. jj. Celebratur multa laude in dysenteria ab *Hufelandio*, non diffiteor tamen, eam me saepius fefellisse, et dosi,

ut necessarium duxi, aucta, symptomata accessisse, quae non amplius ad usum remedii invitabant. *Tinctura nuc. vomicae.* R. nuc. vomicae libr. j spirit. vin. rectificat. libr. jV. Diger. Dosis gutt. 5-100. *(Wiel).* Continent *electuaria* antiquata *de ovo et camphoratum* (D. brand. 1731) praeter Theriacam et varia aromata, parcam quantitatem hujus nucis. ($\frac{1}{50}$ circiter). *Extispicia.* Ventriculus in misera, nuce vomica necata, inflammatus deprehensus est. (Hufeland J. d. p. A. IV. p. 445). *Antidota.* Emeticum. Acida. Decoctum coffeae saturatum pro potu et clysmate. Vid. not. 211.

† *OLIBANUM, THUS,* RESINA.

JUNIPERUS LYCIA, ET *JUNIPERUS THURIFERA.*

Arbores orientales.

Grana resinosa, rotunda et oblonga, saepius invicem cohaerentia, luteo-albicantia, subpellucida, intus splendentia, friabilia, calida, balsamica, igni inspersa fragrantia.

Massae difformes, luteae, extus friabiles, intus consistentiae cerae, in igne itidem fragrantes, in officinis vulgo THURIS *nomine prostant.*

Not. 209. *Germ.* Weihrauch, *belg.* Wierook, *angl.* Frank incense, *gall.* Encens. *Icon* juniperi lyciae du Hamel Arbres T. I. Spiritus vini solvit duas tertias partes, aqua ad summum quartam olibani partem. *Vis:* diuretica, vulneraria. *Usus:* potior suffimenti loco. Quondam haec resina in fluore albo, et gonorrhoea secundaria magni habita. *Dosis* dr. β. Teste *Forskalo* ab amyri kataf quoque olibanum colligitur.

† *OLIVARUM* OLEUM.

OLEA EUROPAEA.

Arbor Europae meridionalis.

Oleum ex fructibus expressum pellucidum, albidum, vel subflavum, blandum, subdulce, ex fructibus maturis leni pressione stillans sine calore adhibito. Optimum, quod in meridionalibus Galliae et ditione Genevensi colligitur, et ex Italia praesertim illud, quod ab Insula Lucca denominatur, usui interno inserviat. Negligatur profunde flavum, in viride vergens, opacum, turbidum, rancidum.

Ad rancorem corrigendum plumbi praeparatis utuntur, per reagentia detegendis.

Papaveris oleum serius congelatur, et flamma ardet minus laeta.

Not. 210. *Germ.* Olivenöl, *belg.* Olyfoly, *angl.* Oil of olive, *gall.* huile d'olive. *Icon.* oleae europaeae Zorn T. 319. Pondus specificum olei olivarum est 0,915, levissimumque quod noscimus in oleis unguinosis. Construitur ex 0,49375 carbonii, 0,29624 oxygenii et 0,21000 calorici *(Guyton)*. Spissescere incipit ad gr. Th. F. † 35. Rancidum ad gr. 180-190 ejusd. Th. terra argillacea impuritate privatur. *Vis:* laxans, desoxydans, involvens, largiori copia emetica, anthelmintica. *Usus.* Quod *internum* refert, oleo amygdalarum et papaveris albi postponi debet oleum olivarum, illud certe, quod vulgo in nostris regionibus prostat. Tempestivae inunctiones cum oleo olivarum, sub levibus frictionibus in tota corporis superficie administratae, pestem praepedire, et cum in homines inciderat, singulis in casibus eam domare visae sunt. *(Baldwin)*. Observavit saepius *Gardaneus* insignem efficaciam similium frictionum et

illitionum, quas mane et vesperi institutas per aliquot hebdomades continuaverat. Enervat praeterea oleum olivarum morsum, quem viperae et vespae cuti impungunt. In terris Europae borealibus oleum fagi ex ejus seminibus expressum, nec preli sordibus conspurcatum oleo olivarum prorsus aequiparari potest. Modius horum seminum berolinensis, nomen gerens Scheffel, dedit olei libr. Vj et unc. jjj (*Meyerus* Sedinensis).

† *OPIUM*, *GUMMI-RESINA.*

PAPAVER SOMNIFERUM.

Planta nobis indigena; OPIUM vero ex Papavere, quod in Oriente et Persia colitur, unice colligitur.

Succus gummi-resinosus, primo lacteus, ex pericarpiis maturis sauciatis stillans, dein in massam quam maxime pullam, aut nigricantem, gummeo-resinosam induratus, ingrate amaram, acrem, summe narcoticam. Sit ab omnibus heterogeneis et empyreumate liber, aqua non totus solubilis; siccus, levis, tenax, nigricans, fracturae splendentis, odoris gravis, saporis amari, acris, nauseosi.

Not. 211. *Germ.* Mohnsaft, *belg.* Turks heulzap, *angl. & gall.* Opium, *ross.* МАКЪ. *Icon.* papav. somniferi Zorn T. 371. Opium, quod nobis adportatur a mercatoribus, constat ex massis libr. jj quae superius convexae sunt, inferius planae. Quamvis oleum aethereum non potuerit ex eo evocari, aqua tamen cum eo destillata opium olet. Ex granis 500 aqua solutis supersunt 330. Spiritus vini educit gr. 45 quae naturam resinosam prae se ferunt. Itaque apparet, vinum esse opii optimum menstruum. (*Bucholz*). *Vis.* Opium accelerat pulsum motumque cordis, cum plenitudine

ictuum vasorum et caloris incremento. Mens exhilarata variis phantasmatibus oblectatur. Exoritur quam plurimum dolor capitis obtusus, nausea, et dosi sat forti deglutita, ipse vomitus. Hora dimidia circiter praeterlapsa pulsus de celeritate remittit, et perniciosa copia ingesta, respiratio retardatur cum rhoncho. Delirium somnolentiae intermiscetur. Alvus, cum bilis secretio intercipitur, constipatur. Facies rubet et intumescit, oculorum bulbi protuberant. Diaphoresis copiosissime prorumpit, cum musculorum languore et stuporis augmento. Tandem miser apoplexia suffocatur. Etsi tristes opii effectus plerumque non habeant comitem hydropem, quem frequenter ebriosi sortiuntur, hoc tamen in eo commune deprehenditur cum potulentis spirituosis, quod naturam humanam improvidus usus depravat, et quod ei assuetis demum eadem dosis non satisfacit. Opiophagi orientales (Tereakys) emacescunt et pallent. Dorsum incurvatur, humeri sursum trahuntur, caput prominet, collumque versus unum alterumve latus distorquetur. Mens horribilem in modum hebetatur, ita ut ad eam intendendam drachma dimidia et integra narcotici vix amplius sufficiat. Azoto sine dubio vis narcotica in opio, ut in aliis remediis, quae simili modo agunt, assignari debet. *Usus.* Abusi sunt decenniis praeteritis inprimis medici, sophismatibus Brownianis seducti, et cum contemtu autocratiae naturae et neglectu decursus morbi, scalam incitabilitatis ut firmissimum fulcrum praxeos jactatam pueriliter sursum deorsumque quasi perrepentes, praeclaro remedio, ita ut, proh dolor! tota nosocomia in cauponas thebaicas transformata fuerint. Nocet certissime opium in omni orgasmo humorum, qui a mera plethora redundat, in congestione humorum versus caput, in qualibet stasi sanguinis phlogistica, quam genuinam dicunt, nocet denique in colluvie primarum viarum. In typhomania igitur ut nocivum, immo ut mortiferum diffamatur opium, temere datum, cum partim phrenitidem interdum cum ea conjunctam auget, partim stuporem typho familiarem (von *Hildebrand* in praeclaro libro: *über den ansteckenden Typhus* p. 222). Obest itidem facillime in

morbis infantum acutis, si cerebrum sanguine obruitur. Prodest e contrario in multigenis doloribus mere nervosis et motibus spasticis, in hysteria, luxatione inveterata et insomnia ab erethismo, porro transeunter aeque ac funditus in diarrhoeis, dysenteriis, cholera et haemorrhagiis passivis, siquidem hae evacuationes sine damno sisti queunt. Moderatur opium vim variorum medicaminum, moderatur praeprimis stimuli mercurialis effectus in lue venerea, atque nonnulla hujus morbi symptomata blanda quidem nec specifica virtute. Forma pulveris opii nulla alia chemica encheiresi mutati optima. *Dosis* pulv. gr. ß-jj, quae in debellando tetano incredibiliter augeri debet. Datur in hoc obstinato malo omni bihorio gr. j opii immo per plures hebdomades ad gr. X et duodecim de die devoratum nullum damnum aegris attulit. (Richter's chirurg. Bibliothek I. b. pag. 169.) *Opium purificatum Ph. L.* R. Opii in frustula conc. libr. j spirit. vinosi tenuior. libr. Xjj diger. leni calore, subinde agitans donec solvatur opium, quod per chartam cola. Distilla tincturam ita paratam ad idoneam crassitudinem. Opium purificatum molle et durum in officinis Britanniae adsunt. Opium bonum ut adportatur, purificato antecellit. *Pilulae ex opio Ph. Lond.* R. Opii purificati duri dr. jj extract. liquirit. unc. j contund. donec in unum misceantur. Grana quinque continent opii purificat. gr. j. Opii purificati loco sumatur opium nulla arte tractatum, nec nimium quisquiliis mixtum. Vid. not. 453. Denudatis nervis et cuti, ardorem excitat opium, et sensationem dolorosam, sed, cuti integra, lenit dolorem et sedat, *externe* applicatum. *Linimentum opii cum felle vitulino* R. Opii subtilissime pulverati dr. jj; digere leni calore (ad. gr. 30-35. Th. R.) per biduum cum fellis vitulini unc. jj. Adm. axung. porc. unc. jj olei del cedro gutt. X. Illiniatur octava pars quolibet vespere, et si necessarium videatur, frequentius. *(Brera)*. Opium ut plurima medicamina ex vegetabilibus et animalibus, bile et succo gastrico contrita, celerius post inunctionem vim exercent quam haec ipsa oleis aut axungiis congesta. Ob citam efficaciam placuit concrementum unguentarium ex dr. jj succi ga-

strici, matutino tempore ex ventriculo corvi extracti et opii scr. j. — Clysmatibus pro adultis adduntur opii gr. jV segnius enim obluctantur irritamento remedii intestina crassa quam ventriculus. *Extispicia.* Facies eorum, qui opio interierunt, tumida apparet. Ex abdomine dissecto odor teterrimus ascendit. Ventriculus et intestina aëre sunt inflata, vasa eorum sanguine referta, inflammatio passim in ventriculo orta, atque sanguis in vasis intestinorum naturali fluidior. Vesica fellea bile turget. Pulmones latice vitali infarcti, item sinus cerebri atque vasa plexus choroidei. *Antidota.* Quam celerrime fieri potest, emeticum ex rad. Ipecacuanh. dr. j et tartar. stibiat gr. j pulveratis fere siccum dari debet, nec vomitus provocari potu infusi theae, antequam sua sponte processerit. Emesi post octavam horae partem non insecuta medicus sine mora scrupulum unum sulphatis zinci, et periculo post idem intervallum pariter urgente, alterum cum pauca aquae quantitate capiendum curet. Non cessabunt statim omnia symptomata ab opii magna dosi pronata, licet evacuatae sint largiter primae viae. Offeratur saepius decoctum saturatum ex coffea arabica, quod ano quoque injicitur, et panno attractum abdomini imponitur. Servavi hoc modo virum, qui insano amore perturbatus tincturae opii crocatae unc. jj et plus ingurgitaverat. Ut eum morti eriperem, libram unam et dimidiam coffeae tostae per octo horas in decoctis consumendam praescripsi. Mente a summo stupore liberata, infusum flor. arnicae et rad. valerianae cum aethere sulphurico necessarium duxi ad nervorum vigorem penitus revocandum. Pro potu dedi limonadam. *Medicina veterinaria.* Dr. jj opii equae per sex dies quotidie intrusae vix ullum effectum praestiterunt nec indicia veneni apparuere, cadavere animalis occisi dissecto. (*Viborg's Sammlungen von Abh. f. Thierärzte I. p.* 301). Vid. praeparata et composita ex opio not. 453. 459. 481. 482. 534. 535. 555 et 575.

† *OPOPANAX*, *GUMMI-RESINA.*

PASTINACA OPOPANAX.

Planta biennis Europae meridionalis et Orientis. Gummi-resina subfusca, granulata, fragilis, subpinguis, amara, nauseosa, odore radicem Levistici aemulans.

Not. 212. *Icon.* pastinacae opopanacis moris. hist. pl. III. T. 17. Dat opopanax extr. aquosi pondus dimidium, extr. spirituosi ultra tertiam partem. *Vis:* exaestuans, secretionem vasorum exhalantium augens. *Usus:* quondam in catarrhis. *Dosis* scr. j- dr. ß. Hodie emplastra tantum intrat.

ORIGANUM, HERBA FLORENS.

ORIGANUM VULGARE.

Planta perennis, per patriam frequens.

Herba aromatica, foliis oppositis ovatis, spicis subrotundis, paniculatis, conglomeratis, bracteis ovatis, calyce brevioribus.

Not. 213. *Germ.* Gemeine Doste, *belg.* wilde Majolyn, *dan.* Tost, *suec.* Dosta, *angl.* the wild marjoram, *gall.* Origan, *ital.* Origano, *hisp.* Oregano, *lusit.* Ourégao, *polon.* Lebiotka, *ross.* ДУШИЦА, МАПЕРИНКА. *Icon.* Zorn. T. 57. Continet herba origani olei aetherei camphoracei $\frac{1}{5\,3\,6}$. Odore similis est herbae origani majoranae. Ex unc. j prodeunt extr. aquos. dr· jjß extr. spirituosi aromatici scr. jV. *Vis* nervina, carminativa. *Usus:* pro thea infusum, atque externe in epithematibus. Cerevisiae addita, ejus acorem arcet; tempore fermentationis admixta temulentiam promovet.

ORYZA, SEMEN DECORTICATUM.

ORYZA SATIVA.

Stirps annua, Aethiopica.

Semina oblonga, farinosa, compresso-convexa, utrinque obtusa, alba, semipellucida, subsulcata.

Not. 214. *Germ.* Reifs, *belg.* Ryst, *dan.* Riis, *suec.* Ris, *angl.* Rice, *gall.* Ris, *ital.* Riso, *hisp. & lusit.* Arroz, *polon.* Riz, *ross.* САРАЧИНСКОЕ ПШЕНО. *Icon.* Zorn T. 579. Semina oryzae aquam, in qua coquuntur, largiter mucilagine impraegnant. Decoctum non coloratur sulphate ferri. *Vis:* nutriens, involvens. *Usus:* diaeteticus. Panis, qui ex oryza fit, vilior eo, qui ex frumento paratur. *Decoctum oryzae* R. oryzae unc. jj coqu. c. aqu. font. libr. jj. Col. unc. XVj. Commodum potum praebet in diarrhoea et dysenteria. *Ptisana oryzae* (Tisane ou eau de riz) R. oryzae unc. ß coqu. c. aqu. font. q. s. ut mollescat, sub finem coct. adm. cort. aurant. dr. j. Col. mens. j D. *(Formulaire pharmaceut. à l'usage des hôpitaux milit.* 1804).

OXALAS ACIDULUM POTASSAE.

ACETOSELLAE SAL.

Sal essentialis acidulus albus, ex Oxalide Acetosella et corniculata ac Rumice Acetosa in Germania et Helvetia praeparatus, crystallis exiguis, oblongis, quadrangularibus; ex potassa constans et acido oxalico, aqua totus solubilis. Adulteratur quandoque sulphate acidulo potassae; quod facile detegitur, affusa solutione acetitis plumbi, cujus praecipitatum in acido nitrico hoc casu est insolubile.

Not. 215. *Germ.* Sauerkleesalz, *belg.* Klaver-zuuring zout, *angl.* Salt of Sorrel, *gall.* Sel d'oseille. Praeter plantas, quas textus nominat, rumex acetosa, geranium acetosum et oxalis cernua oxalas acidulum potassae continent. *Deyeux* sat magnam quantitatem acidi acetosellae ex pilis ciceris arietini extraxit. Separari

potest ex oxalate acidulo potassae acidum acetosellae acido praedominante cum ammonia saturato, et nitrate barytae admixto. Ex oxalate barytae, quod fundum petit, acidum acetosellae acido sulphurico secernitur. Acidum acetosellae sic evolutum tanta aciditate praeditum est, ut tria decigrammata cum aquae kilogrammate uno non levem communicent aciditatem. *Vis* refrigerans, analeptica. *Usus.* Oxalas acidulum potassae datur in febribus pulveratum, aut aquae pro potu admixtum. *Pulvis temperans Rosensteinii* R. nitrat. potass. unc. jß oxalat. acidul. potass. unc. β morsul. citr. unc. Vjjß. m. *Pulvis nitrosus pharmac. suec.* R. nitrat. potass. unc. jjj oxalat. acidul. potass. unc. j sacchar. alb. unc. X. Vid. not 46 et 47.

† *PAPAVER ALBUM*, CAPITA, SEMEN.

PAPAVER SOMNIFERUM.

Planta annua, copiose a nostratibus culta.

Capsulae, vel capita, narcoticae, sauciatae, lac amarum virosum fundentes; recentes efficacia praestant exsiccatis. Semina minima, globosa, alba, oleoso-dulcia.

Not. 216. *Germ.* Weifser Mohn, *belg.* wit tamme Heul, *angl.* white poppy, *gall.* Pavot blanc. Semina hujus plantae nulla virtute somnifera praedita sunt. Unde efficitur, emulsionem, quae ex illis fit, ad sedamina non pertinere, ut quondam medici putabant. Ex libr. j sem. pap. alb. eliciebantur expressione olei unguinosi gratissimi unc. jV (huile d'oeillet). *Gaujac* eduxit ex kilogrammat. 400 olei 100 et placent. residuae 280. Condensatur hoc oleum aegerrime, frigori expositum, et iniit tantum axungiae spissitudinem adminiculante arte ad gr. 0 Th. F. *(Brandis)*. Capita plantae verum opium continent, cui membrana media cellulosa hospitium praebet. *(Kehr* über den Anbau des weifsen Mohns II. Aufl. Bern 1810). *Vis* seminum nutriens, capsularum narcotica. Oleum papav. alb. ad internum

usum aptissimum. Decocto capsularum, quod cum lacte fieri solet, saepissime nocuerunt aniculae et medicastri in morbis infantum, ob incertam remedii dosin, et mali cognoscendi inscitiam. Vid. not. 459.

† *PAPAVER ERRATICUM, RHOEAS,* FLORUM PETALA.

PAPAVER RHOEAS.

Planta annua, inter segetes frequentissima, culta in hortis.

Petala rubra, odore ingrata.

Capsulis glabris, globosis discernitur a PAPAVERE DUBIO, *cujus capsulae oblongae, glabrae; a* PAPAVERE ARGEMONE, *quod huic sint capsulae oblongae, hirsutae.*

Not. 217. *Germ.* Klatschrose, *belg.* Klapperroos, Korenheul, *dan.* Klapperrose, *suec.* Kornros, *angl.* red-poppy, *gall.* Coquelicot, *ital.* Papavero salvatico, *hisp.* Adormidero silvestre, *lusit.* Papoileira. *Icon.* Zorn T. 175. Flores recentes, paululum amari, spargunt virosum opii odorem. *Vis* anodyna est levissimi momenti. Vid. syrup. papav. rhoeados. *Tinctura papav. erratici Disp. Borusso-Brand.* (1781) est infusum aquosum ex flor. papav. errat. unc. j aqu. font. dest. unc. Vjjj et spiritus vitrioli dr. jj et soli acido sulphurico diluto debet suam virtutem. Dosis cochl j cum duplo aquae. Eadem virtute pollent tinctura aquilegiae, tinctura bellidis florum et rosarum. Libr. j tinct. rosar. acid. Ph. Boruss. continet acid. sulphuric. dilut. unc. β.

PASSULAE MAJORES.

VITIS VINIFERA.

Frutex sponte crescit in regionibus australibus. Inter majores quaedam volumine sunt magis

conspicuae, subfulvi coloris et dulciores, DAMASCENAE dictae; aliae minores.

Not. 218. *Germ.* Grofse Rosinen, *belg.* groote Razynen, *angl.* Raisins, *gall.* Raisins secs. Passulae majores gallicae et calabrienses dulciores sunt damascenis. Exportantur priores ex Languedocia et Provincia in cistis pondere libr. 15-20. Continent passulae principium saccharinum, mucilaginem et tartarum. *Vis:* nutriens, becchica, leniter incidens. *Usus* in ptisanis pectoralibus, et potionibus laxativis. *Decoctum passularum major.* R. passular. maj. lotar. et enucleat. unc. jV coqu. c. aqu. font. libr. jjj. Col. libr. jj d.

PASSULAE MINORES.

VITIS APYRENA.

Frutex, Vitis viniferae varietas; in iisdem regionibus australibus habitat, ac praecedens.

Nigricantes, dulcissimae cum levi acore.

Not. 219. *Germ.* Kleine Rosinen, *belg.* kleene Razynen, *angl.* Raisins of Corinthe, R. of the sun, *gall.* Raisins de Corinthe. Adduntur decoctis pectoralibus et eccoproticis. *Passulae et pruna laxativa Ph. Wirtemb.* (1771) R. fol. senn. unc. jV zingib. alb. dr. jß cinnamom. dr. jj, infund. aqu. font. fervent. unc. X diger. in loco calido per biduum, postea exprimantur, expresso adde sacchar. alb. libr. j; solvatur saccharum unica ebullitione et per pannum colatus syrupus superfundatur passular. minor. vel prunor. damascen. enucleat. in aqua font. ad mollitiem coctor. et a superflua humiditate, modica exsiccatione, liberatorum libr. j. Dosis unc. ß-unc. jj.

PASTINACA SATIVA, SEMEN.

PASTINACA SATIVA.

Planta biennis, in locis, ruderibus refertis, et pascuis sponte nascens.

Semina compressa, elliptica, striata, marginata, subaromatica et odora.

Not. 220. *Germ.* Pastinake, *belg.* Pinsternakel, *dan.* Pastinak, *suec.* Palsternacka, *angl.* Gärden Parsnip, *gall.* Panais, *ital. hisp. & lusit.* Pastinaka, *polon.* Pasternak, *ross.* ПУСТЕР НАКЪ. *Icon.* Zorn T. 568. *Vis* seminis diuretica. *Usus* plane obsoletus.

PECHURIM, FABA.

Ignotae arboris semen.

Nucleus oblongus, ovatus, pullus, subglaber, ponderosus, altera parte convexus, altera concavus, pollicem circiter magnus; sapor odorque inter nucem moschatam et lignum sassafras medius.

Spuria venditur haec faba, quae dimidio genuina major est, extrinsecus rugosa et pallidior, minus aromatica atque amarior.

Not. 221. Arbor, ex qua semen colligitur, in Brasilia crescit. Libr. j fabae pechurim dat circiter olei expressi unc. jβ cum pauxillo olei aetherei. *Vis* carminativa, stomachica. *Usus:* in diarrhoea et dysenteria. Ulteriora pericula ostendant, an hoc semen, ut videtur, in posterum ex censu medicaminum officinalium removeri possit.

PERUVIANUM BALSAMUM, SEU INDICUM NIGRUM, BALSAMUM.

MYROXYLON PERUIFERUM.

Arbor Americae meridionalis, in calidioribus Terrae Firmae locis frequens.

Sapore praeditum est acri-aromatico, et

odore grate benzoino. Bullienti aquae instillatum, separatur in partem leviorem, quae aquae pelliculam superinducit, et in partem graviorem, quae fundum petit. Solvitur in spiritu vini, connubium cum oleis unguinosis plane respuens. Cum acido sulphurico placide coit genuinum balsamum, sed cum copaïvae balsamo adulteratum, valde intumescit, vaporesque sulphureos emittit.

Not. 222. *Germ.* Peruvianischer Balsam; *belg.* Peruviaansche balsem, *angl.* Balm of Peru, *gall.* Baume de Perou, *ross.* ПЕРУВІАНСКІЙ ВАЛЬЗАМЪ. *Icon.* myroxyl. peruifer. Hern. mex. pl. Odore vaniliae simile est balsamum peruvianum. Optimi unc. ß cum aqua destillata transmisit olei aetherei gr. X. Alcoholis unc. ß solvit balsami peruviani gr. XX, promtius autem aether sulphuricus *(Juch)*. Cum oleis aethereis facile miscetur, nec unitur cum oleis expressis et axungiis animalium. *Vis:* incitans, exaestuans. *Usus:* inprimis externus. In vulneribus recentibus sine dubio saepius plus nocuit, quam profuit. *Mixtura alcoholica balsam. peruvian.* R. balsam. peruvian. unc. jj alcohol. unc. Vj. Saepius de die illini jubet *Raveus* in doloribus arthritidis articulorum. *Linimentum balsami peruviani ad papillas mammarum.* R. pulv. gummi arabici dr. jj balsami peruviani dr. j olei amygdal. dr. jß aqu. rosar. unc. j. Sexies per diem inungatur papillis mammarum suctu excoriatis. Matres sensibiliores lenimen promissum ex hoc linimento non semper perceperunt.

PETROSELINUM, RADIX, HERBA RECENTES, SEMEN.

APIUM PETROSELINUM.

Planta biennis, in Sardinia et Sicilia indigena, in hortis nostris copiose culta.

Radix elongata, digitum crassa, alba; acrimoniam levem cum dulcedine junctam habet.

Herba foliis caulinis linearibus, involucellis minutis, suppar viribus semini.

Semina parva ovata, uno latere plana, altero convexa, latere convexo quatuor sulcis flavis distincta, viridia, ex acri-aromatica.

Not. 223. *Germ.* Petersilie, *belg.* Peterselie, *dan.* Petersille, *suec.* Petersilja, *angl.* the common parsley, *gall.* Persil, *ital.* Petroselino, *hisp.* Perejil, *lusit.* Pexil; *polon.* Pietruska, *ross.* ПЕТРУШКА. *Icon.* Blackwell T. 172. Radix et herba petroselini siccatione omni vi orbantur; semen ceteroquin omnes plantae partes *vi* diuretica antecedit. Continet hoc olei aetherei $\frac{1}{48}$. *Usus.* Herba conquassata, mammisque imposita lac discutit, et dolorem a puncturis insectorum lenit. *Dosis* pulv. seminis gr. X-XX. Capillis inspersum necat hic pediculos inter achores nidulantes. Idem praestat unguentum ex semine pulverato et butyro insulso. Succus herbae recentis infricatus non minus infestus est niduis pediculosis.

† *PHELLANDRIUM*, *seu FOENICULUM AQUATICUM*, *semen.*

PHELLANDRIUM AQUATICUM.

Planta biennis, in fossis et ad lacus frequens, indigena.

Semina subaromatica, acria, oblonga, striata, luteo-viridia.

Not. 224. *Germ.* Wasserfenchel, Pferdesaamen, *belg.* Waterkervel, *dan.* Skarntyde, *suec.* Stakra, *angl.* the fine leaved water-hemlock, *gall.* Ciguë d'eau, *ital.* Fedandro acuatico, *polon.* Kruszykamien-ziele. *Icon.* Blackwell T. 570. Libr. j sem. phellandr. aquat. erogat olei

aetherei penetrabilis scr. jj, extr. aquos. unc. j et extr. spirituosi dr. XIV, ex quibus dr. jjj et gr. V veram resinam referebant. *Vis:* narcotica, calefaciens, diuretica. *Usus.* Pus in variis ulceribus usu interno emendari, atque progerminationem carnis in eis promoveri, multis observationibus constat, unde fit, ut quamplurimi ex medicis recentioribus semen phellandrii in phthisi pulmonum ulcerosa magni faciant. Laudes remedii autem, nisi fallor, solummodo ad phthisin pituitosam revocari debent. *Dosis* pulv. gr. X-XX ter de die. *Tinctura phellandrii aquatici Martii* R. sem. phellandr. aquatici unc. ß alcohol. vini unc. Vj diger. per hor. 24 adm. vin. muscati unc. Vj continuet. digestio per hor. 48. Dosis gutt. X-LX. *(Abh. der phys. u. medic. Soc. z. Erlangen I. pag.* 313).

PIMENTA, FRUCTUS.

MYRTUS PIMENTA.

Arbor in insulis Antiliis, praesertim Jamaica. Baccae immaturae siccatae, magnitudinis piperis nigri, vel paulum majores, globosae, vel nonnihil oblongae, umbilicatae, denticulis detritis, perquam aromaticae. Maturae plurimum aromatis perdidere.

Not. 225. *Germ.* Jamaika Pfeffer, englisches Gewürz, Nelkenpfeffer, *belg.* Jamaika pepper, *suec.* Kryddpeppar, *angl.* the pimenta, Allspice, *gall.* Poivre de la jamaique, pimente, *ross.* ЯМАЙСКІЙ ПЕРЕЦЪ. *Icon.* Zorn T. 583. Nomen Pimento insulanis in India occidentali proprium. Dat libr. j pimentae olei aetherei dr. ß *(Cartheuser)* quandoque unc. j eandem copiam *(Neumann). Usus:* condimentum blandum ciborum. Vid, not. 165.

† *PIPER ALBUM*, FRUCTUS.
PIPER NIGRUM.

Frutex Indiae orientalis, in insula Java copiose cultus.

Nuclei fructus maturi cortice nigro privati, sphaerici, magnitudinis pisi minoris, odoris aromatici, saporis ferventis, acris.

Piper nigrum, quod vilioris pretii, et virtute albo inferius, rugis et cortice nigro dignoscendum.

Not. 226. *Germ.* Gemeiner Pfeffer, *belg.* gemeene peper, *angl.* the common pepper, *gall.* poivre commun. *Icon.* Zorn T. 557. Acre cortici piperis unice inhaeret, atque spiritu vini totum extrahitur. Unc. j dat extr. aquos. inodori et insipidi dr. V, extr. spirituosi peracris dr. j. *Vis.* Irritat topice sub sensu caloris parum diffuso, et digestionem promovet. *Usus* in vertigine gastrica, colluvie pituitosa primarum viarum, et languore ventriculi. *Dosis* pulv. scr. j-dr. ß involuta orbiculo signatorio ex farina. Loco pulveris grana quatuor integra usque ad duodecim, sensim addendo deglutiri queunt. Usus incautus in febribus intermittentibus aliquoties detrimento fuit. In furorem incidit aeger, postquam cochlearia duo piperis granis plena uno haustu sub febris vigorem contra febrem quartanam ingurgitaverat. (*Murray app. medic. V. p.* 32). Guttulae quaedam olei piperis aetherei in paralysi et epilepsia inveterata aliquoties profuere. — Infusum piper. nigr. cum lacte muscis mortiferum est.

† *PIPER HISPANICUM* SEU *INDICUM*, FRUCTUS.
CAPSICUM ANNUUM.

Planta annua Americae meridionalis, in hortis nostris frequenter culta.

Fructus capsularis, ruber, nitidus, conicus, incurvatus, seminibus subrotundis, compressis, albidis refertus, saporis acerrimi, ignei.

Not. 227. *Germ.* Gemeiner spanischer Pfeffer, *belg.* jaarlykse spaansche peper, *dan.* baelg-peber, *suec.* spansk-peppar, *angl.* the guinea pepper, *gall.* poivre de Guinée, poivre d'Espagne, *ital.* Peperone commune, *hisp.* pimienta de Indias, *lusit.* pimentao da India, *polon.* Pieprzyca, *ross.* СПРУНКОВИЙ ПЕРЕЦЪ. *Icon.* Zorn T. 300. Extractum spirituosum fructus capsici annui intolerabilem fere ardorem in lingua excitat. *Vis:* eadem quae in pipere albo, ast multo fortior. *Usus:* in angina maligna, amaurosi, et vomitu nigro, qui febrem, quam flavam dicunt, comitatur. *Tinctura piperis hispanici* R. piper. hispanici unc. ß spirit. vin. libr. j. *Dosis* hujus tincturae dr. j-jjj. Cum aqua diluta gargarismati inservivit. *(Adair). John Currie* gargarisma ex gr. j cum aquae unc. jj infusione paratum adhibuit. *Pilulae piperis hispanici* R. piper. hisp. dr. j farin. secalin. gr. V aquae q. s. ut f. pilul. Xjj. Detur omni bihorio pilul. j in vomitu nigro, quo febris flava aegros adoriri solet. *Pulvis febrifugus ex piper. hispan. Bergii* R. sem. piper. indic. gr. Vj bacc. lauri scr. jj m. f. pulv. Divid. in tres partes aequales. Primus pulvis sumitur incipiente rigore, secundus postridie eadem hora, tertius autem tertio die. Saepissime vidit autor febres intermittentes protractas his pulveribus esse profligatas. — Condimentum, quod sub nomine *cayenne pepper* ex Cayana in America ad nos transfertur, atque a medicis Angliae medicaminis loco adhibetur, ex seminibus capsici baccati (bird-pepper) mola contritis, farina triticea et fermento panis componitur. Massa in furnis siccata redigitur in pulverem. *Tinctura piper. cayennensis* R. piper cayennens. scr. j-dr. j spirit. vini gallici unc. j. Diger. Dosis gutt. 25-45 quater de die in amaurosi (*Arnemann* Annal. d. med. chirurg. J. I. H. p. 221). *Gargarisma piper. cayenn.* R. piper. cayennens. unc. ß magnes. carbonici dr. j aqu. ebull. acet. vin. dest. ana unc. jjj. *(Headly).*

† *PIX* SOLIDA ET LIQUIDA.

PINUS ABIES ET *SYLVESTRIS.*

Arbores frequentissimae in sylvis borealibus, in Belgio cultae.

Pix SOLIDA, *resina, quae vel sub destillatione picis liquidae habetur, vel dein ex eadem paratur, est firma, fragilis; calore leni liquescit; flammae admota ardet fumo nigro et odore resinoso suffocante; coloris est vel nigrescentis, vel pulli, fracturae splendentis.*

Pix LIQUIDA, *resina, ignis ope ex ligno sicco pini destillando per descensum eliquatur. Liquidum est tenax, nigrum, fragrans, plerisque ingrate olens, saporis amari.*

Not. 228. *Icon* pini abiet. Zorn T. 527. 1. *Pix solida. Germ.* Pech, *belg.* Pik, *angl.* common Pitch, *gall.* Poix. *Vis:* balsamica. Cuti applicata tenaciter adhaeret, eamque rubefacit. *Usus.* Suffitus ex aequalibus partibus cerae flavae et picis solidae, qui in cubili aegri diffunduntur, aliquoties in phthisi pulmonali utiles fuere. Licet crudelem dropacismum medici hodierni detestentur, striae linteae, quibus farina secalina et pix solida commixtae illitae sunt, in tinea capitis non ita pridem commendantur. Quae cum autem cum bulbis capillorum corruptis sanos simul evellant, aeque damnabiles sunt. Vid. not. 570. et 579. 2. *Pix liquida. Germ.* Theer, *belg.* Teer, *angl.* Tar, *gall.* Goudron. Est oleum empyreumaticum cum partibus resinosis et acido lignorum permixtum. Acidum cum pauxillo empyreumatis aqua attrahitur. *Aqua picea* (Theerwasser). R. picis liquid. libr. jj aqu. comm. libr. X; misceantur bacillo ligneo saepius agitando. Stent per biduum in vase ligneo, dein decantetur liquor. Dosis pro adultis unc. Vjjj-XVj ventriculo vacuo. *Vis*

diuretica. *Usus:* in scorbuto similique humorum dyscrasia. (*Ellis*). *Pilulae piceae Ph. paup. Ed.* (1758) R. picis liquid. q. v. rad. helenii pulv. q. s. m. f. e singulis semidrachmis pilul. Vj. Dosis bis de die dr. β Quidam usi sunt eis in phthisi pulmonali.

PLANTAGO, FOLIA VIRENTIA.

PLANTAGO MAJOR.

Planta perennis, ad vias et in locis incultis creberrima.

Herba foliis oblongo-ovatis, longe petiolatis, glabris, subadstringentibus, subamaris, salinis.

Not. 229. *Germ.* Wegerich, *belg.* Weegbree, *suec.* Slofskämpar, *angl.* the hoary plantain, *gall.* le plantain moyen, *ital.* Piantaggine media, *hisp.* Planten media, *lusit.* Tanchagem mediana. *Icon.* Zorn T. 230. Succus expressus herbae plantaginis acerbiusculus, salsus. Praecipitur, ut sumant aegri initio febrium intermittentium hujus unc. jV. *Mellago plantaginis* in prioribus editionibus ph. edinb. receptus, in ultima sine damno omittitur. Folia virentia a plebe aliquando cum effectu imponuntur ulceribus cutaneis, in pharmacopoliis superflua.

POLYGALA AMARA, RADIX.

POLYGALA AMARA.

Planta perennis montana Germaniae et Galliae meridionalis.

Radix fibrosa, fibrillis tenuibus subluteis, amaro-subdulcis.

Not. 230. *Germ.* Bittre Kreuzblume, *belg.* Kruisbloem, *dan.* Kaarsblomster, *suec.* Jungfru mariä-lin, *angl.* Milk-wort, *gall.* Polygale, *ital. & hisp.* Poligala, *lusit.* Polygala, *polon.* Wyczka, *ross.* ИЗИПОДЪ ГО-

рѢкій. *Icon.* Zorn T. 83. Adepta est radix polygal. amar. aliquam celebritatem in phthisi pulmonali ulcerosa, nullatenus confirmatam. *Dosis* pulv. dr. β. *Decoctum rad. polygal. amar.* R. rad. polygal. amar. unc. jj coqu. c. aqu. font. libr. jjj; col. libr. jβ d. de die in duplo tertia pars.

POPULUS, OCULI, SEU GEMMAE.

POPULUS NIGRA.

Arbor, in collibus maritimis et passim ad vias crescens.

Gemmae verno tempore scatent succo balsamico, flavo, amaro.

Not. 231. *Germ.* Pappel, *belg.* Popelier, *dan.* Popel, *suec.* Poppel, *angl.* Poplar, *gall.* Peuplier, *ital.* Pioppo, *hisp. & lusit.* Chopo, *polon.* Topola czarna, *ross.* ОЗОКОРЪ. Succus balsamicus oculorum populi spiritu vini solvitur. Hoc evaporato resina remanet styraci non absimilis.

† *PRUNUS*, FRUCTUS SICCATUS.

PRUNUS DOMESTICA.

Arbor in hortis culta; praestantior ex Europa meridionali et locis calidioribus habetur.

Drupa oblonga, carnosa, rugosa, nigra, acido-dulcis.

Not. 232. *Germ.* Pflaumenbaum, *belg.* Pruimboem, *dan.* Blommer, *suec.* Plommon, *angl.* Plum-tree, *gall.* Prunier; prune, *ital.* Prugno, *hisp.* Ciruelo, *lusit.* Ameixeira, *polon.* Sliwina, *ross.* СЛИВНЬКЪ. Pruna brignolensia (Prunellen) eminent principio saccharino. *Vis:* nutriens, leniter laxans. *Usus.* Optimum nutrimen in morbis acutis sthenicis. Decoctum ex iis paratum aegris febricitantibus perutile. Roob prunorum commendabile viliori pretio in constituendis electuariis,

atque aemulatur, cum acido tartarico mixtum, tamarindorum pulpam. Aqua, postquam cum prunis cocta fuit, foliis sennae infusa dat potionem leniter laxantem, qua infantes plus invitantur quam repelluntur. *Electuarium lenitivum pro pauperibus.* R. tartr. potass. acidul. fol. senn. ana dr. j sem. foenicul. dr. j roob prunor. unc. jß syrup. q. s. f. elect. Dosis omni hora cochlearcula duo.

PSYLLIUM, SEMEN.

PLANTAGO PSYLLIUM.

Planta annua, in Europa australi et Aegypto. Semina exigua, profunde pulla, oblonga, splendentia, una parte convexa, altera leviter concava; initio nauseoso-mucilaginosa, dein acria.

Not. 233. *Germ.* Flohsaame, *belg.* Vlookruid, *dan.* Psilleurt, *suec.* Loppfrögräs, *angl.* the clammy plantain; fleaseed, *gall.* herbe aux puces, *ital.* pulicaria, *hisp.* Zaragatona, *lusit.* Pulgueira. *Icon.* Zorn T. 115. Pars una seminis aquae partibus 40-48 fervide affusis mucilaginosam conciliat spissitudinem. Infusum sulphate ferri non variatur. *Vis* emolliens. *Usus:* fere obsoletus.

PULEGIUM, HERBA FLORENS.

MENTHA PULEGIUM.

Planta perennis, in locis humidis, culta in hortis Nordvicensibus.

Herba aromatica, floribus verticillatis rubicundis foliis ovato-lanceolatis, serratis, hirsutis.

Not. 234. *Germ. belg. & dan* Poley, *suec.* Puleja, *angl.* penny royal mint, *gall.* Pouliot, *ital.* Puleggio, *hisp.* Poleo, *lusit.* Poejo, *polon.* Poley, *ross.* ПОЛЬИ. *Icon.* Zorn T. 490. Herba pulegii est aromatica acris, recens continet $\frac{1}{272}$ olei aetherei fragrantis. *Vis:* ner-

vina. *Usus:* externe praecipuus. Olim succus herbae pulegii a quibusdam Angliae medicis (cochl. j) in tussi ferina laudabatur.

PULSATILLA NIGRICANS, HERBA FLORENS.

ANEMONE PRATENSIS.

Planta vernalis, crescens in campis apricis sterilibus Germaniae.

Herba acerrima et urens, pedunculo involucrato, et petalis apice reflexis, foliis bipinnatis, ANEMONAE PULSATILLAE non absimilis, quae vero altior, hirsutior, flore majori, petalis rectis.

Not. 235. *Germ.* Küchenschell, *belg.* Keukenschelle, *dan.* Feldt-anemone, *suec.* Fältsippa, *angl.* meadow Anemone, *gall.* Coquelourde, *polon.* Ozarne ziele, *ross.* ВЕПРЕНИЦА. *Icon.* Zorn T. 76. Aqua ex herba pulsat. nigric. destillata peracris fit et purgens. Ex residuo paravit Stoerckius extractum primum sapore adstringente, dein mordaci. Aqua destillata deponit sensim crystallos acres camphoraceos. *Vis.* Vellicat fibram muscularem aeque ac nerveam. *Usus. Pulvis extr. pulsatillae* R. extr. pulsatill. gr. Vjj-XjV sacchar. alb. dr. j. *Dosis* ter de die gr. XX ita ut per diem dr. j-dr. jjj. pulveris paulo ante commemorati devorentur. *Aqua pulsatillae destillata* ciet aliquoties nauseam, conatumque vomendi. Dosis bis de die dr. jj-unc. ß. *Infusum pulsatillae* R. hb. pulsatill. dr. j-jV infund. aqu. fervid. s. q. per horae quadrant. Colat. libr. j adm. sacchar. alb. unc. β. Dosis ter de die unc. jjj-jV. Utiliter adhibitae sunt dictae remedii formulae in amaurosi. *(Stoerck).*

PYRETHRUM, RADIX.

ANTHEMIS PYRETHRUM.

Planta perennis Asiae et Africae, ad oras maris mediterranei sponte nascens.

Radix longa, recta, fibris capillaribus obsita, fusca, intus alba, acris, urens.

Not. 236. *Germ. belg. dan. & suec.* Bertram, *angl.* Pellitory of Spain, *gall.* Pyrétre, *ital. hisp. & lusit.* Piretro, *polon.* Zebne ziele. *Icon.* Zorn T. 205. Colitur haec planta in Anglia inde ab anno 1570. Unc. j radicis dat extr. aquosi acris dr. jjj et spirituosi nauseosi ardentis scr. j; continet praeterea radix olei aetherei butyracei adurentis $\frac{1}{1024}$. Loco hujus radicis prostat saepius in officinis radix achilleae ptarmicae, pari acritate praeditae, et in belgicis rad. chrysanthemi frutescentis ex insulis canariensibus adportata. *Vis.* Stimulo acri et pungenti ut plurimum locali salivam proritat. *Usus* in paralysi linguae, odontalgia. *Dosis* pulv. gr. X-dr. j. *Pilulae pyrethri* R. rad. pyrethri dr. j olei menth. piper. gutt. V. conserv. cochlear. aut alius q. s. ut f. pilul. 18. D. bis de die tres. (*Oxley*). Egregie auxilium praestiterunt in paralysi. *Bolus pyrethri.* R. rad. pyrethri dr. β syrup. cort. aurant. q. s. f. bolus vesperi sumendus. *Electuarium pyrethri* R. rad. pyrethri dr. jj mell. q. s. D. omni trihorio cochlearculum. *Tinctura pyretri Oxleyi.* R. rad. pyrethri dr. X spirit. sulphurico aether. vel spirit. vin. rectificatiss. libr. j infund. per decem dies. Colat. adm. camphor. unc. j olei rorismar. unc. β tinct. Opii dr. jj. Linteum hac tinctura irrigatum in odontalgia loco affecto applicatur.

† *QUASSIA*, LIGNUM.

QUASSIA AMARA LINN. *EXCELSA* PHARMAC. BORUSS.

Arbor Indiae occidentalis.

Lignum summe amarum, albo-flavescens, leve; cortice ex albo cinereo, fragili tectum.

Ab hoc lignum RHOIS METOPII *distinguendum, cortice glabro, hinc inde maculis nigris*

obsesso; hujus ligni praeterea infusio sulphatis ferri solutione nigrescit.

Not. 237. Hoc lignum tanta amaritudine pollet, ut ejus scr. j libram unam aquae fervidae sapore impraegnet. Decoctum ex lign. quassiae dr. β et aqu. unc. Vjjj duas uncias sacchari et plus fert pro obtundenda amaritie. Nec hoc nec infusum fucatur sulphate ferri. Lignum hoc dat extr. aquosi $\frac{1}{9}$-$\frac{1}{4}$ extr. spirituosi $\frac{1}{30}$-$\frac{1}{24}$ et tam exiguam olei aetherei copiam, ut a pluribus de hujus praesentia dubitetur. Dicitur, colligi ex piterania excelsa s. ex piterania amara, proprio plantarum genere (surinamischer Bitterholzbaum) *(Bertele)*. *Vis* stomachica. Memoratu non indignum videtur, infuso quassiae muscas necari, illudque tutius quam cobaltum in cubiculis ad eas delendas distribui. *Usus* in dyspepsia, haemorrhagiis, diarrhoea. Commodissima forma liquida lignum quassiae adhibetur. *Infusum ligni quassiae* R. ligni quassiae dr. j-jV aquae ebull. libr. j diger. per horam. Col. d. pluries per diem unc. j.

† *QUERCUS*, *CORTEX.*

QUERCUS ROBUR.

Arbor in patria maxime vulgaris.

Cortex ramorum juniorum glaber, extus cinereus, intus rubescens, vel subrufus; amarus, valde adstringens.

Not. 238. *Germ.* Eiche, *belg.* Eik, *dan.* Eeg, *suec.* Ek, *angl.* Oak, *gall.* Chêne, *ital.* Quercia, *hisp.* Robel, *lusit.* Roble, *polon.* Dab, *ross.* ДУБЪ. *Icon.* Zorn T. 518. Rami tenelli corticem resinosiorem porrigunt. *Vis:* tonica. *Usus:* in febribus intermittentibus, febri putrida, externe in gangraena, et atonia topica. *Dosis* pulv. gr. X-XXX omni trihorio. *Decoctum cort. quercus* R. cort. quercus unc. j conc. coqu. c. aqu. font. libr. jj. Colat. libr. j d. omni trihorio vasculum unum. Nucleus glandum, sapore amaro et austero, tostus dein

cum aqua coctus, in obstructione glandularum et atrophia interdum utilitatem praestitit. *Infusum glandum tostar.* R. gland. tost. unc. β infund. aqu. fervid. unc. Vj-Vjjj. Gratioris saporis causa dr. jj coffeae tostae aut dr. j chocolatae addi possunt. Potetur una die.

† *RESINA COMMUNIS.*

PINUS SYLVESTRIS.

Arbor frequentissima in sylvis borealibus, nobis culta.

Succus ex arborum trunco sponte stillans, aut arte elicitus, induratus et a sorde liberatus, aurantiacus, RESINAM COMMUNEM *offert; cum aqua coctus et per saccum cannabinum pressus, pro vario colore* RESINAM ALBAM, *aut* FLAVAM *sistit; sine aqua autem liquatus, donec pelluceat, ac colorem rubro-flavum contraxerit, odoremque terebinthinaceum perdiderit,* COLOPHONIUM *seu* COLOPHONIA *vocatur.*

Not. 239. *Germ.* Gemeines Harz, *belg.* gemeene Harst, *angl.* Resin, *gall.* Resine. Differt a terebinthina minori copia olei aetherei. Admiscetur emplastris et unguentis, atque constituit una cum cera flava suffimentum, in phthisi pituitosa aliquoties utile observatum. *Ceratum resinae pini Ph. Boruss.* (Ceratum citrinum) R. cerae fl. libr. jj resin. pini libr. j sevi ovilli, Terebinth. ana libr. β f. cerat. Vid. not. 118.

RESINA LUTEA NOVI BELGII.

Arboris ignotae species.

Succus resinosus, quem arbor fundit, ex terra

effoditur sub trunco; gummi guttae primo adspectu refert, sed manus non inquinat.

Not. 240. Experimenta facta sunt Londini cum hac resina in profluviis alvinis, nec frustra. Penitus fere spiritu vini solvitur. Dicitur quoque *resina acaroides.* Cum similia remedia non desint, hujus vix indigemus.

RESINA PINI.

PINUS ABIES.

Arbor in sylvis Europae borealis et Asiae admodum frequens, nobis culta.

Resina sponte stillans ex arboris trunco, sordibus privata et inspissata, massam sistit coloris aurantiaci, intus obscuriorem, margine diaphano, odoris ferme ut Colophonii.

Not. 241. Paulo impurior resina communi; in genere vero una altera virtute vix praevalet.

† *RHABARBARUM, RHEUM,* RADIX.

RHEI SPECIES DUBIA.

Planta perennis Chinensis.

Rhei Indici, quod dicitur, segmenta magna, extus, resecto cortice, ex luteo aut croceo rubentia, intus nucis moschati instar variegata. Haec ex occidentalibus Chinae regionibus afferuntur.

Quae ex Russia advehuntur, frusta sunt oblonga, subteretia, vel subplana, diametri latioris, foramine pertusa. — Utraque salivam flavedine tingentia, sapore et odore spe-

cifico, nauseosa. Rejiciantur segmenta levia, pallidiora, cariosa.

Not. 242. *Germ. belg. dan. & suec.* Rhabarber, *angl.* Rhubarb, *gall.* Rhubarbe, *ital.* Rabarbaro, *hisp. & lusit.* Ruibarbo, *ross.* ЯЕВЕНЬ. *Icon.* rhei palmati Zorn T. 255 rhei undulati Zorn T. 418. Juxta *Pallasii* sententiam, rheum officinale ex tribus speciebus colligitur, ex rheo palmato, undulato et compacto, contra quam quidem dubia movit pharmacopoeus ruthenus, qui patriam plantae nuperrime visitavit. Radix rhei tartarici erogat circiter extr. aquos. pr. dr. jjjβ et extr. spirituosi secundi scr. j extr. spirituosi primi autem dr. jjβ et extr. aquosi secundi dr. j. Continet radix pauxillum oxalatis calcariae. Odorae ejus particulae non parum adjuvant vim, qua ventrem laxat. Sat cito aufugit odor in pulverato, citissime tostione et coctione. Infusum rhei sulphate ferri nigrescit. *Vis.* Alvum laxat sub incalescentia et tormine, lotium pellit et rubefacit, faecesque alvinas eodem tingit colore. *Usus.* Laudes, quas in dysenteria obtinuit, a recentioribus jure limitantur. Diarrhoeas parva dosi sistit, ejectis, si adsint, cruditatibus. Hydropicis prodest, et aegris, qui hypochondriaco malo vexantur, et obstipatione simul alvina. *Dosis* pulv. scr. j-dr. j. Loco pulveris datur in infuso drachma sesquialtera et extracti parum efficacis dr. j. Cinnamomum rheo additum optime corrigit saporem nauseosum. *Rhabarbarum torrefactum Ph. L.* (1762) ad adstringentia debet referri. Vid. not. 483 et 484. — Multam operam navarunt Europaei in variis rhei speciebus excolendis, attamen radix hucusque a nostro solo impetrata, asiatica tenuior est, minus efficax rugisque obsessa. Praeprimis rheum compactum, optime autem rheum hybridum transmigrationi assuescit, atque utriusque radix plurimam similitudinem retinet cum peregrina.

RHODIUM, LIGNUM.

GENISTA CANARIENSIS.

Arbor Hispaniae et insularum Canariensium.

Radix lignosa, nodosa, incurva, dura, crassa, extus albida, interne luteo-rufescens, odoris rosei, saporis subamari, resinosi; quo gravius lignum, eo praestantius.

Not. 243. Colligitur lignum rhodium ex convolvulo florido et convolvulo scopario. Quod ex priori convolvuli specie habetur, est melioris notae. *(Broussonet).* Continet hoc lignum olei aetherei pergrati $\frac{1}{50}$-$\frac{1}{32}$, sed nulla hucusque commendatur peculiari in morbis sanandis efficacia. Oleum rhodii ligni aeth. unguentariis usitatissimum.

RIBES NIGRUM, BACCAE RECENTES.

RIBES NIGRUM.

Frutex in vallibus et ad rivulos sponte nascens, in hortis cultus.

Baccae nigrae, globosae, magnitudinis pisi et ultra, umbilicatae, nitentes, scatentes succo obscure sanguineo, odoris minus grati, mucidi, saporis subdulcis, plerisque ingrati.

Not. 244. *Germ.* Schwarze Johannisbeere, Gichtbeere, *belg.* zwarte aalbezie, *dan.* Solbär, *suec.* svarta vinbär, *angl.* Squinancy-berries, *gall.* Groseille noir, *ital.* Ribes nero, *hisp.* Ribes negro, *lusit.* Groselheira preta, *ross.* СМОРОДИНА ЧЕРНАЯ. *Icon.* Zorn T. 305. De Roobe ex succo baccarum ribesii nigri, quod maxime aestimatur, vid. not. 466.

RIBES RUBRUM, BACCAE RECENTES.

RIBES RUBRUM.

Frutex in dumetis, sylvis aliisque patriae locis sponte nascens, in hortis frequenter colitur.

Baccae refrigerantes, acido-dulces, globosae,

pisum aequantes, umbilicatae, succosae, grate rubrae; cultura grandescunt, stirps fera autem baccis acidioribus commendanda.

Not. 245. *Germ.* Rothe Johannisbeere, *belg.* rothe aalbezie, *dan.* Johannisbär, *suec.* Vinbär, *angl.* Red currants, *gall.* Groseille rouge, *ital.* Ribes rosso, *hisp.* Ribes rojo, *lusit.* Groselheira vermelha, *polon.* Porzeczki, *ross.* СМОРОДИНА КРАСНАЯ. *Icon.* Zorn T. 78. Vid. not. 467.

† *RICINUS VULGARIS*, *seu CATAPUTIA MAJOR*, *semen*, *oleum*.

RICINUS COMMUNIS.

Planta annua in insulis Indiae occidentalis, in America australi, India orientali, Africa et Europa calidiori.

Semina ovata, oleosa, magnitudine phaseoli minoris, inclusa cortice tenui, fragili, cinereo et nigro colore variegato, lucido.

Oleum ex nucleis decorticatis expressum, pallide luteum, crassum, viscosum, subacre.

Not 246. *Germ.* Wunderbaum, *belg.* Wonderboom, *dan.* Undertrae, *suec.* Underträd, *angl.* the common palma Christi, *gall.* le ricin ordinaire, *ital. hisp. & lusit.* Ricino. *Icon.* Zorn T. 131. Libr. XVj medicin. semin ricini excorticatorum erogarunt olei libr. jV. Particulis oleosis inhaeret acritas, etiam tum, cum semina a cuticula liberantur, antequam prelo committuntur. *Vis* laxans, anthelmintica. *Usus:* in alvi obstructione praecipuus. Moneamus autem, oleosa in obstipatione alvina, quam hernia incarcerata efficit, vomitus et nauseam plerumque promovere, sicuti laxantibus augentur, a plurimis saepius per se datis aut cum oleis mixtis. *Dosis* unc. ß-unc. jj, infantibus dr. j-unc. ß. Guttulae

quaedam spiritus vini oleo ricini adstillatae, nauseam ab eo excitatam diminuunt.

ROSA PALLIDA, FLORUM NONDUM PLENE APERTORUM PETALA RECENTIA ET SICCA.

ROSA CENTIFOLIA.

Frutex in hortis Nordvicensibus frequentissimus. Petala pallide rubra, odoris gratissimi, saporis subdulcis, leniter adstringentis.

Not. 247. *Germ.* Die Centifolienrose, *belg.* Damask Rozen, *angl.* the hundred-leaved rose, *gall.* Rose à cent feuilles, rose pâle, *ross.* РОЗА. *Icon.* Zorn T. 600. Ad seriem rosarum cum germinibus ovatis ambae rosae in Ph. bat. officinales pertinent. Caulis centifoliae hispido-aculeatus est, pedunculi autem sunt inermes. An rosa provincialis rubrior (rose de province) centifoliae varietas sit, aut burgundicae, nondum satis elucet. Odor rosarum pendet ab oleo aethereo, de quo continent florum libr. 100 drachmam unam. Infusum aquosum fl. rosar. sulphate ferri nigrescit. *Vis* analeptica, hystericis autem offensa, leniter laxans, simulque adstringens. *Usus.* Variis praeparatis conficiendis praesertim inserviunt.

† *ROSA RUBRA, FLORUM NONDUM APERTORUM PETALA RECENTIA ET SICCA.*

ROSA GALLICA.

Frutex Galliae meridionalis in hortis Nordvicensibus creberrimus.

Petala ex fusco-rubentia, adstringentia, subamara.

Not. 248. *Germ.* Essigrose, *belg.* Fransche rozen, *angl.* the red rose, *gall.* Rose rouge. *Icon.* Blackwell T. 82. Caulis et petioli rosar. gallicarum sunt hispido-

aculeati. In his odorem minus fragrantem spargunt quam in pallidis flores, qui colliguntur ante expansionem, abjecto calice, unde germanis *Knopfrosen* dicuntur. Intrant praeparata ex rosis, quorum adstrictio potius in desideriis est, quam odoris suavitas, ut mel et conserva rosarum.

ROSMARINUS, SPICAE FLORENTES.

ROSMARINUS OFFICINALIS.

Frutex Europae meridionalis, cultus in hortis medicis.

Herba aromatica, acris, foliis lineari-lanceolatis, marginibus reflexis, subtus incanis, floribus ringentibus, dilute coeruleis.

Not. 249. *Germ.* Rosmarin, *belg.* Rosmaryn, *dan. & suec.* Rosmarin, *angl.* Rosemary, *gall.* Romarin, *ital.* Rosmarino, *hisp.* Romero, *lusit.* Rosmaninho. *Icon.* Zorn T. 318. Herbae rorismarini libr. j continet olei aetherei dr. j et extr. aquosi amari unc. jjj. In summitatibus plantae latet plurima efficacia. *Vis* nervina, diaphoretica. *Usus.* Una cum aliis herbis aromatis sacculis includitur, qui externe sicci applicantur, aut speciebus pro fomento admiscetur. Vid. not. 510.

† *RUBIA TINCTORUM*, RADIX.

RUBIA TINCTORUM.

Planta perennis in Europa meridionali, nostratibus copiose culta.

Radix tenuis, oblonga, teres, fibrillosa, rubicunda, adstringens, subamara; quo rubicundior, eo praestantior.

Not. 250. *Germ.* Färberröthe, *belg. dan. et suec.* Krap, *angl.* Red-Matter, *gall.* Garance, *ital.* Robbia, *hisp.* Granza, *lusit.* Grança, *polon.* Marzana, *ross.*

MAPHOHA. *Icon.* Zoru T. 331. Dat rubia tinctorum extr. aquosi $\frac{1}{2}$. extr. spirituosi $\frac{1}{8}$. *Vis.* Copiose et diu corpori animali ingesta ossa tinguntur rubore, et lotium, quod post ejus usum abundantius emitti consuevit, similiter rubet. *Usus.* Laudant alii rubiam hanc in rachitide, alii eam in hoc morbo condemnant, opinione ducti, ossa potius emolliri rubiae administratione quam consolidari. Itaque non superfluum esse puto, pluribus periculis remedii vim, quam in ossa exercet, exactius explorare. *Decoctum rub. tinct. Levreti* R. rad. rub. tinct. siccat. unc. β vel recent. unc. j, tart. solubil. dr. jj coqu. c. aqu. font. unc. 64 leni igne per horam unam colat. adm. mell. sinceri unc. jj. D. infantibus per diem unc. Vjjj. Medici prisciores efferunt decocta hujus radicis in sanando ictero. *Decoctum rad. rub. tinct. Sydenhami contra icterum* R. rad. rub. tinct. — curcumae ana unc. j chelidonii major. cum toto summitat. centaur. minor. ana manip. j coqu. c. aqu. font. vin. rhenan. ana libr. jj colat. adm. syrup. rad. V aperient. unc. jj. Dabat Hippocrates Anglicanus aegris suis in ictero, qui aegre discedebat, calide mane et sero libr. dimid. hujus apozematis, usque dum convaluerint. *Decoctum rub. tinct. Ph. Ed.* (1758) R. rub. tinct. — chelid. maj. — curcum. ana unc. j aqu. font. libr. jjj. coqu.; colat. libr. jj refrigeratae adm. succ. millepedum ducent. Vix dubitari potest, hoc posterius decoctum ad mentem Sydenhamii compositum esse, sed dolere nos oportet, vim radicis rub. tinct. hic non satis patere, quoniam cum aliis remediis simul est conjuncta.

RUBUS IDAEUS, FRUCTUS RECENS.

RUBUS IDAEUS.

Frutex in hortis copiose cultus.

Baccae subrotundae, ex multis acinis subrotundis compositae, rubentes, succulentae, subacidulae.

Not. 251. *Germ.* Himbeere, *belg.* Framboizen, *dan.* Hindbär, *suec.* Hinnbär, *angl.* Raspberry, *gall.* Fram-

boise, *ital.* Rovo ideo, *hisp.* Zarza idea, *lusit.* Amoreira frambeeza, *polon.* Maling, *ross.* МАЛИНЬКЪ. *Icon.* Zorn T. 472. *Vis* analeptica. *Usus.* Ex baccis rubi idaei quaedam praeparata fiunt, quae grati saporis causa in usum ditiorum potionibus addi solent. Vid. not. 461.

† *RUTA*, *HERBA.*

RUTA GRAVEOLENS.

Fruticulus in Helvetia sponte nascens, cultus in hortis Nordvicensibus.

Herba subaromatica, amaro-acris, foliis decompositis, foliolis cuneiformibus, ex viridi subcoerulescentibus.

Not. 252. *Germ.* Raute, *belg.* Ruite, *dan.* Rude, *suec.* Ruta, *angl.* the common rue, *gall.* Rue, *ital.* Ruta, *hisp. & lusit.* Ruda, *ross.* РУДА. *Icon.* Zorn T. 163. Herba rutae dabat olei aetherei $\frac{1}{100}$. Planta sponte crescens acrior est culta. *Vis* nervina, antihysterica. Succus recens cutim paululum rubefacit. *Usus.* Hodie externe praesertim flaccidam gingivam ruta corroborare student. Colluitur os bis et ter per diem cum decocto tepido ex herba rutae et scordii. Vapores simplicis decocti oculis infundibulo inverso adducti caliginem eorum discutere dicuntur. Epicarpium, ex summitatibus rutae et seminibus sinapis compositum, febris intermittentis paroxysmum pluries suppressit.

† *SABADILLA*, *SEMEN.*

VERATRUM SABADILLA RETZII.

Planta perennis Mexicana.

Semina oblonga, acuta, uno latere subplana, altero convexa, nitida, quam maxime pulla, acerrima, ingrate amara, capsula membranacea fusca recondita.

Not. 253. *Germ.* Mexikanischer Läusesaamen, *gall.* poudre de capuzin. Infusum sem. sabadillae aquosum et spirituosum aeque acre et causticum fit. Educitur extr. aquos. pr. fere octava, et spirituosi circiter quarta pars. Pulvis seminum lapsu temporis redditur minus efficax. *Vis.* Dosis magna producit ardorem ventriculi et vomituritionem. Externe cutim irritat, et infantibus tenellis, copiose particulis sabadillae resorptis, damnum inferre potest. Vermes intestinales delet, nec minus pediculos et cimices. *Usus.* Taeniam duplici in casu expulit, dato per quatuordecim dies bolo ex drachma dimidia, atque interjecto quolibet quinto die purgante drastico *(Seeliger)*. Idem accidit infanti sesquienni, post usum electuarii ex sem. sabadill. scr. j et syrupi rhei unc. jiß, bis de die cochlearculo propinato. *Schmuckerus* dedit adultis matutino tempore quovis die dr. ß pulveris, cum eadem quantitate elaeosacchari foeniculi, et superbibendos curavit quosdam cyathos infusi flor. chamaemeli. Ardor ventriculi mellis connubio in forma boli diminuitur. *Clysma sem. sabadillae* R. sem. sabadillae dr jj coqu. c. aqu. font. unc. X colat. unc. Vjj misc. cum eodem lactis pondere. Laudatur in eliminandis ascaridibus. Contra pediculos pulvis seminis axungia exceptum adhibetur, vel capillis antea oleo illitis adspergitur. Quidam rigarunt in nosocomiis castrensibus lectos, vestimenta et pavimenta decocto ex sabadillae semine et tabaci foliis parato. Rimae et fissurae lectorum atque cujusvis suppellectilis, in quibus cimices nidulantur, vel pulvere sabadillae conspergantur, vel lotione depurantur ex sem. sabadillae unc. jj cum acet. vini libr. j per biduum digestis *(Willemet)*.

† *SACCHARUM CANDUM* ET *ALBUM. SACCHARUM OFFICINARUM.*

In utraque India in locis udis sponte nascens, et copiose culta.

Saccharum candum veras sistit sacchari crystallos, albas, flavas, aut pullas, pro varia

sacchari puritate; albae, pellucidae adhibendae ad usum pharmaceuticum.

Saccharum album ex congerie crystallorum minutissimarum constans, paratur ex saccharo crudo in officinis propriis, coctione cum aqua calcis, vel in connubio cum sanguine bovillo, quod reprobatur, vel albumine ovorum, sub continua agitatione et despumatione; filtratione denuo per pannum laneum, et post novam coctionem et refrigerationem in modulos argillaceos transmissione.

Not. 254. *Germ.* Zucker, *belg.* Suiker, *dan.* Sukker, *suec.* Socker, *angl.* Sugar, *gall.* Sucre, *ital.* Zucchero, *hisp.* Axucar, *lusit.* Assucar, *ross.* САХАРЪ. *Icon.* sacchari officin. Rumph. herb. amb. V. f. 74. Libr. Vj civiles succi ex arundine sacchari fera in India orient. expressi emittunt libr. j sacchari. Aqua aequalem ponderis sui partem ex saccharo albo solvit, spiritus vini coctus quartam, qui autem, dum refrigescit, multum ex soluto rursus deponit. Saccharum calore fusum inflatur sub odore grato et peculiari *(Caramel)*. Sacchar. albi unc. j destillatione dedit acidi mucilaginosi empyreumatici gr. 270, cum aliquot guttulis olei empyreumatici, gasis hydrogenii carbonati mens. unc. 119, gasis acidi carbonici mens. unc. 41, *(Cruikshank)*. Constat igitur saccharum ex oxygenio, carbonio et hydrogenio, scilicet ex oxygenii p. 74, 5. carbonii p. 17, 5. hydrogenii p. 8 *(Guyton)*. Mutatur desoxydatione in mucilaginem, sicut mucilago, quomodo in malto observamus, oxydatione in saccharum transformatur. *Vis.* Organismis inferioris ordinis, ut in ranis aliisque animalibus videmus, saccharum noxam infert. Generi humano optimum nutrimentum et quidem concentratissimum, nec corruptelae subjectum temporis lapsu et aëris temperie. Tuetur vegetabilia contra putorem, ideoque

conditis et conservis optime inservit. Diluit praeterea leniterque excitat, et seminium verminosum ab intestinis retinet *(Rush)*. Potissimum gelatinosam sanguinis partem attenuare dicitur *(Rezia & Stark Anglicanus)*. Adsunt exempla, quod largior et diuturnus usus (Libr. j quotidie) ne minimam quidem noxam produxit. *Usus.* Laudatur in scorbuto. Solutio unc. j sacchari in aqu. frigid. libr. j mane et vesperi sorbillata cito sedavit colicam pituitoso-nervosam. Suavissimum praebet additamentum saccharum in componendis pluribus medicaminibus, quorum unionem saepe promovet, licet praeparata, quae soli saccharo efficaciam debent, ut saccharum hordeatum, penidium et similia, merito hodie potius cupediis quam remediis adnumerentur. Carbonibus candentibus inspersum aërem corrigit. Fissurae papillarum in mammis saccharo cando tantum eis insperso non raro concrescunt. Conducit quoque, eas saccharo humectare, quod spiritu vini est solutum. Disparuit macula in sinistro oculo post variolas superstes sacchari ope. *Substituta sacchari.* Inter substituta sacchari eminet illud, quod ex succo aceris saccharini in America septemtrionali praecipitatur. Libr. 40 hujus succi, qui arboribus viginti et duo annorum terebra perforatis educitur, dant libr. j sacchari, succo calcis, albuminis et lactis ope clarificato *(Thomson)*. Quilibet Germanus gaudebit, cura principis ab Auersperg, ut experimenta *Bährингeri* praefecti saltus Auerspergensis demonstrant, mox in Bohemia copiose saccharum erutum iri ex hoc succo, quem sylvae acere saccharino consitae suppeditabunt. *(Salzb. med. ch. Z.* 1810. *nro.* 74). Uberior sacchari proventus adhuc exspectari potest ex syrupo uvarum; centum enim librae uvarum Arragonensium, quae maxime scatent principio saccharino, dabant sacchari crudi (Moscowade) libr. 27-30, quarum singula stat duobus grossis (*Proust* in Annal. de chimie LVII. p. 131). Ex libris centum radicis betae ciclae altissimae Jacqu. ex semine pronatae, quo *Achardius* uti consuevit, obtinuit *Gesnerus*, pharmacopola hujus urbis aestumatissimus, sacchari crudi libr. jjj, atque ex libr. 19½ prun. sine acinis mediocris conditionis sac-

chari libr. jj syrup. libr. Vj et spirit. vin. communis mens. jj. *Heideckerus*, pharmaceuta Brunsvicensis.

SAGAPENUM, GUMMI-RESINA.

AN FERULAE SPECIES?

Planta umbellata orientalis.

Gummi-resina tenax, fusca, granis diversae magnitudinis pallidioribus intermixta, subamara, acris, urens, alliacea.

Not. 255. Sagapenum destillatione emittit oleum aethereum odore alliaceo. Unc. j dedit extr. resinos. pr. dr. V cum gr. Vj extr. gumm. pr. dr. jj cum gr. 50. Compensari potest defectus hujus gummi-resinae in officinis asa foetida.

SAGU VEL SAGO.

SAGUS, SEU PALMA FARINARIA RUMPHII, ALIAEQUE?

Arbor in insulis Moluccanis.

Grana parva, subrotunda, quodammodo angulata, alba, subrubra, aut pulla, in aqua, vino et aceto solubilia, amylacea, ex substantia medullari Palmarum, recta encheiresi parata. Praestantiora sunt alba.

Not. 256. Grana sagu versus annum 1727 in Anglia, et versus annum 1740 in Gallia et Germania innotuerunt. Aqua frigida parum ex iis solvit. Decoctum largiter redditur mucilaginis particeps. *Vis* nutriens, involvens. Dicunt, infusa granorum sagu lentius in acorem degenerare, quam cerealia. *Usus:* culinaris, in tabe, et qualibet succi nutritii penuria. Fiunt infusa sive juscula ex sagu cum vino, jure carneo, lacte et aqua. Infantibus tenellis cibum praebet accommodatissimum aqua decoctum, cum tantillo lactis.

† *SALEP*, RADIX.

ORCHIS MASCULA ET ALIAE SPECIES.

In variis Europae et Asiae regionibus sponte nascentes.

Radices ex Persia allatae, longa serie filo albo transactae, diversae magnitudinis, amygdalam quandoque superantes, stramineae, semipellucidae, durae cornu instar, ponderosae, perquam amylaceae, in pulverem facile terendae. Rejiciantur pullae, cariosae, leves.

Bunii Bulbocastani radices quandoque hisce substituuntur; discernendae autem et pondere leviori, et substantia minus compacta, dura.

Not. 257. *Ross.* КОКУШКИНЫ СЛЕЗЫ. *Icon.* Orchid. mascul. vid. in Curt. Fl. Londin. Praeter hanc orchidis speciem aliae indigenae ut Orch. morio, bifolia et pyramydalis loco salepis persici usui inservire possunt. Cuticula detracta, paululum in aqua coquantur, atque postea, filo connexae, celeriter in furno siccentur, ut odor hircinus avolet. Salep venale amylo plane constare videtur. Solvunt partes 48 aquae coctionis adminiculo salepis partem unam, ita ut decoctum obtineatur mucilaginosum. Prodit mucilago nutriens et digestu facilis, dr. j radicis salepis cum aqua part. 30 cocta, et copia fluidi fervore ad unc. Vjjj reducta. *Vis* nutriens, involvens. *Usus* in tabe, in viribus, quae longo morbo consumtae sunt, restituendis, in diarrhoea et dysenteria. Pulvis salepis, aqua vel lacte calido subactus, ut pulmentum cochleatim sumi potest. Decoctum autem gratioris saporis causa a plurimis praefertur. *Pulvis salepis compositus* R. rad. salepis unc. jß gran. sago unc. j g. tragacanth. dr. j m. f. pulv. Fiat mane et ve-

speri ex cochlearculis quibusdam pulveris cum aqua et lacte puls pro aegris, qui tussi sicca in phthisi pulmonali turbantur. *(Fritze med. Annalen).*

† *SALIX ALBA* ET *LAUREA*, RAMORUM BIENNIUM ET TRIENNIUM CORTEX.

SALIX ALBA ET *PENTANDRA.*

PENTANDRA in collibus maritimis prope Harlemum aliisque sponte nascens.

ALBA ad fossas frequens; fere ubique culta.

Cortex SALICIS ALBAE *tenuis, flexilis, fuscus, adstringens, amarus.*

SALICIS PENTANDRAE cortex principio balsamico reliquis salicis speciebus antecellit.

Not. 258. *Germ.* Weide, *belg.* Wilg, *dan.* Piil, *suec.* Pihl, *angl.* Willow, *gall.* Saule, *ital.* Salice, *hisp.* Sauce, *lusit.* Salgueiro, *polon.* Wierzba, *ross.* ΒΕΠΛΑ, ΒΕΡΙΘΑ. *Icon.* vid. Hoffmanni histor. salic. Antequam plures cortices generis salicis a medicis in usum vertebantur, salix alba sola in pharmacopoeis occurrebat. Cortices salicis laureae mensibus aprilis, maji, et junii colligantur, decembri enim et januario non possunt separari. Siccentur loco umbroso, ne odore balsamico priventur. Unc. j dat extr. resinosi dr. jj et gr. 40, extr. gummosi dr. j et gr. 20 *(Gleditsch).* Aqua ex iis destillatur, aquae persicae non absimilis. *Vis* tonica. *Usus* in febribus intermittentibus aliisque, quae simili corroboramento indigent. *Dosis* pulv. scr. j-dr. β. *Decoctum cort. salic. laureae.* R. cort. salic. laureae unc. j coqu. c. aqu. font. unc. XVj. Colat. unc. Vjjj D. vasculatim.

† *SALVIA*, FOLIA.

SALVIA OFFICINALIS.

Fruticulus in Europa australi sponte nascens, in hortis cultus.

Folia aromatica, calida, amaricantia, subadstringentia, lanceolato-ovata, integra, crenulata.

Not. 259. *Germ.* Salbey, *belg.* Salie, *dan.* Salvie, *suec.* Salvia, *angl.* the sage, *gall.* Sauge, *ital. & hisp.* Salvia, *lusit.* Salva, *polon.* Szalwia, *ross.* ШАЛФЕИ. *Icon.* Zorn T. 165. Libr. j Salviae officinal. continet olei aetherei dr. ß et unc. j extr. gummosi dr. jjß et resinosi gr. 70. Amaritudo inest extracto resinoso, atque oleo pauxillum camphorae. *Vis* nervina. *Usus.* Nocturnos sudores, qui febres acutas sequuntur, et phthisin pulmonalem comitantur, compescere, negari nequit. Attamen non sedat eos specifica virtute, sed eo, quod corpus in genere corroborat. Infunditur herba salviae vel vino vel aqua, vel utroque fluido. *Infusum herbae salviae* R. herb. salv. unc. β, aquae fervidae s. q. diger. per hor. dimid. colat. unc. Vj adm. acid. sulphuric. dilut. dr. j. D. omni bihorio vasculum dimidium. *Infusum salviae semivinosum* R. herb. salv. unc. j aqu. fervid. libr. j diger. per hor. dimid. colat. refrigefact. adm. vin. gallic. rubr. libr. ß. Dosis: omni bihorio vascul. dimid. Vulgus et plures medici amant gargarismata ex salvia in anginis catarrhalibus. Saepius autem tam gargarizatione ipsa quam infuso salviae, quod calorem in partibus inflammatis auget, morbus exasperatur, meraque ablutio lymphae exsudantis cum aqua tepida praestat.

† *SAMBUCUS*, CORTEX INTERIOR SIVE MEDIUS, FLORES, BACCAE RECENTES.

SAMBUCUS NIGRA.

Arbor in multis locis patriae sponte nascens, frequenter culta.

Cortex viridis, primo subdulcis, dein acris, persistens, subamarus.

Inflorescentia cymosa, floribus albis, odoris fortis, subnarcotici.

Baccae ovales, nigrae, umbilico stellato, succosae, trispermae, succo rubicundo, acidulo dulci.

Not. 260. *Germ.* Hollunder, Flieder, *belg.* Vlier, *dan.* Hyld, *suec.* Hyll, *angl.* Elder, *gall.* Sureau, *ital.* Sambuco, *hisp.* Sauco, *lusit.* Sabugueiro, *polon.* Bez, *ross.* ВУЗИНА (Busina). *Icon.* Zorn T. 334. 1. Cortex sambuci vires suas ad aquam et spiritum vini transmittit. *Vis.* Drastice vomitum ciet et alvum purgat. *Dosis* succi dr. j-unc. ß. *Decoctum cort. Sambuci* R. cort. sambuc manip. jjj coqu: c aqu. font. et lact. ana libr. j col. libr. j det. mane dimidia pars, altera vesperi in hydrope (*Boerhaave*). 2. Flores. Aqua destillati in retortam transferunt paululum olei butyracei *(Juch)*. In cribris et super linteum suspensum siccari debent, ne nigredine nauseosi fiant, et mucore corrupti videantur. *Vis:* sudorifera. Ut thea usitatissimi. 3. Baccae. Dant succum sat notum acidulo-dulcem et vi diaphoretica praeditum. Vid. not. 468. Siccatae baccae *grana actes* dicuntur.

SANDARACA, RESINA.

JUNIPERUS COMMUNIS ET JUNIPERUS OXYCEDRUS.

Arbor in oris Africae mediterraneis frequens; prior nobis indigena. Sandaraca autem aliunde petitur.

Glebulae resinosae, semipellucidae, vel citrinae, vel albidae, igni inspersae suaveolentes.

Not. 261. *Germ.* Wachholderharz, *belg.* Geneverharst, *angl.* gum Juniper, *gall.* gomme de genevre. *Icon.* juniper. oxycedr. Duhamel II. t. 128. *Schuboeus*

narrat, sandaracam ex thuja quadam colligi. (*Schrader's J. f. d.* Botanik I. p. 220). Solvitur spiritu vini, atque mastichae simillima. *Usus:* externe ut discutiens.

SANTALUM CITRINUM, LIGNUM.

SANTALUM ALBUM.

Arbor Indiae orientalis, insulae praecipue Timor.

Lignum ALBUM, pallidum, citreo-album, in usum medicum non recipiendum.

Lignum CITRINUM, flavescens, vel pallide rufescens, odoris fragrantis, ad rosaceum vergentis, saporis subamari.

Not. 262. *Germ.* Weifses Sandelholz, *belg.* Zandelhout, *dan. & suec.* Sandel, *angl.* white Saunders, *gall.* Santal, *ital. & lusit.* Sandalo. *Icon.* Roxb. corom. I. p. 2. t. 2. Emittit hoc lignum oleum aethereum ambrosiacum, et extr. resinosi subacris, atque balsamici $\frac{1}{6}$. Ejus loco interdum lignum ex plumeria alba divenditur. *Vis* diaphoretica. *Usus:* in morbis cutaneis. *Decoctum ligni santali citr.* R. rasur. lign. santali citr. unc. ß coqu. c. aqu. font. libr. jj. colat. libr. j d. vasculatim.

SANTALUM RUBRUM, LIGNUM.

PTEROCARPUS SANTALINUS.

Arbor altissima in montibus Ceylonicis et Indiae.

Ligni frusta, secundum longitudinem scissa, compacta, rubra, extus fere nigricantia, interne laetius rubra; scissa odoris grati; sapor blande adstringens. Quo floridius lignum, eo melius.

Not. 263. *Germ.* Rothes Sandelholz, *belg.* root Zandel-hout, *angl.* red Saunders, *gall.* Santal rouge, *Vis* subadstringens. Nunquam in censu medicaminum pharmaceutico desiderabitur.

† *SANTONICUM*, *semen.*

ARTEMISIA CONTRA et *ARTEMISIA JUDAÏCA.*

Fruticuli orientales, in Persia, Syria et Palaestina frequentes.

Semina exigua, oblonga, ex flavo-viridia, amaro-acria; a seminibus Tanaceti distinguenda magnitudine, odore et stipitibus intermixtis.

Not. 264. *Germ.* Wurmsaamen, *belg.* Wormzaad, *angl.* Wormseed, *gall.* Semence contra, *ross.* ЦЬІІІ-ВАРНОЕ СѢМЯ. *Icon.* artem. judaic. Zorn T. 367. Dicitur quoque sem. cinae. Spiritus vini partes odoras extrahit, aqua amaras. *Vis* anthelmintica. *Dosis* pulv. pro infantibus scr. ß-scr. j pro adultis dr. j-dr. jj. *Infusum sem. santonici* R. sem. santon. dr. jj aqu. commun. fervid. unc. jjj. Infantibus minus nauseosum pulvere ipsoque semine condito. Dosis ter de die cochl. j.

† *SAPO ALICANTINUS. SAPO HISPANICUS ALBUS.*

SAPO ALBUS.

Constat ex soda et oleo olivarum in massam albidam, duriusculam, aqua et vini spiritu solubilem, unitis. Sit albus, non rancidus, neque pulverulentus, aut deliquescens. Ne-

gligatur ergo variegatus ille, qui vulgo Hispanicus dicitur.

Not. 265. *Germ.* Weifse spanische Seife, *belg.* spaansche Zeep, *angl.* spanish Soap, *gall.* Savon d'Espagne, *ross.* ГИШПАНСКОЕ МЫЛО. Unc. jj sapon. alicantin. continebant olei scr. 34 natr. scr. 8 et aquae scr. 6. Adhibetur hic sapo in hodierna praxi solummodo externe, cum minus purus sit illo, quem ipse pharmaceuta componit. Vilioris notae sapones sunt *niger*, ex adipe piscium et potassa et *viridis*, ex hac et cannabis vel lini, vel rapae oleo compositus. *Vis.* Aufert sapo alicantinus immunditiem cutis, emollit hanc, atque irritat simul. *Usus.* Admiscentur balneis sapon. alicantini unc. jj-jjj, clysmatibus dr. jj. Praefert *Latta* clysteres ex sapon. dr. j et aquae libr. ß, quos peculiari syringa usque ad libr. V injici jubet in hernia incarcerata. Loco clysmatis immittitur utiliter infantibus, qui constipatione alvina laborant, suppositorium ex sapone formatum. *Cataplasma resolvens saponatum D. Fuld.* R. micae panis siliginei unc. Vjjj sapon. venet. s. hisp. unc. j lact. vaccin. libr. j coqu. invicem ut f. cataplasma. *Linimentum saponato-camphoratum Ph. Boruss.* (Balsamum Opodeldoc) R. sapon. domestici e sevo confecti unc. jß, spirit. vin. rectificatissimi unc. Vß, aqu. unc. j camphor. dr. j in vase tecto leni calore solutis adde liquor. ammon. caustici dr. j olei rorismarini gutt. XXX — thymi gutt. XX Refrigeratam massam gelatinae similem serva. Crystalli stellas referentes in linimento hoc modo parato frequenter congelascunt, quorum formatio in balsamo opodeldoc, quod fit ex sapone cum oleo composito, atque magna ex parte in hoc evitatur, quod cito frigori exponitur, vitris, quae opodeldoc continent, aquae frigidae immersis et si spiritus vini ei admixtus pondere fuit gr. 70 alcoholometri Richteriani, atque quod summum est, si saponi nullum sevum adhaeret, a natro non alteratum. Oriuntur enim, ut videtur, hi crystalli congressu sevi superflui et ammonii. (Berl. Jahrb. f. d. Pharm. 1808. Trommsdorffs J. f. d. Pharm. XII. 2.) *Linimentum saponato-camphoratum Roloffii*

R. solut. sapon. spirituosae filtr. unc. Vj. In aqua fervida liquefactis adm. camphor. dr. j in liqu. ammon. vinos. dr. jj solut. olei rorismarini dr. jß, olei thymi vel origani cretici gr. Xjj. Serv. in vitris cylindricis. *Balsamum anodynum vulg. Bateanum Ph. Ed.* (1758) R. sapon. hisp. alb. unc. jj, opii pur. unc. ß, spirit. vin. rectificati unc. XVj diger. in balneo arenae per triduum et colaturae adm. camphor. dr. Vj olei dest. rorismarini dr. j. Secundum recentiores editiones major opii et camph. quantitas additur. *Solutio saponis camphorata* R. sapon. hispan. q. s. solv. in aqu. fervid. unc. j adm. Tinct. camphor. unc. j. Linteo illita indurationes solvit post abscessus mammarum superstites. *Mel saponis Pharmac. Bateanae* R. sapon. commun. mell. ana unc. jV sal. tartar. unc. ß aqu. fumar. dr. jj. Cosmeticum est, inserviens apprime manibus et faciei lavandis et dealbandis. Valet etiam in dissolvendis tumoribus glandularum. *Linimentum saponis Ph. Lond.* (1788) R. sapon. unc. jjj camphor. unc. j spirit. rorismarin. libr. j. Digere saponem in spiritu rorism. donec solvatur et adde camph. *Balsamus vitae externus D. Brand. Boruss.* (1781) R. olei terebinth. sapon. venet. trit. ana libr. j kali carbonic. unc. jj. *Balsamus vitae externus Thedenii* R. sapon. venet. libr. j olei terebinth. unc. X kal. carbonic. unc. jß. Solvere consuevit *Thedenius* unc. dimid. balsami hujus in aquae commun. libr. j, atque usus est hac solutione in tumoribus artuum et glandularum dissolvendis. *Pulvis saponatus cosmeticus* R. saponis hispanici vel massiliensis bene rasi q. v. Prope fornacem siccatus, contunditur et per cribrum transmittitur. Unc. Xjj adtere pulv. carbonat. sodae unc. jß rad. iridis florent. unc. j cardamom. dr. j atque olei aether. lavendul. — — bergamottae ana gutt. 30 — — del cedro gutt. XX — cinnamom. gutt. jjj cum sacchar. unc. ß commixtas. *Pulvis saponatus mundificans alius* R. sapon. commun. siccati unc. Xjj carbonat. potassae unc. jj rad. iridis florent. unc. jjj fruct. hippocastani enucleat. vel furfuris amygdalini exacte pulverati libr. jj olei aether. lavend. — — bergamottae ana gutt. 40 — —

del cedro gutt. 30 — — caryophyll. gutt. X cum sacchar. alb. unc. β contritas. M. *Globuli saponati odoriferi* R. sapon. hispan. q. v. Dissecetur, ut fiant globuli magnitudine nucis avellanae. Coquantur saponis ejusmodi unc. Vjij carbonat. potassae unc. j c. aqu. pluviat. libr. j massam agitando, donec spuma erumpens statim post refrigerationem consolidatur. Effundatur coagulum saponaceum, ut fiant fragmenta quadrangula, globulis antea factis minora. Coquantur denuo sapon. hispan. unc. Vjjj cum aquae pluviatilis libr. j sine agitatione massae. Solutioni saponis conterendo admisce umbrae, laccae, ochrae vel smaltae pauxillum, et, lactis tepore nondum amisso, olei aether. lavend. — — bergamottae — — del cedro ana gutt. 40 mosch. gr. jj. Formentur ex glebis supra dictis et fragmentis quadrilateris globuli majores diametro arbitrario, frigido loco siccandi. Additamentum ex cinnabari vituperandum esse puto, Vid. not. 484 et 581.

† *SAPONARIA*, *RADIX*, *HERBA*.

SAPONARIA OFFICINALIS.

Planta perennis, in hortis Nordvicensibus aliisque culta.

Radix subdulcis, subamara, subacris, fibrosa, rubens. Herba submucilaginosa, saponacea, foliis ovato-lanceolatis.

Not. 266. *Germ.* Seifenkraut, *belg.* Zeepkruid, *dan.* Säbeurt, *suec.* Säpaört, *angl.* Soapwort, *gall.* Saponaire. *ital.* Saponaria, *hisp.* Jabonera, *lusit.* Saboeira, *ross.* МЫЛЬНАЯ ТРАВА. *Icon.* Zorn T. 136. Ex unc. jj radicis saponariae eductae sunt extracti aquosi dr. Xj atque dein extr. resinosi gr. X, extracti autem resin. pr. dr. V. *Vis:* diaphoretica et incidens. A priscis medicis radici sarsaparillae aequiparatur, atque ejus decoctum saepius ut ptisana propinatur. *Decoctum rad. saponariae.* R. rad. saponariae unc. jj coqu. c. aqu.

font. libr. jV colat. libr. jj una die epotetur. In balneis rad. saponariae salubérrima.

† *SARSAPARILLA*, RADIX.

SMILAX SARSAPARILLA.

Planta perennis Americana, in Mexicana et Brasiliensi regionibus frequens.

Radix longa, calamum crassa, rugosa, fusca, fatua, submucilaginosa, lenissime salsa.

Not. 267. *Germ.* Sassaparille, *belg.* Sarzaparille, *angl.* the medicinal smilax or Sarsaparilla, *gall.* Salsepareille, *ital.* Salsapariglia, *hisp.* Zarza-parilla, *lusit.* Salsaparilha. *Icon.* Zorn T. 560. Radices sarsapillae vel in fasciculis colligatis rotundis aut oblongis vel capitibus adhuc adhaerentes et laxe convolutae *(Sarsaparilla de Honturas)* nobis advehuntur. Libr. 44 dant destillatione olei aetherei dr. jV. Infusum sulphate ferri non decoloratur. Amylum album insipidum et gelatinosum sensim ex eo separatur. *Vis:* diaphoretica. *Usus* frequentissimus in lue venerea, ejusque symptomatibus inveteratis. *(Fordyce).* *Dosis* pulv. omni quadrihorio dr. ß-dr. j. *Decoctum sarsaparillae.* R. rad. sarsaparillae unc. jjj coqu. c. aqu. font. libr. Vj col. libr. jj det. vasculatim una die. *Electuarium mundificans Werlhoffii* R. pulv. rad. sarsaparillae unc. jjj, ligni guajaci unc. j, fol. senn. unc. jß, rhabarb. optimi dr. jj, cort. lign. sassafras, sem. anisi ana dr. j, mell. despum. libr. j m. ut f. artis lege electuarium. Dosis omni trihorio cochlearculum.

† *SASSAFRAS*, LIGNUM CUM CORTICE.

LAURUS SASSAFRAS.

Arbor Americae septentrionalis.

Frusta longa, subdurâ, levia, rufescentia, cortice ferrugineo, spongioso, rugoso cincta,

odoris foeniculacei, saporis subdulcis, aromatici, subacris.

Not. 268. Hoc lignum cum insigni fragrantia ardet, igni traditum. Erutae sunt ex libr. Vj olei aetherei dr. 14 (*Hoffmann*) atque ex uncia extr. gummosi primi dr. jj; extr. resinoso-gummosi dr. j. Frusta crassiora minoris pretii esse videntur quam tenuiora. *Icon.* lauri sassafras Zorn T. 196. *Vis* diaphoretica, exaestuans. Interdum lotii excretionem promovet. *Usus* in arthritide et rheumatismo chronico. *Infusum ligni sassafras* R. rasur. ligni sassafr. unc. ß aqu. fervid. libr. j diger. per horas sex. Initio usus caput gravare solet. *Elaeosaccharum sassafras* R. olei aetherei sassafr. gutt. X sacchar. alb. dr. jjj m. divid. in quinque partes aequ. D. omni quadrante horae pulvis cum decocto hordei.

SATUREJA, HERBA.

SATUREJA HORTENSIS.

Planta annua in inferiori Gallia et Italia sponte nascens, nobis culta.

Herba fragrans, aromatica, acris et calida, pedunculis bifloris.

Not. 269. *Germ.* Gartensaturei, Pfefferkraut, *belg.* Keulen, *dan.* Saer, *suec.* Kyndel, *angl.* Savory, *gall.* Sarriette, la sauce aux pauvres, *ital.* Savoreggia, *hisp.* Ajedrea, *lusit.* Segurelha, *polon.* Ozabr, *ross.* ЧАБЕРЪ. *Icon.* Zorn T. 216. Herba saturejae continet parcam quantitatem olei aetherei peracuti. Tinctura ex ea spiritu vini facta acris est, et balsamica, extr. resinosum pariter acre, gummosum autem amariusculum et adstringens. *Vis* nervina, diaphoretica. *Usus.* Infusum herbae theiforme post prandium sumtum ructus hypochondriacos consopivit.

† *SCAMMONIUM ALEPPENSE*, GUMMI-RESINA.

CONVOLVULUS SCAMMONIA.

Planta perennis orientalis, praesertim in Syria frequens.

Substantia gummeo-resinosa, cinerea, levis, friabilis, acris, fracturae splendentis; aqua si solvatur, lactea, in viride vergens; caeterum eo melior, quo aqua magis solubilis.

Not. 270. *Germ.* Scammonienwinde, *belg.* het Scammoneum, *angl.* Scammony, *gall.* la Scammonée, *ital.* Scamonea, *hisp. & lusit.* Escamonea. *Icon.* Zorn T. 214. Unc. j scammonii continet extr. aquosi dr. jjj extr. resinosi dr. jV-dr. Vj. Resinae inest virtus. *Vis:* fortiter purgans sub caloris augmento. *Usus:* in aegris tenacioribus, et morbis, qui exigunt evacuans, quo plus crescit calor, quam suffocatur. *Dosis* pulv. gr. jj-XVj. Medici praeteriti aevi varias correctiones hujus gummi-resinae more eis familiari excogitasse putabant, quae ad unam omnes sub nomine *diacrydii* veniunt. Pertinent huc *diacrydium liquiritia edulcoratum, d. rosatum et sulphuratum Ph. Wirtemb. d. cum amygdalis praeparat. Ph. dan.* (1786) atque alia oblivioni cum his tradita. *Diacrydium sulphuratum Ph. Wirtenb.* (1771) R. scammon. elect. unc. jjj. In pulverem teratur et supra chartam albam, acu perforatam tenuiter ac aequaliter expandatur, atque super cratem, cui carbo vivus sit subditus, in quem sulphuris unc. j successive injiciatur, suffimigetur, et ne liquefiat vel chartae adhaereat neque comburatur, spatula ferrea diligenter moveatur. — Triturantur scammonium cum saccharo et amygdalis, ut facilius in pulverem redigatur. Egregie quoque conteritur cum decocto liquiritiae, quod colatur, faecibus segregatis. *Pulvis cornachini* (pulv. comit. de *Warwick*, pulv. de tribus, pulv. trium diabolorum) R. diacrydii sulphurati unc. jj antimon. diaphoretici unc. jß crem.

tartar. crystallini unc. β; f. pulv. Dosis scr. j-scr. jj. Hic pulvis, tempus justo longius asservatum, mitius ingenium mutat atque drasticum fit, summam tunc cordis anxietatem, acres vomendi conatus, tandem vomitus ipsos laboriosissimos, gravissima intestinorum tormina immo dejectiones sanguineas excitans. (*Trilleri Dis. pharmaceut. univers. p.* 529).

† *SCILLA*, BULBUS.

SCILLA MARITIMA.

Planta perennis, in oris maris mediterranei frequens.

Bulbus praegrandis, ponderosus, epidermide fusco-rubente tectus; squamae albidae recentes, succo mucilaginoso peracri turgentes; siccatione acre imminuitur.

Not. 271. *Germ.* Meerzwiebel, *belg.* Zeeajuin, *dan.* Skille, *angl.* sea Onion, *gall.* Oignon marin, *ital.* Scilla, Cipolla marina, *hisp.* Escila, Cebolla albarana, *lusit.* Alvarraae, Cebola alvarraae, *ross.* МОРСКОИ ЛУКЪ. *Icon.* Zorn. T. 380. Radix scillae interdum ponderis trium librarum et quod excurrit. Illa, dum recens est, continet tantam copiam succi viscosi, ut vix colum transire possit, atque manibus tractata, pruritum excitat et sensum urentem, immo vesiculas. Infusum rad. siccatae inspissatum deponit extr. amaro-acriusculi ¾. Spiritu vini pari modo amarities et acritas evolvitur, prior autem debilior fit, addito kali, minus quidem adjecto aceto. Cum radix farina incrustata in clibano siccatur, particulae efficaces, quae minus figuntur, avolant. Itaque majori cum lucro siccescit lenissimo calore, cortice externo ablato, et taleolis interioribus transversim in tenues taleolas dissecatis (*Ph. Lond.* 1762). *Vis.* Insignior dosis non solum nauseam ciet et vomituritionem vehementissimam cum torminibus, sed producit stranguriam cum lotii sanguinolenti emissione, alvi proflu-

via, cardialgiam, convulsiones, porro inflammationem et gangraenam in primis viis. Scrupulo dimidio ingesto mors causata est *(Quarin)*. Justa dosi data primarium locum obtinet inter diuretica. *Usus* frequentissimus in hydrope. *Dosis* pulv. gr. β-jV ter de die. Caute exhibeas scillam in leucophlegmatia, quae scarlatinam insequitur, ob nimiam sensibilitatem propaginis cutis externae *(Benedict's Geschichte des Scharlachf.* p. 114). Crebro solo indusio laneo, quod pectus nutum circumdat et lumbos, et securius discutitur. Camphora vel alio aromate admixto a ventriculo melius perfertur. *Pulvis scillae Osiandri* R. tartar. pur. dr. ß rad. scill. gr. jj hb. digitalis purpur. gr. j m. D. ter de die. Haec compositio ob efficaciam saepissime sese mihi commendavit. *Pulvis scillae cum natro acetico Ph. castr. boruss.* R. natr. acetici exsiccat. elaeosacch. juniper. ana dr. jij rad. scill. siccat. gr. Vj — calami dr. β Opii pur. gr. jjj. m. divid. in 6 part. aequ. D. per diem doses tres cum infuso bacc. juniper. *Vinum scilliticum* R. rad. scill. dr. j bacc. juniperi contus. unc. j cardamom. minor. dr. β vin. gallic. alb. libr. j diger. per dies tres leni calore. D. ter de die cochl. j. Hydropicis utile, qui abusu potus spirituosi in morbum inciderunt. *Pilulae e scilla Ph. Lond.* R. rad. scill. dr. j zingib. sapon. ana dr. jjj Ammoniaci dr. jj syrup. zingiber. q. s. Dosis gr. X-XX. *Pilulae e scill. Ph. castr. boruss.* R. rad. scill. siccat. et pulv. gr. Xjj zingiberis scr. jj sapon. puriss. ammoniac. ana dr. jj f. ex spirit. vin. pilul. gr. jj lycopodio conspergendae. Dosis ter per diem nro. Xjj. Scillae dosis in his accuratius dijudicari potest, quam in formula Londinensi, earum norma. Vid. not. 476.

† *SCORDIUM*, HERBA.

TEUCRIUM SCORDIUM.

Planta perennis, in hortis medicis nostratibus culta.

Herba amara, alliacea, foliis oblongis, sessilibus, dentato-serratis.

Not. 272. *Germ.* Lachenknoblauch, *belg.* Waterbonk, *dan.* Lögsurt, *angl.* the water germander, *gall.* Germandrée d'eau, *ital. hisp & lusit.* Scordio, *polon.* Czosnkowe ziele, *ross.* ЛОШАДЬНОИ МАЬРАНЕ. *Icon.* Zorn Tab. 36. Herba scordii dat extr. aquosi amariusculi $\frac{3}{8}$, spirituosi acriusculo-amari $\frac{1}{16}$. Infusum sulphate ferri nigrescit. *Vis* stomachica, solvens, diaphoretica. *Usus* in laesa digestione, et viscerum obstructione. Infusum potissimum propinatur. Decoctum ut fomentum laudatur in gangraena.

SEDUM ACRE, HERBA RECENS.

SEDUM ACRE.

Planta perennis, passim in patria occurrit. Herba acerrima, foliis subovatis, adnato-sessilibus, gibbis, erectiusculis, alternis, cyma trifida.

Not. 273. *Germ.* Mauerpfeffer, kleines Hauslaüch, *belg.* Sherp huislook, Muurpepper, *dan.* Helleknop, *suec.* Fetknoppar, *angl.* Wallpepper, *gall.* poivre des murailles, *ital. & hisp.* Sedo acre, *lusit.* Vermicularia, *ross.* МОПОДИЛЕ. *Icon.* in pl. grasses. Herba recens sedi acris sapore piperato praedita est. *Vis* vomitum ciet, et alvum purgat, externe paululum cutem erodit. *Usus.* Decocti sunt manip. Vjjj cum cerevisiae libr. Vjjj usque ad colat. libr. jV et datae unc. jjj-jV hujus cerevisiae jejuno ventriculo in scorbuto. (Misc. N. C. Dec. 1. ann. 6. obs. 22). Extus adhibita herba ulcera sordida detergit, et cicatrici favet.

SEDUM MAJUS, FOLIA RECENTIA.

SEMPERVIVUM TECTORUM.

Planta perennis, in tectis, muris et rupibus.

Folia acidulo-austera, ovato-acuminata, ciliata, crassa, concava, succosa, in apice rubella.

Not. 274. *Germ.* Grofses Hauslauch, *belg.* Donderbaard, Huislook, *dan.* Huuslög, *suec.* Huusl[illegible]k, *angl.* great common Housleek, *gall.* Joubarbe des toits, *ital.* Semprevivo, *hisp.* Siempreviva de tejados, *lusit.* Sempreviva, *polon.* Rozchodnik wielki *ross.* ЧЕСНОКЪ ДИКОВІ. *Icon.* Zorn. T. 124. Herba sedi majoris malas potassae continet et principium scytodephicum. *Vis.* Mitius agit praecedenti. *Usus.* Datae sunt interne succi unc. jj. Opus est, ut crebriori applicatione utilitas confirmetur, quam nonnulli de illa praedicarunt. Laudatur contra aphthas, ephelides faciei et fissuras in papillis mammarum, ex suctu ortas. Ultimo in casu saepius linteo carpto attractus applicatur.

SENEGA, RADIX.

POLYGALA SENEGA.

Planta perennis Virginiae et Pensylvaniae. Radix flexuosa, nodosa, ramosa, intus alba, extus cortice flavescente, epidermide cinerea tecta; saporis acris, subamari.

Not. 275. *Germ.* Klapperschlangenwurz, *angl.* the officinal milkwort, Rattle snake root, *gall.* Poligale de Virginie, racine de serpent à sonnettes. *Icon.* Linn. amoen. ac. II. Gustata primum excitat rad. senegae farinaceum, mox subacidum, demum pungentem saporem, sub affluxu salivae. Dat extr. aqu. acris $\frac{1}{3}$, extr. spirituosi mitioris $\frac{1}{4}$. *Vis:* diuretica, incidens, dosi fortiori emetica, et laxans. *Usus.* Confidunt maximopere populi inculti Americae borealis huic radici in morsu serpentis crotalophori. In pneumonia non frustra data esse videtur, praemissa in exquisita sanguinis missione. *Decoctum senegae* R. rad. senegae unc. jjj

coqu. c. aqu. commun. libr. jj ad tertiae partis evaporationem. Col. d. omni trihorio cochl. jjj atque remissis peripneumoniae symptomatibus quarta qualibet vel sexta hora (*Tennent*). Mitigatur acritas addita liquiritia. *Dosis* pulver. gr. XXXV (*Tennent*). *Decoctum senegae mitius.* R. rad. seneg. unc. j coqu. c. aqu. font. libr. jj ita ut supersint duae tertiae partes. Dosis quavis hora cochl. jjj. Praefert *Bouvartus* hoc decoctum priori, quod nimio ardoris sensu plurimis turbas dare solet. *Pilulae senegae* R. rad. seneg. q. v. mucil. g. tragacanth. q. s. f. pilul. pond. gr. jj. D. omni bihorio pilul. j addendo quotidie pilulam unam. Laudat *Wendtius* has pilulas in resolvendis hypopyis. (V. ej. Annal. des klin. Instit. I. p. 129.)

† *SENNA*, FOLIA.

CASSIA SENNA.

Planta annua, in Aegypto superiori sponte nascens.

Folia Sennae ALEXANDRINAE *ovato-acuta, quartam pollicis partem lata, viridi-lutescentia, laevia, amaro-acria, nauseosa: substituuntur praesertim* TRIPOLITANA, *grandiora, obtusa, scabra, viridia.*

Sola Alexandrina usui medico inserviant.

Not. 276. *Germ.* Senna, *belg.* Senne, *dan.* Senet, *suec.* Sennet, *angl.* Senna, *gall.* Sené, *ital.* Sena, *hisp.* Sen, *Insit.* Senna, *ross.* АЛЕКСАНДРІИСКІЙ ЛИСТЪ. *Icon.* Moris. hist. pl. II. Dant folia sennae extr. aquosi $\frac{1}{4}$, extr. spirituosi $\frac{1}{16}$ evocantur ex uncia j olei aetherei spissiori indole gr. jj et in hoc praecipua virtus latere videtur. *Vis:* purgans cum caloris quodam incremento, nec sine omni tormine in tenuibus intestinis, quod vero minime sennae stipitibus efficitur. (*Bergius*). *Dosis* pulv. scr. j-dr. j. Plerumque

infusum (dr. j fol. ad unc. j aquae) cuivis alii formae praefertur. *Aqua laxativa Ph. austr. provinc.* (1780) R. fol. senn. dr. Vj tartar. pur. dr. j sem. anisi stellati leviter contusi dr. ß mixta infund. c. aqu. fervid. s. q. stent per horae quadrantem; dein ebulliant aliquantulum, ut colat. fortiter express. sit unc. Vj in qua solve mann. unc. jj. Demum clarificatum et colat. exhibeatur. Sumatur duabus vicibus. *Infusum sennae simpl. Ph. L.* (1788) R. fol. senn. unc. jß zingiber. pulv. dr. j aquae dest. fervent. libr. j. Macera per hor. j in vase operto et frigefact. col. Dosis: unc. jjj. *Infusum sennae tartarisatum Ph. L.* (1788) R. fol. senn. unc. jß sem. coriandri cont. unc. ß tart. pur. dr. jj aqu. dest. libr. j. Crystallos tartari in aqua coquendo solve, dein affunde solutionem ferventem sennae et semini; macera per horam in vase operto, et liquorem frigefact. col. Dosis unc. jjj. *Infusum tamarindorum cum senna Ph. Ed.* (1784) R. tamarind. dr. Vj tart. pur. fol. senn. ana dr. j sem. coriandr. dr. ß sacch. unc. ß aqu. ebull. unc. Vjjj in vase fictili, non vitreato et clauso, macera et post horas quatuor col. sumatur dosi bipartita. *Infusum sennae compositum Ph. boruss.* R. fol. senn. unc. ß infund. aqu. fervid. unc. jV; stent per horae dimidium. Cola et solve tart. natronati. dr. jj mann. dr. Vj denuo col. D. uno haustu. Pro torpidioribus loco tart. natronati sulphas magnesiae aut sulphas natri addi possunt. Grana quaedam cort. cinnamom. corrigunt saporem simul cum aqua infusa, lenioremque reddunt effectum eccoproticorum. *Electuarium lenitivum* (Electuarium e senna ph. boruss.) R. caricar. unc. Vj rad. liquirit. unc. jj coqu. ex aqu. libr. jV ad dimidium. Exprime, col. et decoctum evapora ad unc. Xjj, in quibus dissolve sacchar. alb. unc. XVj. Huic syrupo immisc. pulp. tamarind. — prunor. ana unc. V et postremo pulv. fol. senn. unc. jVß sem. anisi unc. ß. Serva. Dosis cochlearcula duo donec alvus leniter laxetur.

† *SERPENTARIA VIRGINIANA*, RADIX.

ARISTOLOCHIA SERPENTARIA.

Planta perennis Virginiae et Carolinae.

Radix ex capitulo fibrillas longas, flexuosas, inter se intricatas emittens, subaromatica, nonnihil amara, odoris camphoraceï.

Not. 277. *Germ.* Virginische Schlangenwurzel, Schlangenosterluzei, *belg.* virginische Slangenwortel, *dan.* Slangröd, *suec.* Ormrot, *angl.* Virginian snake root, *gall.* Aristoloche serpentaire, *ital. hisp. & lusit.* Serpentaria de Virginia, *ross.* ВИРГИНСКІИ ЗМѢЕВНИКЪ. *Icon.* Catesb. car. t. 29. Continet rad. serpent. virg. $\frac{1}{200}$ olei aetherei summopere aromatici, odore aurantiaco, oleo cajeput similis, ast fragrantioris. *(Juch).* Thomas *Johnson* primum 1633 mentionem fecit radicis efficacissimae. *Vis:* maxime nervina, diaphoretica, sanguinem movens, cum augmento caloris sat conspicuo. *Usus.* Incolae indigeni Americae confoederatae aestimant radicem in morsu serpentis, qui Boicininga dicitur. Medici ad eam refugiunt praesertim in prostratione virium, quae aegris febricitantibus periculum minitatur. Saepissime una cum cortice peruviano propinatur. *(Lettsom).* *Infusum rad. serpent. virginian.* R. rad. serpent. virgin. dr. jj-jV infund. aqu. fervid. q. s. colat. unc. Vj D: omni hora cochl. j-jj.

† *SERPYLLUM*, SUMMITATES FLORENTES.

THYMUS SERPYLLUM.

Frutex Europaeus in locis aridis apricis.

Herba amaro-aromatica, caule repente, foliis planis, ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis purpurascentibus.

A THYMO VILLOSO *discernitur, quod hujus*

folia setacea, pilosa sint, in THYMO SERPYLLO *ad basin solummodo ciliata.*

Not. 278. *Germ.* Quendel, Feldkümmel, *belg.* wild tym, *dan.* wild timian, *suec.* Backtimian, *angl.* Mother of thyme, *gall.* Serpolet, *ital.* Serpillo, *hisp.* Serpol, *lusit.* Serpao, *polon.* Macierzanka, *ross.* ШАДОВНИКЪ. *Icon.* Zorn T. 17. Libr. XV herbae serpilli dabant olei aetherei acris scr. jV. *Vis:* nervina, discutiens. *Usus:* praecipuus externe. Oleum et spiritus serpilli in paralysi artuum incitamenta, multa experientia probata.

SIMARUBA, CORTEX.

QUASSIA SIMARUBA.

Arbor Americana.

Cortex rádicis coriaceus, flexilis, amarus, superficie luteo-rubescente, scaber, rugosus.

Not. 279. Cortex Simarubae ex fragmentis crassis constat, plures pollices immo pedem longis. Unc. j dat extr. resinosi gr. 40 et extr. gummosi dr. jj. Infusum aquosum sulphate ferri non mutatur. Vid. *icon.* quass. simarub. in *Aublet* guj. tab. 331 et 332. *Vis* stomachica. *Usus:* in diarrhoea et dysenteria. *Decoctum corticis simarubae* R. cort. simarub. dr. jj-unc. β coqu. c. aqu. font. libr. jj. Col. unc. Vj d. omni bihorio cochl. j-jj. Emesis, quae interdum usum simarubae insequitur, ortum, nisi fallor, trahit ab irritatione, quam amara efficere solent, colluvie primarum viarum praesente, aut nimia sensibilitate praecordiorum.

† *SINAPI,* SEMEN.

SINAPIS NIGRA.

Planta annua sativa.

Semina exigua, globosa, nigricantia, peracria.

Not. 280. *Germ.* Senf, *belg.* Mosterd, *dan.* Senep, *suec.* Senap, *angl.* Mustard, *gall.* Moutarde, *ital.* Mostarda, *hisp.* Mostazo, *lusit.* Mostardeira, *polon.* Gorczyka, *ross.* ГОРЧИЦА. *Icon.* Zorn T. 152. Semen sinapis aqua destillatum oleum emittit aethereum acre, superstite mucilaginis specie. Destillatione sicca spargit odorem ammoniae. Lac eo coagulatur. *Vis:* nervina, solvens, salivam proritans, externe cutim phlogosi perfundens. Sinapis alba nigra obtusior. *Usus.* Teste longa experientia conducit in vertigine gastrica et mere nervosa. *Sinapismus.* R. sem. sinap. dr. jj ferment. pan. unc. jj acet. vin. acerr. q. s. *(Brückner).* *Sinapismus fortior* R. pulv. sem. sinap. dr. jjj piper. ni. dr. j rasur. armorac. ferment. panis ana unc. j acet. vin. acerr. q. s. *(idem).* *Collutorium ex sinapi* R. sem. sinap. dr. jß acet. vin. unc. j aqu. font. unc. jV diger. Laudatur in paralysi linguae. Non solum balneis universalibus sed etiam pediluvio sem. sinapis stimulum addit. *Medicina veterinaria* unc. jV sem. sinap. laxant leniter ventrem boum.

SPIGELIA, RADIX, HERBA CUM RADICE.

SPIGELIA MARILANDICA ET SPIGELIA ANTHELMIA.

Spigelia Marilandica, planta perennis in Carolina australi, solo profundiore, fertili.

Radix horizontalis, simplex, inaequalis, fibrillis plurimis longis, saporis amari.

Spigelia Anthelmia, planta annua; in America meridionali, Brasilia praecipue, sponte nascens.

Caulis herbaceus, folia summa quaterna; radix parva, multis fibrillis longis.

Not. 281. *Icon.* Spigel. marilandicae Catesby carol. II. T. 78 et Spigel. anthelm. Linn. amoen. V. t. 2. Spi-

geliae officinales ad narcotica referendae sunt. Infusa aquosa sulphate ferri non alterantur. Anthelmiam marilandica mitiorem esse, ajunt. *Vis* anthelmintica, laxans. *Dosis* pulv. infantibus biennibus gr. Xjj adultis dr. j. *Infusum spigel. anthelmiae* R. spigel. anthelm. dr. jj aqu. ferventis unc. Vj. D. dimidia pars vesperi, altera postridie bis et quidem per septem vel quatuordecim dierum spatium *(Hinckley)*.

† *SPIRITUS FRUMENTI.*

Destillatione ex seminibus secalinis, et tritici, praegressa fermentatione, elicitus.

Not. 282. *Germ.* Kornbrandtwein, *belg.* Brandewyn, *angl.* Brandy, *gall.* Brandevin. Spiritus frumenti fit motu peculiari clandestino attractione mutua hydrogenii et oxygenii ex variis frugibus et simili modo ex aliis plantarum partibus, quae farina et saccharo praeditae sunt, ut solano tuberoso, beta etc. *Spiritus vini gallicus et rhenanus* destillatur e vinaciis et faecibus vini, *Spiritus Arac* ex succo fructuum arecae catechu et cocos nuciferae commixto, *Spiritus Rum* ex succo recenti sacchari officinarum, *Spiritus Taffiae* ex melasso. Provocantur ex secalis crassius moliti libr. 32 spiritus mensurae (Quart) Vjjβ, ex tritici molendina fracti eadem quantitate mens. Vjj-Vjjj atque ex betae altissimae vulgaris libr. 100 mens. Vjj-Vjjj. Spiritus ex frumento, atque alio plantarum genere, diverso gaudet pondere specifico et privatur heterogeneis partibus odoreque ingrato, repetita destillatione cum variis additamentis. Secale, spiritus frumenti eruendi causa plerumque cum parte sexta malti hordei in molendina contriti aqua fervida humectatur, tunc in massa ope fermenti motus excitantur, ad spiritum, quem dein destillatio iterata provocat, eliciendum necessarii. Ingratum odorem, qui spiritui frumenti semper adhaeret, aufert carbo. Adduntur carbonis unc. jj spiritus libris $2\frac{1}{4}$. Vitra clausa, quae hanc mixtionem continent, reponantur biduum vel triduum et concutiantur aliquoties quovis die. Elicitur dein spiritus omni odore nauseoso expers, qui adstillatis cuilibet mensurae guttulis 60 aetheris acetici atque pauxillo

sacchari adusti adjecto, naturam spiritus vini gallici induit, quem *coignac* nominant. Ceteroquin spiritus frumenti, bonae indolis, pellucidus esse debet, odore singulari forti, et sapore ardente fugaci. Agitatus bullulas ejicit cito dissilientes. Adulteratur saepius pipere aliisque acribus, quae in fundo restant, menstruo evaporato. *Spiritus Rum artificialis* R. corii rossici concisi (Juften) unc. β solv. spirit. sal. unc. j dein adde spirit. vin. mens. jV et destill. mixtio. Ut spiritus Rum artificialis prodeat, colluantur hujus spiritus unc. jV aqu. commun. unc. ʒjj aether. acetic. gutt. Xjj. *Vis* spiritus vini concitat systema vasculosum sanguiferum, atque compellit sanguinem versus vasa peripherica. Turbatur sensorium commune partim hac congestione, partim stimulo a nervis in praecordiis communicato. Sequitur has turbas languor. Vasa, cessante irritamento, collabuntur. Potu spirituoso quotidie assumto, sensimque copiosius ingesto, sensus obtunduntur, atque secretiones lentescunt, sicuti humorum sorbitio. Diminuitur cibi desiderium. Ventriculus corrugatur, pylorus constringitur, immo indurescit. Nausea et vomitus praesertim matutino tempore accedunt. Artus corripit tremor. Oculi stupore figuntur. Garruli fiunt miseri et animo hebetes. Stagnant humores secreti. Facies tumescit. Tussicula somnum interrumpit. Plurimi eorum, qui potatione spiritus vini delectantur quotidiana et copiosa, hydrope extinguuntur, aut apoplexia et paralysi. *Usus* domesticus quam maxime moderari debet, et spiritus vini solummodo medicaminis locum occupat eximie reficientis et stimulantis. *Hoppelpoppel* R. vitell. ovi nro. jj c. pauxillo sacchari. Adm. aqu. calidae vascul. j spirit. vin. gall. vel frumenti cochl. j-jj. Potetur calide. Externe spiritus frumenti traumaticam virtutem exercet et discutientem.

† *SPIRITUS JUNIPERI.*

Ex destillatione spiritus frumenti cum baccis juniperi producitur.

Not. 283. Spiritus juniperi diureticus est et stomachicus. Profuit in hydrope et infricatus erigit nervos.

Sumatur pluries de die cochl. j cum aqua. Usus domesticus autem eo magis coercendus est, quo facilius vesicam urinariam continua irritatione hebetat. Si quis interdum stomachico remedio et carminativo indigeat, loco spiritus juniperi praeferendos esse puto spiritus aromaticos et analepticos aqua vel vino dilutos et saccharo aut musto uvarum edulcatos, qui sub nomine *ratafia* (Clareta) veniunt. *Clareta* parantur sive ex partibus vegetabilibus cum vino infusis, quibus spiritus vini quarta, ratione vini, pars, et tertia sacchari adjicitur, sive ex succis fructuum, quibus aequae partes spiritus vini et duae trientes sacchari commiscentur, sive ex vegetabilibus cum spiritu vini maceratis, quibus octava pars aquae, ratione spiritus vini, additur, spiritus calore balnei Mariae inde evocatur, et syrupo, qui saccharum pari cum spiritu ratione habet, commiscetur; sive ex partibus anaticis aquae destillatae odoratae et spiritus vini, quibus mixtis earum ponderis quarta pars sacchari et olei cujusdam destillati aliquot guttae adjiciuntur; ita claretum anisi, cinnamomi, piperititis, quod *eau de chasseurs* appellatur etc. parari possunt. *Claretum fructuum Spielmanni* R. ceras. dulc. maturor. part. 30 ribesior. part. 12, rubor. id. p. 6 contund. et infundantur per mensem spirit. vini pari quantitate: succi ope preli expressi unc. 512 addantur caryophyll. contus. nro. 48 vanigliae siliqua j sacch. unc. 96. Elapso mense liquor filtretur. *Claretum coronarium* (eau de bouquet) R. caryophyll. dr. j lign. rhod. dr. jj incisa et contus. infund. per septem dies cum spirit. vini unc. 128; destillando inde elicitis unc. 96 spiritus add. olei jasmini scr. j vanill. contus. scr. ß rad. iridis flor. cont. dr. jj sacchar. unc. 32 in totidem unc. aquae solut. ambr. grys. saccharo trit. gr. j. Elapsis septem diebus filtrentur. *Claretum ex seminibus carminativis*, (rossolis de six grains parisiensium) R. sem. anisi — anethi — foeniculi — coriandri — carvi — dauci cretici ana unc. j contusa infund. per mensem cum spirit. vini unc. 230 add. sacch. aqu. ana unc. 40 filtr. *Claretum de Garus* (Elixir de garus) R. caryoph. cinnam. nuc. mosch. ana scr. j myrrh. elect. unc. ß aloës hepat. unc. j spirit.

vini unc. 48 aqu. font. unc. 12 dest. inde unc. 48; spiritui destillato add. syrup. capill. ven. unc. 48 aqu. fl. naph. unc. jV repon. usque dum liquor clarus evaserit. Dosis cochl j. (*Spielm.*) *Claretum extemporaneum* (aqua cardiaca *Wyliei*) R. spirit. vin. gallici libr. j aqu. libr. jV sacch. alb. vel syrup. cujusd. grati unc. jj-jV. Notari debet, clareta varia ex nucleis parata, ut *maraskin de Zara* ex nucleis cerasorum sylvestrium et *aqua cerasorum helvetica* ex fructibus pruni avium continuato usu ob principium narcoticum, quod suscipiunt, nervorum vigorem esse prostratura.

† *SPIRITUS VINI.*

Liquidum volatile, fragrans, limpidum, ex fermentatione spirituosa succi uvarum natum, et destillatione elicitum. Pondus specificum ad pondus aquae destillatae sit, ut 931 *vel* 936 *ad* 1,000.

Not. 284. Non in levi haberi debet accurata distinctio graduum spiritus vini, quam observamus in pharmacopoea Batava, illius enim neglectus instabilia reddit experimenta et praeparata.

† *SPIRITUS VINI FORTIOR.*

Venalis sub titulo BRANDEWYN, *vel* VOORLOOP DRIE QUART, *cujus pondus specificum sit ad pondus aquae destillatae, ut* 907 *vel* 911 *ad* 1,000.

† *STAPHISAGRIA,* SEMEN.

DELPHINIUM STAPHISAGRIA.

Planta biennis Europae australis.

Semina grisea, compressa, trigona, vel tetragona, incurva, lacunosa, nucleum oleosum, albo-luteum includentia, peramara, peracria.

Not. 285. *Germ.* Läusesaamen, *belg.* Luiskruid, *dan.* Luusurt, *suec.* Lusort, *angl.* Lousewort, *gall.* herbe aux poux, *ital.* erba contra i pidocchi, *hisp.* hierba piojera, *lusit.* Alvarraz, *polon.* Gnidosz ziele. *Icon.* Zorn T. 473. Continet semen staphisagriae olei unguinosi $\frac{3}{16}$. Acre alcohole extrahitur. *Vis.* Salivam proritat, fauces aduric, et ciet vomitum enormem et alvinas dejectiones. Pediculos necat. *Unguentum contra pediculos capitis.* R. sem. staphysagr. dr. jj rad. helleb. alb. dr. jß hb. nicot. dr. j c. s. q. olei nicot. et cerae parca quantitate f. liniment. adde ol. spicae gr. Vjjj. *(Mangeti bibl. pharm. med. II.)* Sine damno removeri potest hoc semen ex officinis.

STRAMONIUM, HERBA RECENS.

DATURA STRAMONIUM.

Planta annua, in ruderibus refertis locis, ad sepes, vias, in fimetis, ad fossas sponte nascens.

Folia magna, ovata, acuminata, angulosa, dentato-sinuata, petiolata, venosa, saturate viridia, odoris virosi.

Not. 286. *Germ.* Stechapfel, *belg.* Dornappel, *dan.* Piig-aeble, *suec.* Spikklubba, *angl.* the thorn-apple, *gall.* Stramoine, pomme épineuse, *ital.* Stramonio, *hisp. & lusit.* Estramonio, *polon.* Szaleywielki, *ross.* ДУРМАНЪ. *Icon.* Zorn T. 286. *Vis.* Sicut in genere variant admodum symptomata, quae narcotica producunt, in stramonio quoque non semper eadem apparent. Exagitat initio nervos eosque turbat, particulariter phantasiae imagines exaggerat et confundit, atque visum obvelat. Aliis somnus tranquillus contingit, aliis turbulentus, hos sitis vexat, nec alios. Plerumque sensuum exagitationem sequitur summus stupor. Semen non cedit herbae quoad vim narcoticam. *Usus* principalis in mania. *Tinctura stramonii* R. sem. stramonii unc. jj vin. hispanic. unc. Vjjj. Spirit. vini unc. j.

Diger. per aliquot dies leni calore et filtra. *Dosis:* gutt. Vj. et sensim plures. *(Hufeland).* Prosopalgiam eximie fuit hac tinctura mitigata. *Antidota:* emeticum sicca forma assumtum, acida, potus coffeae tostae.

STYRAX IN MASSIS, RESINA.

STYRAX OFFICINALIS.

Arbor in Archipelagi insulis et Oriente frequens.

STYRAX IN MASSIS resina sat dura, splendens, rufa, mixta granis pinguiusculis, albidis, vel lutescentibus, odoris suaveolentis fere ut in Balsamo Peruviano.

Not. 287. *Germ. angl. & gall.* Storax, *belg.* Styrax. *Icon.* styrac. officin. Zorn T. 304. Triplum et plus extr. spirituosi pro una parte aquosi e styrace educitur. Sola destillata, oleum empyreumaticum prodit, et sal benzoinum. *Vis:* incitans sub caloris augmento. *Usus* in morbis pectoris antiquatus. *Pilulae e Styrace Ph. L.* (Lips. 1762) R. styrac. calamit. col. unc. jj croci unc. j opii colat. dr. V. contund. simul diligenter, donec mixtura perfecta sit. Vicem harum supplebant in ph. ed. (Brem. 1758) *pilul. ex olibano*, quae componebantur ex olib. unc. jj myrrh. unc. j opii dr. V bals. peruv. dr. jj syrup. comm. q. s.

STYRAX LIQUIDA, BALSAMUM.

LIQUIDAMBAR STYRACIFLUA.

Arbor regionum calidarum Americae septentrionalis.

Balsamum mellis spissitudinis, ex griseo in viride vergens, acre, aromaticum.

Not. 288. *Germ.* Flüssiger Storax, *belg.* vloejende Storax, *angl.* Liquid storax, *gall.* Storax liquide. *Icon.* liquidambar styracifl. Catesb. car. II. T. 65. Proxime

accedit hoc balsamum virtute et indole peruviano. *Vis:* consolidans, discutiens. *Usus:* externus.

TACAMAHACA, RESINA.

FAGARA OCTANDRA.

Arbor Americae calidioris, praesertim in Curacao frequens; etiam in insula Madagascar.

In cucurbitis advecta resina, sicca et mollis, subdiaphana, splendens, albo-lutescens, aromatica, odoris suavissimi. Rejiciatur resina pulla, aut cinerea.

Not. 289. Quaeritur, an fagara octandra cum fagara elaphrio diversi generis sit. *(Persoon).* Vid. *Icon.* fagarae elaphrii in Jacq. americ. T. 71. Resina haec usui externo fere unice inservit, et saepius antea in emplastris stomachicis basin constituit. *Empl. stomachic. Fulleri* R. Tacamah. dr. Vjj olei menth. — balaustr. ana dr. β — caryophyll. — nuc. moschat. — anisi — succin. ana gutt. jj.

† *TAMARINDUS*, FRUCTUS.

TAMARINDUS INDICA.

Arbor Arabiae et Indiae orientalis.

Pulpa nigricans, seminibus siliquarum nitidis mixta; sit recens, succosa, et grate acida. Occidentalis pulpa siccior, ob admixtum saccharum acido-dulcis, ne in usum trahatur.

Not. 290. *Icon.* Tamarindi indicae Zorn T. 291. Libr. j tamarindi fructus continet dr. j acidi tartarico aequiparandi. *Vis* laxans, diuretica, siticulosis grata. *Usus* peculiaris in febribus gastricis biliosis. *Decoctum tamarindorum* R. fruct. tamarind. unc. jj coqu. c. aqu. font. libr. jV colat. libr. jjj adm. syrup. rub. id. unc. jß.

D. vasculatim. Loco syrupi passul. major. unc. jV una cum tamarindis decoqui possunt.

TAMARISCUS, CORTEX.

TAMARIX GALLICA.

Arbor in Hispania, Gallia et Italia crescens. Cortex tenuis, convolutus, vestitus epidermide fusca, intrinsecus subrufus, saporis nonnihil amari, subausteri.

Not. 291. *Germ.* Französische Tamarisken, *belg.* fransche Tamarisch, *angl.* the french Tamarisk, *gall.* Tamaris commun, *ital. & hisp.* Tamarisko, *lusit.* Tamargueira, *ross.* ГРЕБЕНШЫКЪ. *Icon.* Zorn T. 312. Hic cortex, e cujus cinere *Montetas* sulphas sodae extraxit, in hodierna praxi parum, nec injuria, a pharmacopolis exposcitur.

TANACETUM, HERBA, FLORES.

TANACETUM VULGARE.

Planta perennis, in aggeribus frequens. Herba amara, foliis bipinnatis, incisis, serratis. Flores minus ingrate amari, tubulosi, flavi.

Not. 292. *Germ.* Gemeiner Rheinfarn, *belg.* gemeen reinevaren, *dan.* Rheinfan, *suec.* Renfana, *angl.* common tansay, *gall.* Tanaisie vulgaire, *ital. & hisp.* Tanaceto, *lusit.* Tanasia, *polon.* Wrotecz, *ross.* ДИКАЯ РЫАБИНА. *Icon.* Zorn T. 246. Herba et flores tanaceti odorem aromaticum peculiarem spargunt. Ex herba recenti $\frac{1}{200}$ olei aetherei educitur, ex sicca extracti aquosi $\frac{2}{3}$. *Vis:* nervina, diaphoretica et anthelmintica. *Usus:* in colica verminosa. *Dosis* pulv. gr. 20-40. In arthritide potus theiformis ex herba tanaceti per annum continuatus profuit. *Infusum herb. tanaceti* R. herb. tanacet. unc. β aqu. fervid. unc. X col. detur

vasculatim omni bihorio. Idem infusum cum lacte factum et ano injectum ascarides expulit. *Pulvis anthelminticus Wendtii.* R. sem. tanaceti gr. Vj sulph. ferri factit. gr. jjj rad. jalapp. dr. ß. D. vice simplici matutino tempore, indubia vermium praesentia. *Medicina veterinaria.* Laudatur in colica verminosa equorum eorumque trismo. *Electuarium anthelminticum* R. herbae tanacet. manip. jV sem. santonic unc. jj, sulphuret. hydrarg. nigr. unc. jjj. f. pulv. mell. crud. q. s. D. mane et sero cochl. j et, quatuordecim diebus praeterlapsis, pilula purgans ex aloës hepat. unc. j pulv. rad. jalapp. sulphat. potass. ana unc. ß et sapon. s. q. *(Ratzeburg).* In trismo infusum ex herb. unc. jj cum aqua, cerevisia, aut vino, ano et ori bis et pluries quotidie injectum omnino praefertur.

† *TARAXACUM,* HERBA, RADIX, EAEQUE RECENTES.

LEONTODON TARAXACUM.

Planta perennis, in pascuis, ad vias frequentissima.

Herba lactescens, subamara, foliis runcinatis, denticulatis, laevibus.

Radix fusiformis, succosa, nigra, lactescens, valde amara.

Not. 293. *Germ.* Löwenzahn, Pfaffenröhrlein, *belg.* Paapenkruid, Pis int Bed, *dan.* Lövetand, *suec.* Lejontand, *bngl.* Dandelion, *gall.* Pissenlit, dent de lion, *ital.* Dente di leone, *hisp.* Diente de leon, *lusit.* Dente de leão, *polon.* Papawa ziele, *ross.* ПОПОВО ГУМЯНСО. *Icon.* Zorn T. 59. Ex unc. j succi expressi taraxaci obtinetur extr. gummosi sapore primum dulciusculo, dein subamaro dr. jj et extr. resinosi parum adstringentis dr. j. *(Gleditsch).* Infusum radicis paululum sulphate ferri fucatur, infusum herbae siccae nigres-

cit. *Vis* incidens, diuretica. *Usus* in obstructione viscerum abdominalium, colluvie pituitosa primarum viarum, et diversis eruptionibus cutaneis diuturnis *(Leidenfrost)*. Dantur quotidie matutino tempore succi expressi unc. jj. *Decoctum radic. taraxaci simplex.* R. rad. taraxaci unc. jß, coqu. c. aqu. font. libr. jjj. Colat. libr j detur una die. *Extractum taraxaci liquidum Ph. bor.* (mellago taraxaci) R. rad. taraxac. recent. cum herba junior. primo vere collect. libr. Xjj conc. contund. in mortario ferreo, addendo aquae commun. libr. Vj. Exprime succum, quem post unicam ebullitionem in vase stanneo col. et leni calore ad syrupi spissioris crassitudinem redige. Dosis cochl. j-jj pluries de die. *Decoctum taraxaci compositum Stollii* R. rad gramin. — taraxac. — cichorei lana unc. jjß minut. concisae coqu. in aqu. font. q. s. Col. fortiter prelo express. libr. j adm. syrup. quinque radic. aperient. unc. j-jj arcan. duplic. dr. jj liqu. anodyn. Hoffm. gutt. XXV. Magni habitum est hoc apozema vel potius haec mellago taraxaci composita in morbis viscerum chronicis, nec disceptemus cum manibus magni viri, an leni stimulo aut vi resolventi profuerit. Radix taraxaci et graminis inprimis species ad *ptisanam regiam* (tisane royale) tempore Ludovici XIV in Gallia usitatam suppeditabant. Folia dum propullulant intima passim in acetariis appetuntur, atque nondum aperti loco capparum cibis addi queunt. Radix tosta in coffeae vicem a nonnullis commendatur. *Medicina veterinaria.* Herba recens concisa et cum furfure aut farina mixta sospitat anserculos.

† *TARTARUS ALBUS ET RUBER.*

Sal essentialis vini acidulus, ex acido tartaroso et potassa, multis heterogeneis mixtis, constans, aqua difficulter solubilis. E vinis rubris secretum TARTARUM RUBRUM *vocant, ex albis* TARTARUM ALBUM, *qui nonnihil griseus. Tartarus optimus compactus est, superficie crystallis irregularibus aspera.*

Not. 294. *Germ.* Weinstein, Weinsalz, *belg.* Wynsteen, *angl.* Tartar, *gall.* Tartre. De partibus, quibus constat, et modo, quo monte pessulano et venetiis partibus heterogeneis privatur, sermo fuit in not. 125 et ibidem in textu. De iterata purificatione vid. not. 382.

† *TEREBINTHINA LARICINA* seu *VENETA*, BALSAMUM.

PINUS LARIX.

Arbor in alpibus Helvetiae aliisque sponte nascens, nobis culta.

Balsamum nativum, liquidum, lutescens, limpidum, amaro-acre, calidum, resinosum.

Not. 295. *Germ.* Terpentin, *belg.* Terpentyn, *angl.* Turpentine, *gall.* Térébinthine. A pluribus pini speciebus colligitur resina fluida, quae terebinthina vocatur. *Veneta* a pinu larice (*Icon.* Blackw. T. 477), *argentoratensis* a pinu picea (*Icon.* Zorn T. 528), *communis* a pinu sylvestri (*Icon.* Zorn T. 526), *cypria* autem a pistacia terebintho (*Icon.* Blackwell T. 478). In veneta, pro usu interno optima, observatur spissitudo, inter mel et oleum media. Continet terebinthina olei aetherei partem decimam usque ad quartam et hoc oleo fere privata, *cocta* dicitur. *Vis:* calorem movens, lotium pellens, odore violaceo imbutum. *Usus:* in gonorrhoea ob laxitatem producta, hydrope, et podagra. *Dosis* gr. X-dr. j. *Mixtura e terebinthina* R. terebinth. unc. β vitell. ovor. nro. jj syrup. alth. unc. jj vin. alb. gallic. vel aqu. commun. unc. Vjjj. M. et col. cochl. j mane et vesperi. (*Fuller*). Inclaruere in Italia contra podagram pilul. ex terebinthinae et polii montani partibus aequalibus, quarum gr. 60 matutino tempore exhibentur. *Clysma ex terebinthina* R. terebinth. unc. β-j misc. vitell. ovi vel mucilag. quadam c. aqu. fontan. unc. Vj-Vjjj. Proficuum fuit observatum in obstipatione alvina (*J. S. Frank*). *Externe* terebinthina in ulceribus

impuritate atque vetustate incommodis suppurationem promovet et saniorum caruncularum progenerationem. Cum aceto lithargyrii in linimentum redacta delevit tetrum cancri odorem *(Gesner)*. *Balsamus Frahmii* R. terebinth. venet. unc. jjj cerae flav. unc. ß liquefact. adde terendo olei terebinth. unc. β m. servet. in pyxide fictili. Eximius in ulceribus tibiae inveteratis. *Epithema volatile* ph. lond. (1762) R. terebinth. commun. spirit. sal. ammon. ana. terebinthina agitetur in mortario sensim instillato spiritu, donec in crassamentum album abeant. *Balsamum anodynum, vulgo Guidonis* R. Tacamahac. terebinthin. venet. ana. mixta immitt. retortae, ita ut ad tertias impleatur, et fiat destillatio igne gradatim aucto. Oleum rubrum, seu balsamum, separetur a phlegmate s. q. *Injectio terebinthinata benzoica* R. sapon. medic. conc. unc. j terebinth. venet. unc. ß aquae dest. unc. Vjjj misc. l. a. solutis adde Tinct. benzoes dr. jj. M. magni pensa olim in baryokia et surditate. *(Detharding)* oleo amygdalarum temperari potest, quando sensibilitas meatus auditorii mitiorem inject. exposcit. Vid. not. 551 et 564.

† *TEREBINTHINA* OLEUM.

PINUS SYLVESTRIS ET *ABIES.*

Arbores in sylvis borealibus frequentissimae, in Belgio cultae.

Oleum aethereum, quod destillatione ex Terebinthina vulgari habetur, limpidum, albicans, acre, calidum, odoris fortis, pungentis.

Not. 296. Interdum spiritus ex resina cum aqua destillatus loco olei terebinthinae aetherei divenditur. Pharmacopola igitur ipse destillatione eum sibi comparet. *Vis.* Terebinthina fortior, sed eadem. *Usus* in rheumatismo chronico, lumbagine eo excitata, hydrope et calculo ex felle constipato. *Dosis* gutt. jjj-X. *Linctus terebinthinatus* R. olei terebinth. aeth. dr. jj mell.

crud. unc. j. D. bis quovis die cochlearculum in lumbagine rheumatica *(Home)*. *Emulsio ex oleo terebinth.* R. olei terebinth. dr. j vitell. ovi nro. j vel mucilag. g. arabici dr. jj aqu. commun. unc. Vj-Vjjj. Pluries de die cochl. j. *Spiritus terebinthinae aethereus Durande* R. aether. sulphurici p. jjj olei terebinth. aether. dr. j D. scr. jj-dr. j omni die cum sero lactis vel jusculo carnis, ad calculum felleum dissolvendum. *Spiritus anti-ictericus dispens. genev.* R. olei terebinth. unc. jß spirit. vin. rectificati unc. Vjjj. Dosis: gutt. V saccharo exceptae. Oleum terebinthinae perinaeo illitum lotii excretionem citare observatione docemur, atque spinae dorsali ante paroxismum febris intermittentis infricatum aliquoties morbum refregit. *Linimentum terebinthinatum diureticum* R. olei terebinthin. aeth. unc. β vitell. ovi dr. jj aqu. menth. piper. unc. Vj. Regioni inguinali illinitur. *(Hufel. et Himly Journ. f. d. p. H. III, 2.) Spiritus terebinthinae ammoniat.* R. Alcohol. unc. j olei terebinth. aether. dr. jj spirit. sal. ammon. dr j. Ter de die utiliter partes oedemate tumidae eo lavantur. *(Weikard).*

† *THUS* VID. *OLIBANUM.*

† *THYMUS,* HERBA FLORENS.

THYMUS VULGARIS.

In locis excelsis saxosis Hispaniae et Galliae inferioris creberrima.

Fruticulus erectus, foliis revolutis, ovatis, floribus verticillato-spicatis, subamarus, aromaticus, fragrans.

Not. 297. *Germ.* Gemeiner Thymian, *belg.* gemeene thym, *dan. & suec.* Timian, *angl.* the garden thyme, *gall.* le thym commun, *ital.* Timo, *hisp.* Tomillo, *lusit.* Tomilho, *polon.* Tym, *ross.* ТИМІАНЪ ПОЛУЧІИ. *Icon.* T. 458. Herba thymi continet olei aetherei $\frac{1}{582}$-$\frac{1}{85}$ cum pauxillo camphorae. *Vis* nervina,

carminativa. *Usus* praecipuus culinaris. Oleum thymi destillatum in spiritu sulphurico aethereo profuit in cardialgia rheumatica.

TOLUTANUM BALSAMUM, BALSAMUM.

TOLUIFERA BALSAMUM.

Arbor in Americes provincia Tolu.

Colligitur sauciato arboris cortice, et sensim indurescens formam solidam acquirit. Balsamum hoc rubicundo-aureum, pellucidum, aetate fragile, odorem spargens gratum, citreï odorem nonnihil referentem. Masticatione emollitum dentibus adhaeret.

Duplici affertur forma, aut in PLACENTIS, aut in CUCURBITIS. Quod autem in cucurbitis habetur, melius est, adeoque praeferendum.

Not. 298. *Germ.* Tolubalsam, *angl.* Balsam of Tolu, *gall.* Beaume de Carthagene. Solvitur balsamum tolutanum in aetheribus et spiritu vini. E destillatione sicca prodit oleum empyreumaticum et sal benzoinus. Cum oleis expressis et adipe aegrius miscetur, quam cum oleis aethereis. *Vis* diuretica. Balsamo copaivae et peruviano blandius est tolutanum. *Usus* in fibrarum laxitate, qua in vasis excernentibus effluvia nimia continuantur. Vid. not. 484.

† *TORMENTILLA*, *RADIX.*

TORMENTILLA ERECTA.

Planta perennis, in locis arenosis sponte nascens.

Radix peradstringens, nodoso-tuberosa, valde fibrosa, extus fusca, intus dilute rosea.

Not. 299. *Germ.* Tormentillwurzel, *belg. dan. & angl.* Tormentil, *gall.* Tormentille, *ital. hisp. & lusit.* Tormentilla, *polon.* Kurze ziele, *ross.* ЗАВЯЗНОИ КОРЕНЬ. *Icon.* Zorn T. 358. Aqua partes adstringentes extrahit easdemque spiritus vini. *Vis* styptica, tonica. *Usus* in diarrhoea ab atonia similibusque blenorrhoeis, externe in prolapsu intestini recti. Aliquoties profuit tormentilla, una cum gentiana data, in febribus intermittentibus *(Cullen)*. *Dosis* pulv. scr. jj-dr j. *Decoctum radicis tormentillae* R. rad. tormentill. unc. ß coqu. c. aqu. font. libr. jß. Col. libr. j d. cochl. jj omni bihorio.

† *TRAGACANTHA GUMMI.*

ASTRAGALUS TRAGACANTHA LINN.
ASTRAGALUS CRETICUS LAMARCK.

Frutex in insulis Archipelagi et in Oriente sponte nascens.

Frustula gummeo-mucilaginosa, alba, subpellucida, cylindrica, tenuia, vermicularia.

Not. 300. *Germ.* Tragant Gummi, *belg.* Gom Dragant, *angl.* Gum of Goatstorn, *gall.* Gomme adragante. Ex Astragalo Tragacantha, qui in Arragonia, ad maris littora Galliae australis, Siciliae et Barbariae habitat, nullum gummi fluit. *(Persoon)*. Vid. ejus *icon.* in act. berol. 1794. t. 1. f. 5. Ex Astragalo cretico tantum et gummifero gummi tragacanthae legitur, nempe album ex priori, ut ex itinerario Tournefortii patet, et flavescens vilius ex posteriori. Reliquae spacies Astragali nullum gummi exhibent. Vid. *icon.* A. gummif. in Journ. phys. 1790. Janv. et A. cretici in Willdenow. Dec. p. 196. t. 33. Ex residuo combusto unc. j G. Tragacanthae, quae destillationi siccae tradita fuit, remanent gr. Xjj ex carbonate calcariae et pauxillo phosphatis ejusdem terrae composita. *(Pfaff)*. Scr. jV gummi Tragacanthae constituunt cum aquae unc. 32

mucilaginem, quae syrupum refert. *Vis* involvens, nutriens. *Usus*. Minori copia jam virtutem explet gummi arabici. Vid. not. 529.

† *TRIFOLIUM AQUATICUM, SIVE FIBRINUM, HERBA RECENS.*

MENYANTHES TRIFOLIATA.

Planta perennis, in locis paludosis et pratis udis.

Herba insigniter amara, foliis ovatis, ternis.

Not. 301. *Germ.* Fieberklee, *belg.* Water-drieblad, *dan.* Vandklever, *suec.* Vattuklöfver, *angl.* the common buck-bean, *gall.* Trefle de marais, *ital.* Trifoglio palustre, *hisp.* Trifolio palustre, *lusit.* Trevo dos charoos, *polon* Cwikla lesna, *ross.* ВАХПА, ТРИЛИЗПНЫКЪ. *Icon.* Zorn T. 16. Amarities spiritu vini et aqua pariter extrahitur. Infusum sulphate ferri nigrescit. *Vis* stomachica, *Usus:* contra vermes, febres intermittentes, et anorexiam. *Dosis* pulv. scr. ß-scr. j. Sueci passim herba trifolii loco lupuli cerevisiae amaritiem conciliare coacti sunt, licet minus grata sit.

† *TRITICUM, AMYLUM, FARINA.*

TRITICUM HYBERNUM ET TRITICUM AESTIVUM.

Planta annua, ex Sicilia primo translata, hodie copiose apud nos culta.

AMYLUM, principium farinaceum, aqua frigida elicitum, et a glutine separatum, sit album, absque odore, insipidum, aqua frigida insolubile; si cocta ei infunditur, in pultem viscidam solvitur.

Farina molae ope inter lapides ex comminutis tritici granis paratur.

Not. 302. *Germ.* Winterweizen, *belg.* Wintertarw, *suec.* Vinterhvete, *angl.* Winter-wheat, *gall.* Froment d'hiver, *ital.* Grano vernericcio, *hisp. & lusit.* Trigo candeal, *ross.* ПШЕНИЦА. — *Germ.* Sommerweizen, *belg.* Zomertarw, *suec.* Sommerhvete, *angl.* Summer-wheat, *gall.* Froment printannier, marsais, *ital.* Grano marzuolo, *hisp.* Trigo verano, Trigo de marzo, *lusit.* Trigo tremez. *Icon* tritic. hiberni Blackw. t. 40. Triticum hibernum aestivo praevalet materia nutricia. Libr. X hujus tritici analysi chemica explorati, continebant glutinis et cuticulae unc. Xjjß, amyli unc. 90, principii saccharini unc. jß, gummatis dr. 18. *(Hermbstädts* Archiv der Agriculturchemie II. p. 93). Modius berolinensis tritici suppeditat materiae nutriciae libr. $74\frac{22}{23}$, idem secale plenus libr. $60\frac{1}{5}$. *Vis* nutriens. *Usus.* Farina et amylum crebrius in culinis adhibentur, quam in pharmacopoliis. *Panis* ex farina triticea et secalina composita principalis cibus plurium nationum merito putatur. Est farina justa fermentatione viscido exuta, unde pani praeter farinam ex vario tam fermentationis quam coctionis, quam expertus est modo, nascuntur varietates. Albedine, levitate et numero foraminum probatur. *Panis publicus pro militibus* (Commisbrod) conficitur ex part. jj tritici unaque secalis, quarum farina cum furfure commiscetur *(Colombier).* *Ptisana ex pane* R. panis triticei unc. Vjjj aquae mens. j berolin. coqu. vase operto per horam; decoctione finita adde aquae quantitatem, quae fuit evaporata *(Essich).* *Gelatina e pane* R. panis bis coct. p. j aqu. font. p. 24 coqu. per horam dimidiam. Colent. per cribrum ex filis ferreis constructum. Evaporent dein, donec supersunt partes sex. Adm. vin. rhenan. p. jj sacchar. p. j succ. citr. part. $\frac{1}{2}$ et aqu. cinnamom. $\frac{1}{4}$ *(van Mons).* Mica panis variis cataplasmatibus ut basis additur, *Clysma ex amylo* R. amyli dr. jß conter. cum aqu. frigid. pauca quantitate; admisc. aqu. calid. libr. j. Injicitur in diarrhoea, dysenteria, tenesmo et colica, similibusque affectibus ca-

nalis intestinalis. Pulvis amyli inspergitur etiam cuti excoriatae. Evitetur autem in pilulis comprehendendis, ne nimis indurescant. *Decoctum furfuris tritícei* R. furfuris triticei unc. jV coqu. c. aqu. font. libr. Xjj ut supersint libr. jX, cum subsederit furfur, elutriandae. Hoc decoctum commodus potus est pro pauperibus in varia tabe, et memini, beatum fratrem, remediorum domesticorum, ut medicum decet, non ignarum, saepius illud optimo cum effectu tabidis largiter bibendum curasse.

TUSSILAGO, FOLIA.

TUSSILAGO FARFARA.

Planta perennis, ad fossas in agris argillaceis et udis crebra.

Folia subcordata, angulata, dentata, viscida, subamara, subaustera.

Not. 303. *Germ.* Huflattich, *belg.* Hoefblad, *dan.* Hovurt, *suec.* Hasthof, *angl.* Colts foot, *gall.* Tussilage vulgaire, Pas d'âne, *ital.* Tossilaggine, *hisp.* Tusilago, *lusit.* Tossilagem, *polon.* Podbial, *ross.* ПОДБѢЛЪ, БѢЛОКОПЫШНИКЪ. *Icon.* Zorn. T. 64. Infusum foliorum tussilaginis leniter amaricans sulphate ferri obscure fucatur. *Vis:* leniter excitans. *Usus.* Cochlearia quaedam succi expressi in scrophulosis glandularum stasibus per plures menses non frustra assumta sunt. Speciebus, quas pectorales dicunt, herba sicca immisceri solet. *Species ad infusum pector. Ph. Boruss.* R. r. alth. unc. jV — liquirit. — irid. flor. hb. farfar. — heder. terrestr. fl. rhoead. — verb. ana unc. j semanis. stell. unc. β c. m.

ULMUS, CORTEX INTERIOR.

ULMUS CAMPESTRIS.

Arbor in Belgio frequens.

Cortex interior, subfuscus, glaber, tenax, subacris.

Not 304. *Germ.* Ulme, *belg.* Olm, *dan. & suec.* Alm, *angl.* Elm, *gall* Orme, *ital. hisp. & lusit.* Olmo, *polon.* Ilm, *ross.* ИЛЬМЪ, БЕРЕСТЪ. *Icon.* Zorn T. 426. Cortex ramorum eo, qui trunco colligitur, amarior, uterque quidem mucilagine abundat. Extractum aquosum perausterum est. *Usus* in eruptionibus cutaneis *Decoctum cort. ulmi* R. cort. ulmi unc. jV coqu. c. aqu. font. libr. civil. jV col. libr. jj d. quavis die quarta pars. Si decoctio nimis protrahitur, apozema ob mucilaginis copiam nauseam creat.

UVA URSI, FOLIA.

ARBUTUS UVA URSI.

Fruticulus Europae septentrionalis, in hortis cultus.

Folia obovata, adstringentia, a foliis VACCINII VITIS IDAEAE subtus punctatis, reticulo venoso facile discernenda.

Not. 305. *Germ.* Bärentraube, *belg.* Beerendruif, *dan.* Meelbär-Rüs, *suec.* Mjölonris, *angl.* Bears whortleberry, *gall.* Bousserole, raisin d'ours, *ital.* Uva d'orzo, *hisp.* Uba de oso, *lusit.* Uva de urso, *polon.* Borowka, *ross.* ТОЛОКНЯНКА. *Icon.* Zorn T. 62. Folia sicca uvae ursi sunt radici liquiritiae odore similia. Amarities in gummosis partibus eorum latet. Pauxillum kali continent. *Vis:* diuretica quidem, nec directe lithontriptica. *Usus:* in dysuria, oriatur a calculo, aut alio irritamento, congestione sanguinis excepta. *Dosis* pulv. scr. j-jj ter quaterve de die. *Decoctum fol. uvae ursi* R. fol. uvae ursi unc. ß coqu. c. aqu. font. unc. X col. unc. Vjjj d. omni bihorio cochl. jj.

† *VALERIANA SYLVESTRIS*, RADIX.

VALERIANA OFFICINALIS.

Planta perennis, ex locis altioribus colligenda. Colitur in hortis Nordvicensibus aliisque.

Radix ex capitulo fibrosa, fusca, fragrans, nonnihil amari habens, subacris.

Ne cum VALERIANA PHU *confundatur, notandum, hujus radicem esse longiorem, crassiorem, atque magis fibrosam: folia radicalia caeterum sunt indivisa.* VALERIANAE DIOECAE *radix ab officinali albedine facile distinguenda.*

Not. 306. *Germ.* Officinelle Baldrian, *belg.* Wilde valeriaan, *dan.* Baldrian, *suec.* Venderot, *angl.* the officinal valerian, *gall.* Valériane sauvage, *ital. hisp. & lusit.* Valeriana, *polon.* Kozlki, *ross.* МАУНЪ, ДИКІИ БУЛДЫРЯНЪ. *Icon.* Zorn T. 117. Haec praestantissima et utilissima radix martio, et aprili, antequam folia radicalia progerminarunt, colligi debet, nec ultra annum plena efficacia gaudet. Particulae gummosae in ea arcte cum resinosis connectuntur. Eruuntur ex unc. j rad. siccae extr. spirituosi pr. amari parum odori dr. jjj et grana quaedam, et extr. aquosi nauseosi et salsi gr. 100, extr. aquosi pr. autem unc. ß. Olei aetherei evocatur e radice valerianae $\frac{1}{120}$. *Vis:* nervis peramica, diaphoretica, motus convulsivos avertens et sistens, anthelmintica. *Usus:* in febribus mere nervosis, hysteria et hypochondria, epilepsia, et colluvie verminosa. *Dosis* pulv. scr. j-dr. j ter de die, et saepius. *Infusum valerianae aquosum.* R. rad. Valerian. sylv. unc. j aqu. font. fervid. libr. j, diger. per horam. Col. d. omni hora cochl. j-jj. *Infusum valerianae vinosum.* R. rad. valerian. sylv. unc. j vin. alb. gallici libr j diger. per hor. XXIV. Col. d. omni hora vel bihorio cochl. j. Ingreditur radix pulverata valerianae *arcanum antiepilepticum Rayoloi.* Formulae, quae sequuntur, cum eo plane congruere videntur. 1. R. rad. valerian. sylv. dr. j fol. aurant. scr. j ammon. muriatici gr. jj olei cajeput. gutt. jV m. f. pulv. D. mane et vesperi (*Cnopf in Balding. Magaz. XI. p.* 239) 2. R. rad.

valerian. sylv. dr. β, magnes. carbon. ammon. muriatic. ana gr. jjj olei cajeput. gutt. jj. m. f. pulv. *(Feuerstein)*. Ne obliviscamur autem, medicum in sananda epilepsia mere nervosa vix firmo pede esse progressurum, si aeger praecepta negligit, quae autor libri praeclari sub titulo: Geschichte einer siebenjährigen Epilepsie 1798. Tiguri editi, maxima cum contentione secutus est. *Electuarium anthelminthicum Stoerckii* R. sal. polychr. rad. jalapp. — valerian. sylv. ana dr. j oxym. scillit. unc. jV. D. pro adult. ter. de die cochl. j infant. omni bihorio cochlearculum. (V. aut. praec. med. pract.) De *oleo valerianae aethereo*, medicamine pretiosissimo, dentur ter de die gutt. jj-Vj. Vid. not. 484.

VERBASCUM, FOLIA.

VERBASCUM THAPSUS.

Planta biennis, in nostri climatis locis incultis siccioribus frequens.

Folia oblonga, acutiuscula, utrinque tomentosa, albo-viridia.

Not. 307. *Germ.* Wollkraut, *belg.* Wollekruid, *dan.* Kongelys, *suec.* Kongsljus, *angl.* Great-mullein, *gall.* Bouillon blanc, *ital.* Verbasco, *hisp.* Gordolobo, *lusit.* Verbasco branco, *polon.* Dziewanna ziele, *ross.* КОРОВЯКЪ. *Icon.* Zorn. T. 197. Infusum aquosum herbae verbasci sulphate ferri nigrescit. *Vis* involvens. Semine pisces obstupescere tamquam attoniti dicuntur *(Nemnich)*. Folia verbasci sine dubio vulgi causa adhuc in pharmacopoeam batavam recepta sunt.

VERONICA, HERBA.

VERONICA OFFICINALIS.

Planta perennis, in Europae sylvestribus sterilibus.

Herba subamara, spicis lateralibus pedunculatis, foliis oppositis, caule procumbente.

Not. 308. *Germ.* Officineller Ehrenpreifs, *belg.* gemeene Eerenprys, *dan.* Aerenpriis, *suec.* Arenpreis, *angl.* male speedwell, *gall.* Véronique male, *ital. hisp. & lusit.* Veronica, *ross.* ВЕРОНИКА. *Icon.* Zorn T. 114. Infusum herbae veronicae sulphate ferri nigriuscule coloratur. Eadem ex causa retinetur veronica in officinis ac verbascum, olim speciebus pro infuso pectorali frequenter addita.

VINCETOXICUM, RADIX.

ASCLEPIAS VINCETOXICUM.

Planta perennis locorum montosorum Germaniae.

Radix spargens e capitulo plurimas fibrillas, pallide flavescentes, graciles, longas, odoris fortis, siccatione plurimum pereuntis, saporis initio subdulcis, dein subacris.

Not. 309. *Germ.* Schwalbenwurz, *belg.* tegengiftige Zydevrugt, *dan.* Svalerod, *suec.* Talkört, *angl.* Swallow wort, *gall.* Dompte-venin, *ital.* Vintossico, *hisp.* Vencetosigo, *lusit.* Vincetoxico, *polon.* Jaskolcze ziele, *ross.* ЧОРТОВА БОРОДА. *Icon.* Zorn T. 265. Fama hujus radicis nostro tempore multum decrevit. *Vis.* Sudorem pellit et lotium. *Usus:* in hydrope, menstruis suppressis. *Dosis* pulv. dr. ß et ultra.

† *VINUM ALBUM, HISPANICUM ET RHENANUM* BONAE NOTAE.

VITIS VINIFERA.

Frutex in regionibus australibus sponte nascens, nobis cultus.

Not. 310. *Germ.* Wein, *belg.* Wyn, *angl.* Wine, *gall.* Vin. Vinum ex musto vi fermentationis prodiens,

variat ratione partium, e quibus componitur. Primario spiritui vini vim debet, cujus quantitas destillatione dignoscitur. Temperant hunc aqua, principium saccharinum, gas acidi carbonici et tartris potassae acidula. Principio saccharino scatent *vinum Malacense*, *V. Frontinianum*, *Hungaricum*, et alia *(Vins de liqueur)*. Eminet inter Hungaricum illud, quod in comitatu Zemplinensi reperitur *(V. Tokaeum)*. Essentia dicitur, quod sponte effluit ex uvis vi caloris solaris siccatis et effluvium, (Ausbruch) quod sine prelo ex uvis stillat. *Vino campanaceo* prae aliis gas acidi carbonici inhaeret. *Vini Rhenani* est, ut in eo acidum malicum, aetate cum alcohole arctius junctum, majori tartritis potassae acidulae copia separata, aetheris naturam adipiscatur. Inter vina germanica inprimis Herbipolitanum, Markebrunense, Hochheimense, Joannisbergense, Rüdesheimense, et Asmannshusense aestimantur, et quidem illa, quae anni 1748, 1760, 1762, 1766, 1775, 1779, 1780, 1781, 1783 et 1802 exhibuerunt. Ex gallicis rubris vina, quae *Cahors* et *Medoc* cognominantur, maxime appetuntur. *Vinum Capense* omnibus aliis palmam praeripere putatur *(Fourcroy)*. Color vinorum a cuticulis uvarum pendet, nisi arte, ut fieri solet, productus vel auctus sit. *Neumanno* ex destillatione praebuere

42 unciae	vini Illicitani	alcoholis	unc.	jjj
— —	Burgundici . .	—	jj et dr.	jj
— —	Campanacei . .	—	jj et —	$6\frac{1}{3}$
— —	Gallici vulgaris .	—	jjj	
— —	Frontiniani . .	—	jjj	
— —	Mosellani . . .	—	jj et —	jj
— —	Rhenani generosi .	—	jj	
— —	— vilioris .	—	jj et —	jj
— —	Hispanici vulgaris .	—	jj et —	jj
— —	Hungarici . .	—	jj et —	jj

Veneficium vini detestandum, quod plumbo fit, apparet ex sedimento nigriusculo, aqua hydro-sulphurata acidula adstillata *(Hahnemann)*. *Vis.* Stimulat vinum vasa sanguifera, atque congestiones sanguinis versus caput producit, apta dosi optimum cardiacum, nimia mentem turbat, et saepius repetita hebetat. Abusu potus prae-

clari tota nervorum compages labefactatur. Laeditur ciborum concoctio, variaque mala accedunt, quae a digestione turbata, atque atonia partium abesse nequeunt. Vid. not. 28. *Usus:* in toto agmine morborum, qui stimulo tenero et volatili indigent, atque in ipsis febribus vero languore conspicuis. Consuetudinem plurium jam matutino tempore vires somno recollectos vino, immo spiritu vini concitare, summopere reprehendendam esse arbitror. Abstineant a vinis minus generosis, nisi forsan idiosyncrasia ad acidiora invitentur, hysterici et hypochondriaci. *Dosis* vini ex aetate, vitae genere, consuetudine, corporis indole, et morbi natura nec non vini ipsius diversitate dijudicatur. *Externe* pariter nervos refocillat contusionesque discutit. Balneum ex vino neonatis, alphyxia afflictis, maxime proficuum. Fomentum ex vino calido frigidis in omnibus capitis contusionibus, ut recentiorum observationes evincunt, non est posthabendum. — Ebrietas, nimium vini potum insecuta, statim decocto concentrato coffeae tostae diminuitur. *Substituta vini.* Ex variis fructibus horaeis, ipsoque saccharo et melle cum vel sine acidis, potus vinosi evadunt, motu effervescente praegresso, vino campanaceo simillimi. Ad hos referri debet aqua betula ex succo hujus arboris progenita, aut sola arte composita. *Aqua betulae artificialis* R. sacchari purissimi aqua soluti libr. Vj vin. gallici albi vel rubri mens. berolin. jjj succ. pomor. citri nro. jjj aqu. commun. mens. berolin. Xjj. faecum cerevisiae alb. cochl. jj. Subjiciatur mixtum in cado l. a. fermentationi. *Vinum lusitanicum arte factum (angl.* Port Wine) R. Liqu. fermentati pomorum cyder dicti libr. jjj alcohol. diluti (spirit. vin. gallic.) libr. j gummi kino dr. j misc. et obturatum probe servetur. Si loco gummi kino aetheris nitrici alcoholisati dr. j addideris, vinum vetustum rhenanum (*angl.* Old Hock) aemulans habebis *(Wylie).*

VIOLA, FLORUM PETALA.

VIOLA ODORATA.

Planta perennis, in hortis culta.

Florum petala odorata, intense coerulea.

Not. 311. *Germ.* Märzveilchen, *belg.* Tamme viool, *dan.* Martsfioler, *suec.* Aekta fioler, *angl.* Sweet violet, *gall.* Violette de mars, *ital.* Viola marzia, *hisp. & lusit.* Violetta, *polon.* Fiolek, *ross.* ПАШУТШАЯ ФИАЛКО. *Icon.* Zorn T. 8. Flores violae, recentes gratissimi odoris, leniter alvum laxant. Vix per se in hodierna praxi adhibentur. Vid. prooemium et syrup. violar.

† *VIOLA TRICOLOR*, HERBA.

VIOLA TRICOLOR.

Planta annua frequens, ex locis arenosis petenda; culta ferme iners.

Herba subacris, foliis ovatis, dentatis, stipulis pinnatifidis, floribus calyce duplo majoribus.

Not. 312. *Germ.* Stiefmütterchen, Freysamkraut, *belg.* Driekleurige viool, wilde pensee, *dan.* Stifmoder, *suec.* Styfmorsfioler, *angl.* the three-coloured violet, Pansies, *gall.* Violette de trois couleurs, Pensée, *ital.* Viola di tre colori, *hisp.* Pensamientos, *lusit.* Amor perfeito, *polon.* Wdowki potroyny kwiat, *ross.* ТРОЬШНАЯ ТРАВА. *Icon.* Zorn T. 290. Affirmante *Mönchio* viola arvensis hac est pollentior. Aquae, quae cum herba viol. tricol. destillatur, innatat parca quantitas olei sapore subacri. Dat haec herba sicca extr. aquos. pr. $\frac{1}{2}$ recens $\frac{1}{8}$. *Vis.* Lotium pellit, felini instar. *Usus* contra crustam lacteam, herpetem. *Decoct. herb. viol. tricol. cum lacte* R. herb. viol. tricol. dr. ß coqu. c. lact. unc. jß. Col. d. mane et sero. Initio usus eruptio cutanea augmentatur. *Decoct. herb. viol. tricol. c. aqua* R. hb. viol. tricol. dr. Vj coqu. c. aqu. font. s. q. Col. unc. Vj d. omni bihorio cochl. j.

WINTERANUS CORTEX.

WINTERA AROMATICA.

Arbor ad fretum Terrae Magellanicae habitans.

Corticis frusta magna, tres, vel quatuor pollices longa, valde crassa, compacta, dura, extus rugosa, cinerea, aromatica, urentia, caryophyllacei, dum teruntur, odoris, et ejusdem, masticata, saporis.

Not. 313. Innotuit hic cortex 1578 celebri navium duce *Wintero*, a quo nomen accepit. *Icon* Winterae aromat. in comment. Götting. T. IX. t. 7. *Vis:* egregie stomachica, et analeptica. *Usus* in dyspepsia. *Dosis* pulv. scr. j-dr. ß. Vid. not. 86.

ZEDOARIA, RADIX.

KAEMPFERIA ROTUNDA, SEU AMOMUM ZEDOARIA BERGII.

Planta perennis Indiae orientalis.

Radix frustis partim oblongis, partim rotundis, griseis, acri-subamaris, aromaticis, camphoraceis.

Not. 314. *Germ.* Zittwerwurzel, *belg.* Blokzedoar, *angl.* the Zedoary, *gall.* Zedoaire bulbeuse. *Icon.* amomi zedoariae vid. in Berl. Jahrb. für die Pharmac. 1797. Continet rad. zedoariae olei aetherei ponderosi $\frac{1}{72}$-$\frac{1}{112}$ atque dat extr. aquosi amari et acris $\frac{1}{3}$ extr spirituosi calidioris et aromatici $\frac{1}{11}$-$\frac{1}{16}$. *Vis:* stomachica, carminativa. *Usus* in digestione lenta, et flatuum retentione dolorosa.

† *ZINGIBER*, *RADIX.*

AMOMUM ZINGIBER.

Planta perennis Indiae orientalis.

Radix tuberosa, tuberculosa, subplana, albocinerea, aut sublutea, compacta, resinosa, peracris, calida, aromatica.

Not. 315. *Germ* Ingwer, *belg.* Gember, *dan.* Ingefer, *suec.* Ingefara, *angl.* Ginger, *gall.* Gingembre, *ital.* Zenzero, *hisp.* Jenjibre, *lusit.* Gengivre, *polon.* Jembier, *ross.* ИНБИРЪ. *Icon.* Zorn T. 401. Libr. j rad. zingiberis dat olei aetherei dr. j. *Vis* stomachica, carminativa, solvens, sialagoga, dum masticatur radix. *Usus* in anorexia, concoctione laboriosa, dejectionibus biliosis pertinacibus, colica flatulenta. Profuit, dr. ß rad. zingib. intra solitum vas pro thea aquam fervidam infundere, et hoc infusum matutino tempore uno haustu bibere (*Small*). Inter aromata, quae cortici peruviano adduntur, ne ventriculum molestet, non inferiorem locum occupat Zingiber (*Heberden*). In odontalgia tinctura zingiberis gossypio instillata et gingivis applicata levamen eductione salivae aliquoties produxisse vidi. *Conditum zingiberis* exoticum praeferri debet ei, quod pistores dulciarii in Europa ex sicca radice conficiunt. Vid. not. 464.

Corpora ex Regno Animali.

AMBRA GRISEA, seu AMBRA VERA.

Substantia solida, opaca, subtenax, digitis tractata mollescens, oceani aquis innatat, et ad littus projicitur in variis Orientis regionibus, speciatim Madagascar et Sumatra. Excrementum probabiliter Physeteris macrocephali, animalium marinorum exuviis, praesertim Sepiae octopi rostris, refertum. Sit grisea, maculis et striis coloratis, odoris gratissimi, valde levis, ut aquae innatet, calore aquae bullientis fluat, olei instar facile accendatur et deflagret, vix ullo cinere relicto. Solvitur praesertim aethere sulphurico; etiam alcohole et oleis, cum aethereis, tum unguinosis.

Nos. 316 *Germ.* Ambra, *belg.* Ambergrys, *dan. & suec.* Ambra, *angl.* Ambregrease, *gall.* Ambre gris, *ital.* Ambra, *hisp. & lusit.* Ambar, *polon.* Ambra, *ross.* АМБРА. Occurrunt glebae ambrae varia magnitudine. *Rumphius* narrat, societatem mercatoriam orientalem, quae Amstelodami floret, possedisse globum ambrae pondere unc. 2912, et pretio fl. belg. 116400. Oriri dicitur haec substantia, ad modum calculorum biliariorum, morbosa partium affectione sub ano piscis, de quo sermo est in textu (*Philos. Transact. Vol.* 81). Non subigitur oleis unguinosis, magna autem ex parte aethereis (*Dörf-Jurc*). Dat aqua destillata oleum gratissimum, quod

superficiem petit. Augetur ambrae odor, aliis odoriferis ei adjectis. *Vis:* nervina, analeptica et diaphoretica. *Usus* in morbis nervosis, paralysi, et peculiariter in aesthesi organorum restauranda. *Dosis* pulv. gr. jV-scr j. *Pulvis ambrae moschatus.* (Essentia ambrae sicca Ph. Wirtemb.) R. Ambrae griseae dr. j moschi in spiritu rosarum solut. scr. β olei cinnamom. aetherei gutt. V sacch. albiss. unc. jj m. et serva in vase vitreo bene clauso. Dosis scr. β-j. *Trochisci de Ambra Ph. Wirt.* R. ambr. gris. scr. β olei cinnam. aeth. gutt. Vj mosch. gr. jV sacch. unc. X mucil. Tragacanth. q. s. f. trochisci minores. Corrigunt halitum oris et analeptice agunt. *Tinctura ambrae balsamica Dippelii* R. ambr. griseae, balsami peruviani ana dr. jj sal. tart. dr. Vj ter. et exacte misceant. in mort. marmor. add. sp. vin. rectificatiss. unc. jX dig. in fine augeatur calor ut mixt. ebull. et liquor tinct. a faecibus separatus filtr. Dosis gutt. XV-XXX. *Tinctura ambrae moschata aetherea* R. Ambrae griseae dr. j aether. sulphuric. unc. β, stent per hor. Xjj, saepe agitando; dein adde moschi dr. j spirit. sulphurico-aether. unc. jjj. Dosis gr. Vj-XXX. Laudatur praesertim in trismo neonatorum *(Schneider).* *Tinctura regia ph. parisin.* R. ambr. gris. scr. jj moschi scr. j zibeth. gr. X olei aeth. cinnamom. gutt. Vj — — lign. rhodii gutt. jV spirit. vin. odore flor. ros. et aurant. impraegnat. unc. jVβ. Solvatur ambra, leniter ebulliendo in hoc spiritu et deinceps volatiliora addantur. Dosis gutt. X-XXX e vino. Haec tinctura parca quantitate rebus odoratis adstillata illarum aroma mire exaltat.

† *AXUNGIA PORCI.*

Pinguedo abdominalis Suïs Scrofae L. recens, coloris albi, saporis blandi.

BEZOAR ORIENTALIS.

ANTILOPE ORYX ET PRAESERTIM CAPRA AEGAGRUS.

Lapides stomachici lamellatim concreti, laeves, politi, ex viridi nigricantes, in exigua ad centrum cavitate heterogeneam saepe substantiam continentes; in aquam conjecti, limpidum liquorem non turbent, nec pondere vel diminuantur, vel augeantur; chartae, creta oblitae, affricti, lineam ducant ex luteo-viridem.

Not. 317. *Germ.* Bezoarstein, *belg.* Bezoarsteen, *angl.* Bezoar, *gall.* Bézoard. Nomen persicae originis est, atque remedium anticontagiosum denotat. Mirum sane, hoc concrementum animale, quod sine dubio rebus aliis in pulveribus alexipharmacis *Angeli Salae*, *Lemerii*, ceterorumque, cum eo mixtis famam aliquam debet, nec ab hodiernis medicis tantum reprobatur, in hanc pharmacopoeam adhuc receptum esse. *Bezoar occidentalis* ex antilope oryce colligitur. *Bezoar de Goa* arte factum est ex terra quadam, ambra, moscho et mucilag. gummi tragacanthae. *Bezoar* orientalis in ventriculi bovis bufeli reperitur. Bezoar hi naturales aeque ac arctefacti in praxi hodierna jure prorsus negliguntur.

† *BUTYRUM INSULSUM.*

Pinguedo cremoris lactis vaccini probe subacti recens, sine sero inhaerente, odoris expers et saporis blandi.

Not. 318. *Germ.* Butter, *belg.* Boter *angl.* Butter, *gall.* Beurre. Paratur butyrum ex cremore lactis, caseo, et sero lactis separatis. Hoc oleum animale pingue celerius funditur sevo, lentius axungia, adipe piscium, plurimisque oleis plantarum unguinosis. *Vis* nutriens, emolliens. *Usus* praecipuus diaeteticus. *Butyrum herbis conditum* R. rut. graveol. salv. ana manip. jjj conc. misc. in urceo lapideo cum crem. lact. dulc. mens. jjj. Reponantur per horas 24, dein butyrum conficiatur, ut omnes sciunt, per linteum exprimendo transmittendum. Pulmonariis pani illitum profuisse dicitur *(Reyher)*. Ca-

taplasma emolliens D. Fuld. R. micae panis siliginei unc. Vjjj butyri insulsi recent. unc. jj lact. vaccini unc. Vjjj coqu. invicem ad consistentiam cataplasmatis. Relaxat hoc cataplasma tumores inflammatos, eos tam ad resolutionem, quam ad maturationem, cum evitari nequeat, suaviter disponens.

CANCRORUM CHELAE.

CANCER PAGURUS.

Denticulatae forcipes, seu articulorum anteriorum partes extremae.

Not. 319. *Germ.* Kreebsscheeren, *belg.* Kreeftschaaren, *angl.* Claw of a crab, *gall.* Patte d'écrevisse. Non video, qua de causa cancrorum chelae ad officinas admittuntur, eorum lapidibus receptis. *Conchae ostrearum* (*germ.* Austerschaalen, *belg.* Oesterschulp, *angl.* Oyster shell, *gall.* écailles des huitres) instar omnium simplicium calcareorum considerari possunt. Purae sunt et nullis particulis heterogeneis inquinatae. Corallia rubra, et alba, testae ovorum, et farrago similium oblivioni tradantur. *Vis* absorbens. *Usus:* in soda.

CANCRORUM LAPIDES, VULGO CANCRORUM OCULI.

CANCER ASTACUS.

Lapilli crustacei calcariae indolis, ad ventriculum cancrorum fluviatilium generati, duri, albi, orbiculati, pisorum et lentium, non raro fabarum magnitudinis, una parte compressi et sinuati, altera convexi, acido nitrico solubiles, relicta gelatina lapillorum formae, qua nota a factitiis dignoscuntur.

Not. 320. *Germ.* Krebssteine, *belg.* Kreeftsteene, *angl.* Crabs eyes, *gall.* Yeux d'écrevisse. Construuntur

lamellulis cum pauxillo gelatinae intermixtis. *Vis & usus.* Quod in nota antecedente dictum est, et hic valet.

† *CANTHARIDES, seu MUSCAE HISPANICAE.*

MELOË VESICATORIUS, seu LYTTA VESICATORIA Fabricii.

Insecta, Europae inprimis meridionalis indigena, coleoptera, oblonga, colore ex viridi aureo, splendentia, antennis filiformibus nigris, recentia odoris acris, ingrati, fere instar Picis liquidae, ac saporis acerrimi. Eligantur lineas octo vel novem longa, recentia, foetida, non pulverulenta.

Not. 321. *Germ.* Spanische Fliegen, *belg.* spaansche Vliegen, *angl.* Cantharides, *gall.* Cantharides. Principium acre cantharidum, quod resinae naturam refert, plane spiritu vini extrahitur, nec autem aqua educitur, sive coquantur sive destillentur cum ea, etsi odore insectorum impraegnetur. Destillatio sicca erogat liquorem empyreumatico-ammoniacalem, oleum empyreumaticum et carbonas ammoniae, relicto carbone fatuo. Unc. jjj cantharidum continebant carbonatis ammoniae dr. jjj. *Beaupoilus* extraxit his lyttis materiam nigram sola aqua solubilem, maxime deleteriam, pinguem autem et viridem solo aethere et alcohole evellendam *(Alibert)*. *Vis:* Violenter diuretica. Cantharides efficiunt crebrum lotium mittendi desiderium, collum vesicae urinariae sub ardoris sensu irritantes, et praeter hoc dysuriam, ischuriam nec non haematuriam cum priapismo. Nimia dosi deglutita, evacuationes dysentericae observatae sunt, et motus febriles, immo quibusdam funestae fuere muscae hispanicae. Prisci eos sanguinem attenuare et dissolvere arbitrati sunt. *Externe* applicatae non raro similes effectus edunt in organo, quo urina

excernitur, cuticula in vesicam elevatá, unde nomen vesicatoriarum nactae sunt. Lotii suppressi pellendi causa cum vir quidam gr. jV pollinis cantharidum deglutivisset, e vita discessit, summis ventris torminibus praegressis (*Schenkius*). Ad vera aphrodisiaca non potest referri lytta vesicatoria, nam si illa admittantur, potius particulis nutritiis agunt, et aromate, quod in genitalia penetrat, quam vi diuretica. *Usus:* in hydrope, incontinentia urinae, aut ejus retentione paralytica, in gonorrhoea inveterata et hydrophobia. *Dosis* Fiat initium cum quarta grani parte cantharidum pulveratarum et caute augeatur hoc praebium. *Emulsio cantharidum Herwigii.* R. amygdal. excorticat. unc. j cantharid. dr. j sacchar. alb. unc. ß. In mortario lapideo probe conterantur et lenta aquae calidae q. s. affusione paretur emulsio unc. X. Colet. sine expressione. Dosis omni bihorio cochl. j. Alii tantum gr. X cantharidum ad hanc emulsionem admittunt. *(Journ. der Erfind. VII. St.) Pilulae Werlhoffii contra hydrophobiam* R. pulv. cantharid. gr. j hydrargyr. muriatic. mit. vel turpeth. miner. gr. ß mucilag. gummi tragacanthae q. s. Vulnere scarificato, et unguento mercuriali simul infricato, dedit autor hanc dosin vespertino tempore per plures septimanas. (*Werlhoffii Opera edit. Wichmann. pag.* 699). *Pilulae cantharidum sine mercurio contra hydrophobiam* R. cantharid. gr. Vj sacchar. alb. gr. XLVjj cinnamom. gr. Xjj syrup. rosat. q. s. ut f. pilul. 30. Dosis. Infanti unius anni omni bihorio pil. j, quadrienni eodem intervallo pil. jj adultis pil. Vj. Vulneri applicatur emplastr. vesicatorium, atque suppuratio in eo ope unguenti digestivi promovetur. In auxilium adhuc vocantur balnea tepida et quidem frequenter repetita. *Pilulae cantharidum cum opio* R. opii pur. gr. j cantharid. gr. ß mucilag. Tragacanth. q. s. Detur pilul. j mane et vesperi in hydrope. Notatu dignum censeo, hic et alibi, si heroica remedia pilulas intrant, nimiam earum duritiam evitandam esse, ne longa mora et incerta dissolutione aegris insidias struant. *Electuarium magnanimitatis Zwölferi*, compositum absurdissimum, continet cantharides ut basin (nro. Xjj in dr. 29). *Extispicia* cantha-

ridibus incaute datis membranae intestinorum excoriantur. Inflammatio oritur cum insequenti suppuratione et ipsa gangraena in ventriculo et vesica urinaria (*Alibert et Tralles*). *Antidota.* Emeticum, potus mucilaginosi, balnea tepida, injectiones lenientes in vesicam urinariam, opium. Ne decipiantur miseri pruritu ad coitum fraudulento. Vid. not. 484. 549 et 570.

CASTOREUM SIBERICUM seu RUSSICUM.

Huic etiam annumerantur Polonicum, Borussicum et Germanicum.

In folliculis majoribus, prope genitalia Castoris Fiberis L. sitis, ovi gallinacei magnitudinem aequantibus, intertextum membranulis tenuioribus, venale prostat. Siberinum autem, omnibus aliis speciebus anteferendum, sit ponderosum, in magnis folliculis turgescentibus inclusum, membranulis tenuibus intertextum, friabile, non autem totum exsuccum, hepatici coloris, odoris fortis, saporis amari-acris. Anglicanum hinc rejiciendum.

Not. 322. *Germ.* Bibergeil, *belg.* Bevergeil, *dan.* Baevergel, *suec.* Bäfvergäll, *angl.* Castoreum, *gall.* Castorée, *ital.* Castorio, *hisp. & lusit.* Castoreo, *polon.* Stroy bowroy, *ross.* БОБРОВАЯ ШРУЯ. Coctione cum aqua iterata ex uncia dimidia castorei educuntur gr. 70 extr. crassi, brunnei, amariusculi, paulum adstringentis, odore castorei, atque digestione cum alcohole in balneo arenae gr. 45 extr. resinosi fusci. Residuum est principium albuminosum. Spiritu muriatico aethereo sat bene solvitur. Destillatione sicca evadunt ex unc. j gr. 195 liquoris aquosi, empyreumatici, ammoniacalis, odore castorei, gr. 120 olei empyreumatici acris et rubicundi, gr. 52 fluidi elastici ex $\frac{2}{3}$ gasis carbonici et $\frac{1}{3}$ gasis hydrogenii carbonati conflati. Resi-

dnum gran. 113 constat ex gr. 58 carbonii et gr 55. cineris ex carbonate calcariae, magnesia et soda compositi, (*Haasy*. *Vis* antispastica, incitans. Pericula recenter cum castoreo simplici instituta non parum famam diminuerunt, quam hic succus animalis, plerumque cum aliis remediis mixtus, apud medicos veteres nactus est. *Usus* praecipuus in affectibus hystericis. *Dosis* pulv. gr. X-XXX et pulveris forma in castoreo aegris porrigendo optima censetur.

† *CERA FLAVA ET ALBA.*

APIS MELLIFICA.

Cera flava. Cera cruda, ab apibus, insectis hymenopteris, secreta, et in apiaria deposita, solidam favorum substantiam constituit; iisque, separato antea melle, aqua fervida liquefactis, obtinetur.

Cera alba. Cera per aprication em, sub frequente aquae adspersione, colore flavo orbata et indurata.

Not. 323. *Germ.* Wachs, *belg.* Wasch, *dan.* Vox, *suec.* Vax, *angl.* the Wax, *gall.* Cire, *ital. hisp. & lusit.* Cera, *polon.* Wosk, *ross.* ВОСКЪ. Cera flava, ЖЕЛТЫЙ ВОСКЪ; cera alba, ВОСКЪ ЯРОВЫЙ ИЛИ БѢЛЫЙ. Alcohole et aethere sulphurico ope caloris solvitur cerae $\frac{1}{16}$, ex qua autem non parum exposit fundum rursus petit. Aqua non multum e cera extrahitur. Principium ceriferum, quod tanquam vernice amicit plures fructus, ut pruna, et observante meritissimo equite ab Humboldtio ceroxylon andicolam modo corticis ambit, apes praesertim ex polline plantarum colligunt. Liquescit cera ad gr. 140 Th. F. *Vis:* involvens, conglutinans, non otiosa balsamica virtute expers. *Usus: Externus* maxime vulgaris. Vid. not. 239. Pileola pro obtegendis papillis mammarum excoriatis

ceracea parvi momenti sunt, cum cito mollescant. Globulis ex cera vasis laesis admotis haemorrhagia a dente evulso et ea, quae paracentesin insequebatur, feliciter constitit. Sunt autem, qui ceram *interne* quoque in dejectionibus dysentericis praecipere consuevere. *Emulsio cerata* R. cerae flavae rasae dr. j℈ sapon. hispan. dur. et rasi scr. j aquae pur. dr. j. Liquescant leni igne et assidue agitentur, donec invicem coëant; effusis dein in mortarium lapideum sensim adde aquae commun. unc. Vjj-Vjjj, aquae nuc. moschat. unc. j sacchar. alb. q. s. ad gratum saporem. Per unam diem sumatur cochleatim (*Monro & Pringle*). *Hoffmannus Moguntinus* dedit utiliter mixtionem ceraceam, quam composuit ex cera fusa, cum mucilagine gummi arabici calida et aqua frigida contrita. *Dispensatorium Fuldense* emulsionem Monroanam cum decocto althaeae parari nec inconcinne jubet. *Electuarium cerae* R. cerae flavae unc. ℈ olei amygdal. unc. j℈; calore fusis adm. conserv. rosar. unc. jj. Dosis quater de die cochlear. duo parva. *Electuarium sanans Fulleri* R. sperm. ceti dr. j cerae citrinae dr. jjj olei amygdal. dulc. unc. j; liquentur simul et amotae ab igne agitentur, usque dum fere refrixerint et consistentiam idoneam acquisiverint, dein misce in mortario cum rosar. rubr. dr. j℈ mell. unc. j ut f. electuar. Proficuum esse contra tussim, oris et ventriculi erosionem, aphthas, dysenteriam etc. autor affirmat. Dosis dr. jj-dr. jjj. — Hic locum habeat *cera arborea Ph. Wirt.* R. cerae citrin. resin. pini colophon. ana libr. ℈ terebinth. vulg. adip. suill. ana unc. jj. liquesc. et col. Utuntur ea hortulani ad insitionem et laesiones arborum.

COCCIONELLA.

COCCUS CACTI.

Insecta parva, hemiptera, atro-purpurea, striis transversis notata, pulvere quasi albido conspersa; in pulverem trita laete coccinea; ex

America meridionali, inprimis Mexico, allata et Cactum cochinelliferum L. inhabitantia.

Not. 324. *Germ* Cochenille, *belg.* Cochenilje, *dan. & suec.* Koskenillen, *angl.* the cochineal insect, *gall.* Cochenille. Innotuit hoc insectum Europaeis versus annum 1526. Coccus polonicus idem pigmentum continet, ast minori quantitate. Tinctorum plus interest hoc insectum quam medicorum, qui parum vel nihil hodie illius efficaciae confidunt.

CORNU CERVI.

CERVUS ELAPHUS.

Cornua solida, ramosa, ab aliorum ruminantium cornibus facile distinguenda.

Not. 325. *Germ.* Hirschhorn, *belg.* Hertshoorn, *angl.* Hartshorn, *gall.* Corne de cerf. Gelatina, quae e cornibus cervi coctione extrahitur, a qualibet alia ex ossibus educta revera non differt. Videntur phosphata calcariae: *cornu cervi sine igne praeparatum, et ustum* a veteribus usitata, inter recentiores medicos aliquam existimationem recuperare. Abundabant olim pharmacopolia similibus, ut: ebore, lapide manati (osse petroso tricheci manati) cornu alcis, lapidibus percarum, mandibulis luciae etc. ne cranio humano excepto. *Vis* nutriens, restaurans. *Usus*, in tabe, et quolibet morbo, in quo vires subito consumuntur. *Decoctum album* R. corn. cervi et mic. panis albiss. ana dr. jj coqu. c. aqu. font. libr. jjj. Col. libr. jj d. et sacch. q. lubet edulcoret. *(Sydenham). Idem decoctum c. gummi mimosae* R. corn. cerv. ras. dr. Vj coqu. leni igne c. aqu. font. unc. 36. In colat. unc. 24 solve pulv. gummi mimosae dr. jj *(Trommsdorff neue Pharmacop.) Ptisana alba* (Tisane blanche) R. pan. albiss. unc. jj corn. cervi ras. dr. jj coqu. c. aqu. font. libr. jV colat. libr. jj adm. syrup. althaeae unc. j *(Formul. pharmaceutique).* Vid. not. 469.

† *FEL BOVINUM.*

BOS TAURUS DOMESTICUS.

Ex vesicula fellea mactati Bovis Tauri recens colligitur.

Not. 326. *Germ.* Ochsengalle, *belg.* Stiere-gal, *angl.* Ox-gal, *gall.* Fiel de boeuf. Aqua plane solvitur fel tauri, ex solutione antem in alcohole facta deponitur principium albuminosum peramarum. Nec cum kalinis effervescit, nec cum acidis, sed posterioribus inspissatur. Oleis unguinosis exacte unitur, nec itidem cum aethereis. Destillatione ex bile educuntur liquor aquosus cito putrescens, gas carbonii, et hydrogenii carbonati, ammonium, oleum empyreumaticum, et carbo, ex soda et phosphate calcis compositus. *Vis* stomachica, antacida, anthelmintica, motum intestinorum tardiorem accelerans. *Usus* in anorexia, obstructione hepatica, colluvie verminosa. *Dosis* bilis tauri recentis pluries de die unc. ß. In vino malvatico soluta sapore fit minus nauseoso. *Fel tauri inspissatum* R. fell. taur. recent. q. v. evaporet in balneo aquae ad extracti spissitudinem. Ita decoctum longius putredini resistit, ad quam pronissimum est. Dosis aliquoties de die dr. ß. Plerumque pilulis amaris admiscetur. *Pilul. ex felle tauri cum asa foetid.* R. fell. taur. inspissat. asae foetidae ana q. s. m. f. pilul. Dosis: ter de die scr. j. In soda a perversa liquorum menstruorum secretione probatissimae *(A. G. Richter)*. Externe saepius additur linimentis anthelminticis. Vid. not. 548. *Linimentum ex felle tauri resolvens* R. fell. tauri recent. q. v. natr. muriatic. olei nuc. jugl. ana q. s. ad consistentiam. In reserandis tumoribus scrophulosis aestimatur *(Hufeland)*. *Injectio felleq* R. infus. hb. saponar. unc. jjj fell. vitul. dr. j gumm. ammon. gr. X. m. solv. terendo. Purgat meatum auditorium *(Lentin)*. *Globuli carminativi Ph. Wirt.* R. sapon. venet. unc. jj, fell. taur. sem. cumini, saccharl. alb. ana unc. j nitr. crud. unc. ß f. globuli diversae magnitudinis. Adhibentur, ut alvus aperiatur et flatus educantur, tanquam suppositoria.

† *ICHTHYOCOLLA, COLLA PISCIUM.*

Ex diversis Accipenseris Sturionis partibus, praesertim vesica natatoria dicta, coctione et inspissatione parata, et varie convoluta; sit alba, sicca, tenax, diaphana, in aqua et spiritu vini solubilis.

Not. 327. *Germ.* Hausenblase, *belg.* Huisenblas, *dan.* Hüusblas, *suec.* Husblas, *angl.* the icinglafs, *gall.* Colle de poisson, *ital.* Colla di pesce, *hisp.* Col-pez, *lusit.* Cola de peixe, *polon.* Kleyrybi, *ross.* РЫБЪ ЛЕПЪ. Maxima ex parte Ichthyocolla ex gelatina animali componitur. Parte una illius in aquae partibus 24 vi caloris soluta, gelatina exoritur post refrigerationem pellucida mucilaginem referens. Solvitur etiam haec colla spiritu vini calefacto. *Vis:* nutriens, demulcens. *Gelatina ichthyocollae* R. ichthyocoll. unc. jj; immissis lebeti stanno rite obducto affunde aquae frigidae unc. jV. Solutione leni calore agitando peracta, adde iterum aquae unc. Vj et sacchari unc. jV-Vj. Magmati denuo ebullienti adde vini albi gallici unc. X. Spuma supernatante hauriendo ademta, gelatina patellis porcellanicis infusa reponatur in loco frigido, a gelatina cornu cervi nullo modo diversa. Pro re nata succi citr. unc. j-unc. jß et elaeosacchari citr. unc. ß-jß antea addi possunt. Fit quoque gelatina gratissima admixtis solutioni unc. jj ichthyocollae cum aquae unc. Vjjj peractae gelatinae ribesiorum rubr. vel rubi idaei vel cerasorum unc. 24 *(Dörffurt). Injectio ex ichthyocolla cum myrrha* R. ichthyocoll. q. s. ut f. liquor glutinosus rita spissitudine; solv. in aquae dest. unc. Vj adde liqu. myrrh. dr. j. Laudatur haec injectio in vesicae urinariae exulcerationibus *(Lentin)*.

† *MEL ALBUM ET MEL COMMUNE. APIS MELLIFICA.*

Habetur ope secretionis, mel saccharinum,

spissum, subpellucidum, in apiaria depositum, suaviter olens.

Mel album seu virgineum, sponte e favis exstillans.

Mel Commune, praevia expressione prolicitum.

Not. 328. *Germ. & belg.* Honig, *dan.* Honning, *suec.* Häning, *angl.* Honey, *gall.* Miel, *ital.* Mele, *hisp.* Miel, *lusit.* Mel, *polon.* Miod, *ross.* МЕДЪ. Odor mellis diversus a floribus ex parte dependet, quorum nectaria apes exsugunt. Allium urbinum e. g. cum eo communicat nauseosum. Mel, acido excepto, quod in eo minus obtunditur, parum a saccharo discrepans, solvitur ut hoc in aqua et spiritu vini. *Vis:* diluens, tenellis laxans, nutriens. *Usus* in catarrho, segnitie alvi; *externe* in maturandis abscessibus et anginis adhibetur, et clysmatibus eccoproticis additur. Quaedam unciae per menses et annos omni die sumtae asthma chronicum mitigarunt. *Hydromel Ph. Wirt.* R. mell. despum. unc. jj aqu. font. libr. jj coqu. et despument. donec supersint libr. jß col. *Vinum e melle* (*germ.* Meth) R. mell. in favis unc. 56 aqu. commun. libr. 48 coqu. donec supersint libr. 38. Fermentationi subjiciantur in cado per hebdomades quatuor aut sex. Dein alii cado immittantur atque simul nuc. moschat. nro. j et ichthyocollae dr. jj. Praeterlapsis quatuor vel sex septimanis in vitris servetur vel vase ligneo. Mel cum terebinthina simplicissimum efficit remedium ad ulcera detergenda vigoremque in eis exsuscitandum. *Ceromel* R. cerae alb. vel flav. p. j mell. p. jV m. Aliis pluribus emplastr. et unguent. substitui potest in obtegendis et consolidandis ulceribus *(Wylie).*

MILLEPEDAE.

ONISCUS ASELLUS.

Insecta aptera, succo acri scatentia, in locis

humidis subterraneis frequentia, oblonga, plumbea, vel pallide cinerea, infra albicantia, cincta annulis squamosis, invicem articulatis, pedibus instructa quatuordecim, antennis duabus setaceis, cauda acuminata bifida, et irritata in globulos se convolventia.

Not. 329. *Germ.* Kelleresel, *belg.* Pissebedden, Muurvarken, *dan.* Skrukketrold, *suec.* Gräsugga, *angl.* Woodlouse, *gall.* Cloporte, *ital.* Centogambe, *hisp.* Cientopies, *lusit.* Centopea, *polon.* Stonog, *ross.* ПОГРЕПНОІ ЧЕРВЪ. Ex unc. j millepedarum exprimitur succi quarta pars. Dant aqua coctae gelatinam, et destillatione sicca ammonium. *Vis:* diuretica. *Usus* in hydrope et asthmate hodie a plurimis nec inconsulte negligitur, datae enim sunt per diem ducentae millepedae sine ullo effectu, qui si forsan adfuit, remediis eis additis potissimum tribui debet *(Cullen)*. Praefertur succus millepedarum expressus, de quo aegris porrigitur aliquoties per diem unc. β. *Conserva millepedarum Ph. Wirt.* R. millep. viv. libr. j sacchar. albiss. libr. jjβ contund. in mortar. marmor. et in vase vitreo vel porcellano serventur. Dosis dr. j-jj.

MOSCHUS TUNQUINENSIS.

MOSCHUS MOSCHIFERUS.

In folliculo proprio, pone umbilicum protuberante, secretus, refertur ad Moschum moschiferum, animal ex ordine Pecorum, Asiae mediae montes inhabitans. Substantia sit obscure rubra, aut e ferrugineo nigrescens, grumosa, sicca, unctuosa, subamara, fragrantissima, vesiculis seu folliculis turgidis inclusa, tenuibus, rotundis, ovum columbinum magnis,

obsessis pilis brevibus, undulatis, rufis, intus membranula fusca tenera vestitis.

Qui ex folliculis exemtus venditur Moschus, a Pharmacopoeo non recipiatur, utpote plerumque adulteratus.

Not. 330. *Germ.* Bisam, *belg.* Muskus, *angl.* Musk, *gall.* Musc, *ross.* МЬСКУСЬ. Moschus laminae candenti iniectus fere totus avolat. Ex granis centum pulveratione comminutis restant gr. 55-76. Aqua, quacum destillatur, odore illius impraegnatur, minus alcohol, qui, cum eo digestus, tertiam partem, cum eo coctus quartam solvit. Aether sulphuricus et muriaticus propemodum nullum residuum ut menstrua ex moscho deponunt. Aqua interdum eluit $\frac{9}{10}$. Erutae sunt ex moscho tunquinensi, de quo hic sermo est, cerae part. 0,09 resinae p. 0,01 — glutinis p. 0,60 — principii albuminosi et fibros. p. 0,30. Praeter has partes $\frac{1}{10}$ ammonii destillatione cum potassa et aqua abrepta fuit (*Thiemann*). Interdum moschus tunquinensis colore flavo-fusco tingitur, licet non possit vituperari (*Bucholz*). Pulveratione moschi sicci color obscure fuscus in badium mutatur (*idem*). Tinctura ad gr. 20 Th. R. extracta consequitur colorem fusco-rubrum, ardorem quemdam, et odorem moschi. Tinctura ex moschi gr. 24 cum spirit. vin. fervid. per tres horas digestis badia fuit, ardorem in lingua excitavit, et odorem fortem dispersit soluti, de quo tantum granum unum aërem petiit (*Bucholz*). Apparet ex periculis memoratis, ammonium e moscho eructans non esse indicium, quod pharmacum sit adulteratum, nec autem suspectum esse ob ejus absentiam, cum sensim avolet. Indi explorant genuinam moschi indolem non solum tactu et gustu, sed etiam filo succo allii humectato, quod, acu per sacculos moschiferos veros transductum, sapore alliaceo privari dicunt. *Vis.* Praestantissimum censetur moschus antispasticum. Summe et diffuse incitat, pulsum elevat, sub caloris incremento, atque omnes accelerat functiones animales. Diaphoresin promovet. *Usus.* Conducit

in variis morbis nervorum chronicis, et lenit, nisi fallor, eximie convulsiones, quae enormes haemorrhagias sequuntur. Compescit nimium vomitum, initio febrium exanthematicarum, nulla inflammatione stipatum, nec colluvie primarum viarum auctum, gase acidi carbonici frustra dato. Saepissime singultum, tremores artuum, et subsultus tendinum sedavit, qui febres nervosas comitantur, si pulsus contractns est, duriusculus et irregularis *(P. Frank)*. Detur tunc scr. j immo major dosis. In genere vix effectus exspectari potest a moscho in adultis, nisi saltim grana sex pro *dosi* illis propinentur. Non praetereundum esse puto, hystericas quasdam moschum respuere, licet aliae illum bene perferant *(J. S. Frank)*. *Mixtura moschata Ph. L.* (1788) *olim Julepum e moscho* R. aqu. ros. unc. Vj mosch. scr. jj arab. gummi in pulv. triti sacchar. purificat. ana dr. j. Moschum tere primum c. saccharo, dein cum gummi; et gradatim adde aquam rosae. Dosis unc. j-jß. *Julapium moschatum Ph. paup. Ed.* (1758) R. aqu. alexiter. unc. Vj spirit. oleos. dr. jß mosch. dr. ß sacch. alb. unc. ß. M. Dosis quater de die unc. j. *Pulvis tunquinensis* R. moschi gr. XVj cinnabaris nativi gr. Xjj. Sumitur in China cum cochl. j spiritus contra hydrophobiam a morsu canis rabidi. Ejus loco *Pideritus* pulverem composuit ex mosch. gr. XVj rad. valerian. sylv. scr. j et camphor gr. Vj. *Pilulae moschi ammoniatae* R. mosch. gr. Vjjj ammon. carbonici pyro oleosi gr. V m. f. c. mucilag. gummi mimosae pilul. Usu repetito secundum *Caroli Whitei* exemplum sphacelum totius brachii sanavit *Lentinus;* nec dubium est, hunc sphacelum illi, qui senum pedes depravat, et opio non raro curatur, similem fuisse. *Globuli moschati albi Ph. Wirtemb.* (Bisamkugeln) R. sacch. canariens. unc. Xjj, amyli albi unc. ß, rad. irid. florent. dr. jj, moschi optim. gr. jV zibethi gr. j c. mucil. g. tragacanth. f. globuli diversae magnitudinis. Nonnulli massam laccae pictoriae unc. ß tingere solent, atque *globulos mosch. rubros* exinde conficiunt. Ut suppositoria adhibentur. Vid. not. 316.

PHOSPHORUS.

Acidi phosphorici basis inflammabilis, albida, subdiaphana; aëri exposita cum vaporibus lucidis lente comburitur, in acidum phosphorosum mutanda; aqua insolubilis, solvenda tamen in aethere, oleis aethereis et unguinosis.

Forma cylindrica venalis prostat, sub aqua depurata, aëre privata, vase pleno et exacte clauso, in loco obscuro servanda.

Not. 321. Phosphorum primus fecit *Brandtius* mercator Hamburgensis anno 1677. Nostro tempore venalis prostat in officinis chemicis. Partes centenae ossium continere solent phosphori partes sedecim, qui destillatione ex acido phosphori cum carbone parari solet. Nec aqua sola nec solo alcohole solvitur. Aetheres tenent $\frac{1}{200}$. Olea aetherea praesertim oleum caryophyllorum similiter fere eum recipiunt. Vid. not. 337.

† *SEVUM OVILLUM.*

OVIS ARIES.

Pinguedo abdominalis recens, non rancida.

Not. 332. *Germ.* Schaaftalg, *belg.* Schaaptalke, *angl.* Sheap suet, *gall.* Suif de brebis, *ross.* БАРАНЬЕ САЛО. Locum tenet sevum ovillum cervini ceterorumque, sicut axungia porci fere omnibus aequiparari potest, quae olim officinas onerabant, rancoris quasi aemulae.

SPERMA CETI.

Dubiae originis.

Prout venale occurrit, substantia est pinguedinosa, alba, squamosa, tenera, mollis, quasi

ex parvis squamulis furfuraceis composita, saporis oleosi, odoris unctuosi. Sit candida, pinguis, recens, non flava.

Not. 333. *Germ.* Wallrath, *belg.* Walschot, *angl.* Sperma ceti, *gall.* Blanc de baleine. Cetaceum Ph Boruss. Reperitur haec massa in fovea superficiei externae capitis physeteris macrocephali *(Pottfisch)*. Partes 150 alcoholis solvunt partem unam cetacei. Aethere sulphurico quoque aliquid ex eo recipitur. Medici certissime eo carere possunt, et eo magis, quo citius rancorem contrahit. Olim saepissime medici id adhibuerunt cum mucilagine aut vitello ovi contritum in tussi catarrhali sicca. *Emplastrum cetaceum Ph. Boruss* R. cerae alb. sevi ovill. ana libr. j cetacei libr. β massam leni igne liquatam effunde in cistulas papyraceas. Imponi solet mammis, infantulis a mamma desuefactis, et mitius est empl. de spermate ceti veterum. *Unguentum ex spermate ceti* R. sperm. ceti unc. β; leni igne in mortario lapideo fuso adde olei amygdal. unc. j olei aeth. lavendul. gutt. XX — — Bergamottae gutt. X — — caryophyll. gutt. jj. Emollit cutim, atque impedit, quominus tempore hiberno dehiscat.

† *SPONGIA MARINA.*

Spongia haec, quae OFFICINALIS *L. est Zoophyton maris mediterranei, et maris rubri. Eligatur sublutescens, mollis, foraminibus exiguis pertusa.*

Not. 334. *Germ.* Badeschwamm, *belg.* Spons, *angl.* Sponge, *gall.* Eponges. Spongia, in carbonem rite redacta, continet 0,35 carbonis animalis, 0,18 carbonatis calcariae, 0,10 carbonatis magnesiae, 0,19 muriatis sodae, 0,03 ferri, 0,05 principii extractivi, et 0,08 phosphatis calcariae. Quae si tam modice comburitur, ut ex fibris composita adhuc esse putetur, sat magnam copiam carbonatis ammonii et borussiatis ferri comprehen-

dit. *Vis:* diuretica, vasa absorbentia incitans *Usus.* Laudatur spongia usta in tumore glandulae thyroideae, quem strumam dicunt, discutiendo, et infarctibus scrophulosis solvendis. *Dosis* pulv. gr. X-XXX. Sunt, qui putent actionem pulveris promovere, cum fere sine aqua et siccus deglutitur Plerumque pulveri alia remedia nec inefficacia adduntur, quae effectum spongiae incertum reddunt. Simplior *pulvis strumalis* componitur ex partibus aequalibus spong. ust. et lapid. spong. calcinat. Dosis dr. β-scr. jj (*Vogler*). Lapides spongiarum vel ex hoc zoophyto colliguntur vel ex cellepora spongite (*Besl. Mus.* 28). *Trochisci ex spongia usta Wyliei* R. spong. ust. unc. j pulv. g. mimos. nilot. dr. j cort. lauri cinnam. gr. XV syr. cort. citrin. aurant. q f. ut f. massa longiori et lenta trituratione addito sensim sensimque syrupo subigendo, ex qua formantur trochisci 24, super patinam oleo illitam siccandi. Quotidie summo mane unus ore continendus, donec solutus fuerit, dein gradatim devorandus. Illinitur simul fell. taur. rec. unc. j muriat. sod. unc. β aqu. tepid. unc. j olei olivar. unc. ß. Imponitur dein empl. oxyd. plumb. semivitr. unc. ß, cum muriat. hydrargyr. oxydul. dr. j tartari stibiati et potass. gr. X. Praemittantur pulveres ex mercur. dulc. gr. j muriat. ferri ammoniat. rhei ana gr. jV spong. ust. gr. X cort. laur. cass. gr. jj c. syrup. quodam sumendi bis in hebdomade. *Decoctum spongiae ustae* R. spong. ust. unc. β decoqu. cum aquae libr. j, donec supersunt unc. Vj. Dosis: aliquoties de die unc. j. — Spongia, qua vulgo quaelibet immundities abstergi solet, ulceribus impuris, et pure abundantibus imposita sordes eorum attrahit, atque progerminationi favet papillarum carnearum.

REGULAE PRO COLLIGENDIS, AD USUM PARANDIS ET SERVANDIS CORPORIBUS, IN MATERIA PHARMACEUTICA ENUMERATIS.

1. Sint corpora in materia pharmaceutica memorata, vulgo MEDICAMENTA SIMPLICIA dicta, sincera, minime adulterata et optimae notae, ut characteribus unicuique eorum adscriptis respondeant.

2. Quae aliunde habentur, emat ea forma Pharmacopola, qua de nativis characteribus possit constare, ne pro genuinis adulterata ad usum recipiat. Etiamsi ergo ex Regno Minerali terrestria, metalla horumque praeparata; ex Regno Vegetabili radices, cortices aliaeque plantarum partes, gummi porro, resinae etc.; ac ex Regno Animali cancrorum chelae et lapides, cantharides similiaque, pulverum forma adhibeantur, illa tamen integra sibi comparet, non pulverata, sed, si opus, haec ipse in pulverem redigat; non autem eorum remediorum, quae volatili gaudent

principio, magnam simul pulveris copiam paret. Exemplo sint radices Ipecacuanhae, Rhei etc. Licet enim haec vasis rite clausis serventur, vase tamen identidem aperto, magnum patiuntur virtutis suae detrimentum.

3. In pulverem redigantur quaevis dura:

(*a*) Sola tritura in mortario lapideo, vel metallico, pulveremque per cribrum quam minutissime cernendo. Prae reliquis ita præsto sint

Oxydum cupri.
Sulphuretum stibii nativum.
Cancrorum chelae et lapides.

(*b*) Nonnullis, ob nimis facilem particularum dispersionem, pauxillum aquae, dummodo haec ipsorum viribus non noceat, et sequente exsiccatione diffletur, sub tritura addere convenit. Exemplo est

Succinum.

(*c*) Tenacia, antequam in pulverem converti possunt, leni calore arefactionem postulant. Talia sunt

Arabicum gummi.
Guajaci resina.
Opium.
Myrrha.
Tragacanthae gummi.
Scammonium, SIMILIAQUE.

Nulli horum sub tritura amygdalae, aut harum oleum, propter rancorem facile contrahendum, admisceantur.

4. Quaecunque in officinas pharmaceuticas admittuntur, a sordibus et alienis adhaerentibus pro uniuscujusque varia indole caute purgentur. Cribrum, pannus, vel flatus saepe huc sufficiunt, aliquando encheiresi operosiori opus est.

Gummi-resinae, ut Ammoniacum gummi, aliaeque eum in finem contusae, ac cum pari pondere aquae ferventis leni coctione emollitae, per pannum linteum premendo colentur, ac colatae leni igne ad pristinam spissitudinem redigantur. Tali etiam modo opium, dupla aquae calidae quantitate emollitum et colatum, lenissimoque calore inspissatum, in officinis prostet titulo

Opii depurati, seu Laudani puri

Mel crudum cum pauxillo aquae bulliat et spuma ablata dein coletur, dictum

Mel despumatum.

Aliorum depuratio suo loco sectione sequenti traditur, ut sunt:

Acidum acetosum.
Acidum nitricum.
Acidum sulphuricum depuratum.
Axungia depurata.
Carbonas calcis.
Murias ammoniae.

Murias sodae.
Nitras potassae.
Oxydum zinci nativum.
Phosphorus depuratus.
Sevum depuratum.
Sulphas magnesiae.

5. Quae Pharmacopola ex indigenis vel ipse colligit, vel colligenda curat, legantur juxta leges artis eo loco, anni ac dieï tempore, nec non tempestate illa, quibus singulorum virtus medica maxime efficax est. (*a*)

6. Recens collecta a marcidis, corruptis, ac erosis, nec non sordibus et quibuscunque alienis probe liberentur.

7. Recens collecta, quae siccanda sunt, siccentur in aëre libero quam citissime, et in loco obscuro, vel calore radiorum solarium, vel furni igne leni; quod ultimum inprimis de aromaticis dictum sit, ut non solum virtus medica, quantum fieri possit, integra conservetur, sed et gratus quorundam color illibatus maneat.

Millepedes vivi, a sordibus adhaerentibus liberati, in saccum linteum immittantur, et vapore calido spiritus vini subito necentur, dein siccentur et vasis clausis serventur, dicendi

Millepedes praeparati.

(*a*) *Nec obliviscamur, plures plantas cultura ineffaciores fieri, ut conium maculatum, quasdam contra virtute medica ea augeri. Annot. edit.*

Fel bovillum recens lento igne ad extracti spissitudinem redigatur, dictum

Fel bovillum inspissatum.

8. Serventur cuncta apparatus pharmaceutici corpora loco sicco et vase clauso, at inprimis haec lex esto eorum, quibus principium volatile ac fragrans inest, aut quae humidum ex atmosphaera trahunt. Lagenis vitreis, operculo vitreo munitis, haec servanda sunt.

9. Quorum virtus tractu temporis minuitur, non diu serventur, et indigena vegetabilia in universum quovis anno colligantur ac siccentur, quaeque de anno praeterito supersint, rejiciantur.

SECTIO SECUNDA.

CORPORA CHEMICA ENCHEIRESI A PHARMACOPOEO PARANDA.

CORPORA COMBUSTIBILIA ET E COMBUSTIBILIBUS PRAEPARATA.

Corpora Combustibilia.

† *SULPHUR DEPURATUM.*

FLORES SULPHURIS LOTI.

Rec. Sulphuris sublimati venalis, quantum velis.

Aqua fervida sulphur lava, donec acidum adhaerens omne ablatum sit, idque siccatum serva.

Not. 335. Aqua initio sensim sulphuri est affundenda, ne id ei supernatet, atque securius acido adhaerente orbetur. *Sulphur praecipitatum* (lac sulphuris, *germ.* Schwefelmilch, *angl.* precipitated sulphur, *gall.* lait de soufre) acidis ex kali sulphurato separatum differt a sulphure hydrogenio sulphurato ei inhaerente.

CARBO VEGETABILIS.

Rec. Carbonis de ligno levi, quantum volueris.

Carbo in frustula comminutus, in vase terreo, operculo, quod foramine pertusum sit, probe

obtecto, uratur per unam duasve horas; refrigerati pulverem cinereum forte adhaerentem follis flatu expelle, carbonemque superstitem lagena clausa serva.

Not. 336. *Germ.* Kohle, *belg.* Koole, *angl.* Coal, *gall.* Charbon, *ross.* УГОЛЬ. Carbo purus Ph. Borussa. Friabilis est, siccus, et insipidus. Lucet rubro fulgore, simulac excandescit. *Vis* antiseptica, desoxydans. Corporibus quam plurimis foetorem eripit carbo eaque decolorat. *Usus* in morbis cum praedominio oxygenii e. g. in phthisi pulmonali cum stasi inflammatoria juncta (florida), colluvie putrida primarum viarum, febri bilioso-putrida *(Gay)*, obstipatione alvina *(Mitchil)*, dysenteria *(Juch)*. *Dosis* gr. XV omni hora. *Externe* halitum oris foetidum corrigit carbo, et ulcerum putridorum sorditudinem. — Filtra a *Smithio & Cucheto* inventa atque aquae depurandae dicata *(Fontaines depuratoires)* omnem utilitatem carboni debent, qui eorum fundum contegit. Immittitur pariter sellis pertusis et latrinis, ut foetidi vapores ex eis erumpentes retineantur.

PHOSPHORUS DEPURATUS.

Rec. Phosphori venalis, si impurior fuerit, quantum vis.

Immitte in saccum linteum sub aqua frigida, quae sensim calefiat; emollitus phosphorus per linteum leni pressione pellatur; hunc, penitus in fervida aqua fusum, in cylindros tenuiores, adhibito modulo vitreo, finge, ac in lagena, aqua depurata probe repleta, in loco obscuro serva.

Not. 337. Phosphorus impurus rubet ob acidum phosphorosum ei admixtum, et carbonem inhaerentem. Ablutionis modus, qui hic laudatur, vix fit sine digitorum laesione et phosphori jactura. Si praeparatum phos-

phorum nova destillatione depurgare nolis, saltim linteo eum includas, quod massa ponderosa ei imposita sub aqua oneratur, aut immittas phosphorum infundibulo vitreo cum tubulo longo, crassitie aliquot linearum et obturato. Sordes superficiem petunt, phosphorus fundum, infundibulo aqua ebulliente alluto. Resecetur superior phosphori pars, postquam aqua penitus refrixit. *Vis:* Summe excitans, exhilarans, sub incremento caloris, adurens. Magna dosi sumta urina rubet, et pruritus ad coitum exoritur (*Leroy*). *Usus* praecipuus: in summa virium prostratione, quae a febribus malignis efficitur et paralysi. *Kunkelius*, qui inter primos copiose phosphorum confecit, in pilulis jam eo uti ausus est, quas *pilulas flammantes mirabiles* nominavit. Observatione *Brerae* aliorumque constat, duo grana hujus remedii quasi ignei sensim data adustione causasse gastritidem, quapropter summa cautione in usu ejus interno opus est, atque elucet, nos raro additamentis, quae ei admisceri solent, indigere flagrantibus, nec non *Brugnatellium*, qui dosin incendiosi medicaminis gr. $\frac{1}{2}$-gr. X pro spatio nycthemeri (*Farmacopea ad uso degli speciali p.* 74) praescribit, incuriae vituperio exponi. Nunquam dare licet phosphorum in pilulis aut conserva, quacum *F. C. Morgensternius* illum miscet. *Aether sulphuricus phosphoratus* R. phosphori gr. jV solv. in aether. sulphurici unc. ß. Dosis omni bihorio gutt. XX (*Bouttaz*). *Aether sulphuricus phosphoratus Flittneri* R. phosphori gr. XXjV solv. in olei aether. caryophyll. dr. jjj adm. aether. sulphurici unc. jj et dr. V. Dr. j hujus aetheris continet phosphori gr. j. Oleum caryophyllorum aethereum disponit aetherem, ut majorem quantitatem phosphori solvat. *Emulsio phosphorata* R. phosphor. gr. jj-jV olei amygdalar. unc. j; diger. et solutione peracta adm. amygdal. dulc. excortic. nro. jjj gummi mimos. unc. ß aqu. comm. unc. jjj-jV syrup. de alth. unc. ß f. emuls. D. pro quantitate phosphori addita a cochl. ß-j (*Crellius*). *Emulsio phosphorata alia* R. olei aether. terebinth. dr. ß, olei nuc. vel olivar. dr. jjj misc. cum phosph. gr. jj in vase vitreo capacitate unc. ß. Diger.

mixtum in aqua fervida saepius agitando, donec omnes phosphori globuli disparuerint. Solutioni adde gummi mimos. unc. ß c. aqu. arom. cujusvis unc. jV subact. et syrup. cinnamom. unc. j. Dosis cochl. j. *Linimentum phosphoratum* R. phosphori gr. jjj camphor. vel olei aeth. terebinth. scr. ß, olei amygdal. dr. jj. Usus sum hoc linimento cum singulari effectu in meteorismo febrili. — Tutus est pharmacopola ab incendii periculo, si vas vitreum, quod phosphorum sub aqua continet, cupreo, operculo rite tecto, immittitur, atque interstitium vasis utriusque arena aut furfure impletur.

Corpora e Combustibilibus praeparata.

AQUA HYDRO-SULPHURATA.

AQUA HEPATICA.

Rec. Sulphureti ferri partem unam,
Acidi sulphurici diluti partes tres.

Sulphuretum ferri in pulverem tritum immitte in phialam vitream, tubo incurvo instructam, quali ad gas varias species praeparandas vulgo utuntur; per vices acidum affunde, ac gas prodeuns hydro-sulphuratum, lagena ampla, aqua depurata ante repleta, ad cupam hydro-pneumaticam excipe, donec duae tertiae partes aquae expulsae sint. Lagenam infra aquae in cupa superficiem operculo vitreo probe claude, dein aquam cum gas sedulo agita ad plenam solutionem; quam minoribus lagenis accuratę replendis serva.

Sub agitatione in lagenam, operculo nonnihil diducto, aër atmosphaericus irrepat, ne, aëreo vacuo nato, haec diffringatur.

Not. 338. *Germ.* Schwefelwasserstoffhaltiges Wasser, *belg.* zwavelwaterstofhoudendes Water, *angl.* Hydrosulphureted water, *gall* Eau hydro-sulfurée. Hydrogenium cum sulphure et calorico constituit hoc gas hydronii sulphurati (aerem hepaticum *Kirwani*, gas hydrosulfuré) dum ferrum acido sulphurico oxydatur. Aqua hydro-sulphurata plane congruit quoad gas cum aqua, quam thermae hepaticae e. g. Aquis granensis, et aliae, sint calidae aut frigidae, protrudunt Centum aquae cubi pollicares (circiter pondere $8\frac{1}{2}$ libr. medic.) recipiunt eosdem gasis hydro-sulphurati 60 *(Bergmann)*. Libr. jjj aquae Aquisgranensis medicinales ex fonte imperiali continent aeris hepatici cubos pollicares 30; libr. Vjjß medicinales aquae Nenndorfensis cubos 40-43. *Vis* desoxydans, antirheumatica, antisporica. *Usus* in arthritide, atque morbis, cum praedominio oxygenii, colica pictonum, et affectibus ab abusu hydrargyri ortis, nec non aliis veneficiis metallicis. *Dosis:* aliquoties de die vasculum unum. *Externe* contra scabiem lavatio cum hac aqua optima. *Balneum hydrosulphuratum extemporaneum* fit ex sulphureti potassae unc. j aquae adjecta, sensimque acido quodam adstillata. Obtegatur lavacrum operculo, ne gas evolutum subito pulmones obruat. Pari cum facilitate paratur balneum sulphureum, solutis tartrit. potass. acidul. libr. jj vel sulphat. aluminae acidula libr. jß in aquae fervidae libr. 300, adjectisque dum thermometr. Fahr. ad gr. 100 recessit, sulphureti calcis ex gypsi part Vjjj et carbon. p. j calcinatione parati libr. jj *(Hahnemann)*.

AQUA HYDRO-SULPHURATA ACIDULA.

AQUA SULPHURATO-ACIDULA. B.

AQUA HEPATICA ACIDULA. LIQUOR PROBATORIUS HAHNEMANNI.

Rec. Sulphureti calcis,
Acidi tartarosi, utriusque drachmas duas,
Aquae depuratae uncias sedecim.

Sulphuretum et acidum, seorsim in pulverem redacta, in lagena vitrea, aqua addita, probe claudenda, sollicite agitentur; seponatur dein vas, ut quiescat, ac, sedimento rite composito, liquor limpidus effundatur in lagenam,

Acidi tartarosi unciam dimidiam continentem, et peracta solutione lagenis minoribus accurate repletis servetur.

Not. 339. *Germ.* Säuerliches schwefelwasserstoffhaltiges Wasser, Hahnemannsche Weinprobe, *belg.* zuurlyk zwavelwaterstoffhoudendes Water, *angl.* acetated hydro-sulphuretted Water, *gall.* Eau hydro-sulfurée acidule. Aqua hydro-sulphurata acidula pellucida est, et eructat ut antecedens gas hepaticum, nec ab hoc differt nisi acido tartaroso adjecto, quamobrem *Fourcroyus* puram loco acidulae tanquam liquorem probatorium in vini innocentia exploranda commendat. Praecipitat pura ut acidula metalla ex solutionibus suis varie colorata, nempe argentum, hydrargyrum, et bismuthum ex acido nitrico et acetico sub colore nigro, hydrargyrum ex acido muriatico sub atro, mox ex atro candicante, zincum, sub albo, manganesium sub pallide flavo, arsenicum, sub aurantiaco, arsenicum cum pauxillo plumbi mixtum sub coccineo, stibium, sub lateritio, ferrum et plumbum denique sub nigriusculo. Aqua hydro-sulphurata acidula autem, ab illustri *Hahnemanno* excogitata, tam purae

quam *liquori probatorio Ph. Wirtembergicae*, qui ex sulphureto calcis arsenicali originem ducit, nunquam non in vini puritate indaganda praeferri meretur, nam additum acidum impedit, quominus ferrum, si unquam vino adhaereat, una cum plumbo praecipitetur, atque manifestat solummodo culpabilem metalli posterioris cum potu praeclaro copulationem. *Vis:* eadem fere, quae in ante dicta. *Usus* liquoris hujus probatorii in medicina sit frequentior, ut fieri solet. Aliquoties eum adhibui, nec, ut mihi visum est, sine effectu in nimia salivatione ab hydrargyro orta.

Corporis Combustibilis Oxydum.

† *AQUA DEPURATA.*

AQUA DESTILLATA SIMPLEX.

Rec. Aquae pluvialis, quantum vis.

Destilla vasis mundissimis, donec tres quartae partes aquae adhibitae in excipulum transierint. Aquam hanc collectam, rejecta parte primum prodeunte, protinus in lagenas minores, exacte replendas, et accurate claudendas, immitte et serva.

Not. 440. *Germ.* Einfaches destillirtes Wasser, *belg.* gemeenes distilleert Water, *angl.* common distillated Water, *gall.* Eau distillée commune. Aqua, ut e fontibus prosilit, aut in fluviis reperitur, aut mari lacubusve continetur, variis scatet partibus peregrinis. *Aqua fontana* in primis constare solet ex acido carbonico, et sulphate atque carbonate calcariae, *fluviatilis* praeterea ex principio extractivo et muriate sodae, *marina* vero ex muriate sodae, calcariae et magnesiae etc. Libr. jjj civiles aquae marinae (*Hufel. J. d. p. H. XIII.* 4) continent

	ex mare germanico	ex mare baltico
muriatis sodae . . .	522 gr.	263 gr.
muriatis magnesiae . .	198 —	111 —
sulphat. sodae et magnes. .	3 —	12 —
principii extract. . . .	$1\frac{1}{2}$ —	1 —
Summ.	$724\frac{1}{2}$ gr.	387 gr.

Inter aquas, quae frequentissime in usum veniunt, purissimae sunt pluvialis et nivalis. Sunt autem inter sponte scaturientes plures, quae abundant prae aliis acido carbonico, nec paucae, quae gasa diversa vehunt et salia metallicasque particulas, et *aquae soteriae sive minerales* dicuntur, quatenus aegris utiles sunt, aut particulas minerales plus minusve continent, e mineris sub terrae sinu latentibus arreptas. Vid. indicem aquarum mineralium maxime usualium. Aquae soteriae calide prosilientes, atque *thermae* dictae lavando praesertim inserviunt. Gaudent vario caloris gradu.

Thermae aquisgranenses in fonte imperiali adtingunt	gr.	Th.	F.	128.
Th. Badae	—	—	—	97.
— Carolinae	—	—	—	165.
— Piperinae	—	—	—	99.
— Töplicenses	—	—	—	117.
— Warmbrunnenses in Silesia .	—	—	—	97.
— Aquae solis (Bath) . . .	—	—	—	94.
— Baredgenses	—	—	—	122.
— Pisanae	—	—	—	104.

Face recentioris chemiae illustrati medici omnes pene aquas et thermas soterias arte imitari conati sunt. Vid. sect. II. additament. Centenae *aquae depuratae* partes componuntur ex oxygenii p. 85 et hydrogenii p. 15. Tam medici quam pharmaceutae interest, ut purissima sit, ne ob diversam affinitatem particularum adventitiarum chemicam solutiones fiant incertae et turbatae. Itaque partes heterogeneae separentur destillatione necesse est. Ut cum his retineatur principium extractivum et saponaceum, adjectio carbonis non est negligenda, libr. j aut libr. jβ scilicet carbonis ad Libr. LX aquae. Prima

libra humoris, qui in excipulum transstillat, remota, continuetur destillatio, donec duae tertiae partes aquae transierint. Sit aqua destillata limpidissima, insipida, nec turbida reddatur, potassa, oxalate potassae acidulo, muriate barytae et aqua calcis admixtis. Aqua pro potu sordibus inquinata et corrupta mundatur, cum arenam permeavit, quam dolium continet in fundo perforatum et contra corruptelam defenditur in navibus alibive doliis interne incensis et taliter crusta carbonaria obductis *(Krusenstern)*. Digitus cubicus parisiensis aquae fontanae aequatur ponderi dr. V c. gr. Xj, fluviatilis pond. dr. V c. gr. X atque destill. pond. dr. V c. gr. Vjjj *(Eisenschmidt)*. Solvantur inprimis in aqua destillata a medicis: potassa, soda, ammonia, acidum acetosellae, tartris potassae stibiatae, tartris potassae, murias barytae, murias, nitras et acetis hydrargyri, nitras argenti, acetis plumbi, ceteraque salia metallica, sapones, et sulphureta. Retinet uncia una aquae ad gr. X Th. R.

potassae . .	dr. 7	potass. boraxat.	dr. 6
potassae fusae	unc. 1	borac. venet. .	gr. 24
sodae pur. .	dr. 6	sulphat. magnesiae	dr. 5
ammoniae sicc.	dr. 5	muriat. barytae	scr. 4
sulphat. potass.	gr. 30	— calcis .	unc. 1 dr. 1
— sodae	dr. 3 gr. 20	sulphat. acidul.	
nitrat. potass.		aluminae .	unc. 1 gr. 30
pur. . .	dr. 1 gr. 30	nitrat hydrargyri	dr. 2
nitrat. sodae pur.	dr. 3	muriat. hydrargyri	gr. 30
muriat. potassae	dr. 2	acetit. hydrargyri	gr. 20
— ammoniae	dr. 3	tartrit. hydrargyri	gr. 28
phosphat. sodae	dr. 3	sulphat. ferri .	dr. 2
acetit. potass.	dr. 7 gr. 30	— zinci .	dr. 3
— sodae .	dr. 5	— cupri .	dr. 2
tartrit. potass.	dr. 3	muriat. ferro-ammoniacal. .	dr. 4
— potass. et sodae . .	dr. 4	tartrit. potassae stibiatae . .	dr. 3
— potass. et ammon. .	dr. 5	acetit. plumb. .	dr. 4

Vis. Aqua, quae ubique occurrit, diluit, nutrit, et copiose ingesta, vasis exhalantibus in genere, et secretoriis renum in specie, stimulum addere videtur. Frigida

externe adstringit, caloremque animalem minuit; tepida grate afficit nervos peripherícos, atque motum sanguinis compescit; calida irritat vasa sanguifera, fervida inflammat cutim, immo vesiculas in ea effert. Aquae soteriae virtute variant pro diversitate particularum eis admixtarum. Aquae, quae acido carbonico abundant, ut *selterana* et *Fachingensis* sitim optime frenant, refocillant, urinamque pellunt; *Saidschützensis* salinis partibus praedita laxat alvum, *Pyrmontana*, *Egerana*, similesque ferro acido carbonico suscepto vasa haematopoëtica peculiariter incitant, ipsiusque sanguinis crasin corrigunt. Nolimus autem silentio praeterire, plures aquas soterias in ipso fonte sorbillatas minus sibi metipsis famam debere in sanitate restituenda, quam potui aquae copiosiori, generi vitae rigorosiori, motui corporis aucto, animi oblectamentis, oneroso officii labore interrupto, atque aerumnis domesticis vel diminutis vel plane dimissis. *Usus.* Experientia constat, uberiorem aquae frigidae potum cum parco nutrimine egregios effectus edidisse in multis morbis tam acutis quam longis e. g. in pleuritide, affectione maniaca et hypochondriaca (*Chiesius*, *Hahnius*, et *Thedenus*). *Bernhardus Maria de Castrogiane* ex ordine monachorum carthusiano morbos obstinatissimos persanavit methodo sua aquam aegris porrigendi. Dedit scilicet quotidie pocula sat magna triginta sex, quae aquam continebant vel nive vel glacie gelidissimam redditam. Primis diebus omni cibo denegato, vel solummodo vitello ex duobus aut tribus ovis, tribus vitris aquae diluto, concesso, postea quotidie permittebat, ut aegri gallinam dimidiam, vel columbam vel unc. jj-jjj ex pastillis, quos itali macaroni dicunt comederent. Initio curationis oriri solent cephalaea, calor auctus, tormina ventris, et alvi dejectiones. Compescebat clysmatibus ex frigida diarrhoeam, atque dolores ventris et capitis frictione cum nive aut aqua gelida instituta. (*Mercure de France* 1723 *et* 1724). Jam dudum aqua frigida *externe* in morbis acutis internis, ipsis exanthematicis non exceptis, in laude fuit. Vetus mos increbuit inter quasdam gentes littorales Africae, infantes variolosos in eruptionis pustularum stadio fluvio im-

mittere, ut febris vehementia refrenetur. Methodus igitur *Curriana*, nuperrime a nonnullis defensa, aegris scarlatina tanquam erysipelate universali affectis aquam gelidam injiciendi, nulla ratione plane damnanda esse videtur, si medicus rite perconctatur naturam morbi, ejusque stadium, nec negligit aegroti indolem. Praedicatur insuper usus aquae frigidae in contusionibus, ambustionibus, pernionibus, incarceratione herniae, haemorrhagiis, inprimis metrorrhagia. In phrenitide genuina lintea aqua humectata capiti applicantur, capillis detonsis, aut vesica tectis. Hic monendum esse puto, paralysin pedes afflixisse, incaute aqua gelida fomentatos. *Balnea frigida*, quae a gradu 65 Th. F. incipiunt, nimiumque a recentioribus repudiantur, levant, rite accommodata, varias affectiones internas atque augent cutis elaterem. Heroice autem agunt; diruptio enim vasorum ipsiusque cordis incautum eorum usum fuit secuta *(Portal)*. *Stillicidium* aquae frigidae, quod concussione potius agit, quam frigore, variis morbis nervorum occurrit, inprimis cephalalgiae nervosae pertinaci et tetano infantum. *Balnea tepida* sentiuntur primum ad gr. 85 Th. F. atque calescunt cum gr. 95. Consopiunt nervos et vasa sanguifera, atque perspirationem adjuvant. Fomentationes cum sola aqua tepida simili modo partes corporis humani afficiunt, quo balnea ejusdem temperis. *Balnea vaporifera*, quae universum corpus afflant, potenter incitant cutem et diaphoresin provocant *(Reil)*, in arcis autem sudatoriis inclusa facile fiunt detrimentosa. Partialia tumores eximie resolvunt, et artuum rigiditatem minuunt. *Aqua fervida* suris aut dorso inspersa referri debet ad irritamenta vehementissima, citissima actione commendabilis. Cubiculum balneare in aedibus privatis construere docetur in comment. periodicis: Journ. des Luxus u. der Moden, Märzst. 1810. *Medicina veterinaria.* In lienitide grassante non solum alluvies in flumine et aquariis bobus profuit, ita ut a morbo vel defenderentur vel liberarentur, sed etiam aspersio ex cantharis aqua plenis, prioris adhibendae occasione deficiente.

SALIA ET E SALIBUS PRAEPARATA.

Acida.

ACIDUM SULPHUROSUM. (*a*)

ACIDUM SULPHURIS VOLATILE. SPIRITUS SULPHURIS.

Rec. Hydrargyri uncias quatuor,
Acidi sulphurici depurati uncias octo.

In cucurbitam humiliorem immitte hydrargyrum, et acidum affunde. Applica alembicum; juncturas firma fascia lintea, massa ex gypso et albumine ovi illinita. Appone jam, sed luto non adnecte, phialam capacem colli longissimi, continentem

Aquae depuratae uncias sedecim.

Hujus venter aqua frigida aut glacie tegatur. Ignem applica lenem, ad ebullitionem usque augendum, et tamdiu continua operationem, donec liquor, in phiala contentus, sit librarum duarum.

(*a*) *Cum hoc liquore proxime convenit Spiritus sulphuris per campanam olim dictus; hic autem spiritus, licet rite paratus, incertae semper est virtutis, ut adeo Medicus, vel acidum sulphurosum, vel hoc cum acido sulphurico pro suo arbitrio mixtum, illius loco ad usum vocare possit, quod medicamentum et efficacia et indolis constantia illo praestantius habeatur.*

Hic prudenter sub camino effusus, vase, epistomio vitreo rite clauso, in loco frigidiori servetur.

Hoc pro usibus pharmaceuticis satis purum acidum, si pro usibus chemicis exquisitioribus depurare cupias, adde

Barytam, acido sulphuroso abundante solutam,

tamdiu, donec desinat praecipitatio.

Not. 341. *Germ.* Schweflichte Säure, unvollkommne Schwefelsäure, *belg.* zwavelagtiges Zuur, *angl.* sulphurous acid, *gall.* acide sulfureux. Acidum, quod methodo praedicta destillatione obtinetur, est acidum sulphurici generis, alias *spiritus sulphuris per campanam* nuncupatum. Adhaerent ei particulae sulphuris, quae non penitus acescebant. Hydrargyrum in adoptata destillatione absorbet oxygenii quantitatem ex acido sulphurico, quod transmigrat ut sulphurosum in phialam annexam. Cum autem pharmaceuta parum indigeat sulphate hydrargyri in cucurbita residuo, nec ipsa destillatio omni difficultate sit destituta, eam anteponendam esse duco, quae fit ex acidi sulphurici concentrati unc. jV pulv. carbon. unc. j, retorta libr. jjj aquae prius referta. Sufficiet forsan therapeutae dissolutio dr. j sulphuris pulverati in acidi sulphurici unc. j post horae quadrantem peracta, atque sex unciis aquae destillatae mitigata. Acido sulphuroso similis est *clyssus antimonii* sive *clyssus sulphuris* veterum, qui, peracta detonatione nitri cum partibus aequalibus stibii et sulphuris, in vas excipiens transit. *Vis.* Differt non parum acidum sulphurosum ab acido sulphurico virtute medica et affinitate chemica, nec praetermitti debet hoc discrimen, cum medicis temporis elapsi sulphurosum majori fuerit in usu. Excitat, et oxygenii connubium appetit. *Usus* cum aqua pro potu in febribus nervosis.

† *ACIDUM SULPHURICUM DEPURATUM.*

ACIDUM, SEU OLEUM VITRIOLI CONCENTRATUM, DEPURATUM.

Rec. Acidi sulphurici venalis, quantum vis.

Immitte in phialam vitream, balneo arenae imponendam; ignem instrue, initio lenem, sensim augendum, donec vapores aquei non amplius exeant, et liquor decolor evaserit. Hunc vasis clausis serva ad operationes pharmaceuticas.

Not. 342. *Germ.* Gereinigte Schwefelsäure, *belg.* gereinigt Zwavelzuur, *angl.* Purified acid of sulphur, *gall.* Acide sulfurique purifié, *ross.* КУПОРОСНАЯ КИСЛОТА КРѢПКАЯ. Privatur quidem hac decoctione acidum sulphuricum venale acido sulphuroso, remanebunt autem salia admixta, ut: sulphas calcariae, aluminae, immo sulphas plumbi, quod si forsan ei adhaereat. Vid. not. 4.

ACIDUM SULPHURICUM PURUM.

ACIDUM VITRIOLI CONCENTRATUM, RECTIFICATUM.

OLEUM VITRIOLI PURUM.

Rec. Acidi sulphurici venalis libras duas.

Immitte in retortam vitream, collo longo instructam et ita amplam, ut altera ejus pars ab acido vacua sit. Retortam balneo arenae committe, appone excipulum, et commissuram absque luto ita tege, ut vaporibus, primum adscendentibus valdeque elasticis, exitus concedatur. Ignem instrue ad calorem aquae ebullientis. Sur-

gunt vapores, qui in liquidum mox coëunt. Ita perge destillando, quamdiu discretis guttulis majoribus collo retortae liquidum hoc se affigit. Auge sensim ignem, etiam ad ebullitionem usque; et, quamprimum striae oleosi habitus ad retortae faciem internam, et vapores albi densiores per totum apparatum observantur, aliud appone excipulum, prius calefactum, lenteque destilla, ut fere quavis, quam vocant, minutae horae partis quadrante gutta descendat, donec nulli vapores prodeant. Liquor, qui secundo excipulo continetur, acidum sulphuricum purum est, et vase vitreo, operculo vitreo claudendo, servetur.

Not. 343. *Germ.* Reine Schwefelsäure, *belg.* reines Zwavelzuur, *angl.* Pure acid of sulphur, *gall.* acide sulfurique pure, *ital.* Ossisolfurico. Ne metus, vas disrumpendi, augeatur, ut rectificatio cum minori quantitate acidi venalis scilicet cum unc. Vjjj-Xjj qualibet vice instituatur, suaderem. Pondus specificum acidi sulphurici puri est 2,000 : 1,000. *Vis* concentrati corrodens; diluti analeptica, antiseptica, adstringens. *Antidotum.* Quod si purum incuria aut errore, ut ipse exemplum vidi, copiose haustum fuerit, leniantur citissime partes excoriatae potu aquae saponatae, aut melius aqua saccharata cum magnesia mixta, nam potulenta mucilaginosa et oleosa parvae vel nullius sunt utilitatis.

† *ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.*

ACIDUM VITRIOLICUM DILUTUM. SPIRITUS VITRIOLI.

Rec. Acidi sulphurici puri partem unam.
Aquae depuratae partes sex.
Acidum aquae per vices et sensim affunde.

Not. 344. *Germ.* Verdünnte Schwefelsäure, *belg.* verdunntes Zwavelzuur, *angl.* Attenuated acide of sulphur, *gall.* Acide sulfurique delayé, *ross.* РАЗВЕДЕННАЯ КУПОРОСНАЯ КИСЛОТА. Dolendum, vix unquam in diversis pharmacopoeis eandem rationem aquae cum acido sulphurico locum habere. Pharmacopoea Edinburgensis octavam, Londinensis, Rossica et Suecica nonam, Danica et Fuldensis septimam, Borussica sextam, Austriaco-provincialis nonam vel undecimam partem acidi sulphurici concentrati aquae addi jubent. *Vis:* analeptica, antiseptica, acido concentrato minus corrodens. *Usus:* in febribus malignis, haemorrhagiis, sudore colliquativo, erethismo nervorum, et sodae quadam specie *(Heberden)*. *Mixtura ex acido sulphurico diluto.* R. aqu. commun. libr. j acid. sulphuric. diluti dr. jj syrup. rub. id. unc. jβ. D. omni bihorio vascul. β-j. *Linctus ex acido sulphurico diluto.* R. acidi sulphurici dilut. unc. j syrup. rub. id. aut rhoead. unc. Vjj m. d. s. omni hora, vel bihorio cochlear j cum vasculo aquae aut ptisanae cujuslibet, quae acido sulphurico non repugnat,

ACIDUM NITROSUM. *(a)*

ACIDUM NITRI FUMANS. SPIRITUS NITRI FUMANS GLAUBERI.

Rec. Nitratis potassae puri, siccati, partes duas, exempli gratia, uncias viginti quatuor.

Acidi sulphurici depurati partem unam, exempli gratia, uncias duodecim.

Nitras potassae in pulverem tritum immitte in retortam vitream amplam per infundibulum,

---

(a) Acidum nitroso-nitricum.

longa curvaque cauda instructum; prudenter et sensim ita acidum affunde, ut retortae collum non tangat; mox retortam in balneum arenae pone, admove excipulum tubulatum vacuum, cujus commissura fasciis linteis, luto ex gypso et albumine ovi illinitis, claudenda est; dein cum excipulo junge apparatum Woulfianum, quantum fieri possit refrigerandum, cujus prior lagena

Aquae depuratae vigesimam,

posterior

Ponderis utriusque salis adhibiti quartam partem

contineat, ac commissurae accurate claudantur. Destilla porro igne initio leni, dein sensim aucto, donec retortae fundus candeat, nec vapores ulterius adscendant.

Apparatu refrigerato erit in excipulo acidum nitrosum concentratissimum, subito effundendum in vas vitreum, non nisi ad duas tertias partes implendum, epistomio vitreo accurate claudendum et in loco frigido servandum. In lagena priori acidum nitrosum haeret coloratum, sed minus generosum, et in lagena posteriori acidum decolor, gas nitroso nonnihil impraegnatum. Hi quoque liquores, vasis vitreis probe clausis, ad usum servandi.

Massa salina in retorta superstes solutione per aquam, et potassa, si requiratur, ad saturitatem addita, per crystallisationem SULPHAS POTASSAE sistit.

Not. 345. *Germ.* Salpetrichte Säure, *belg.* zalpeteragtiges Zuur, *angl.* Nitrous acide, *gall.* Acide nitreux, *ital.* Ossiseptonico, *ross.* УСИЛЕННАЯ СЕЛИТРЕННАЯ КИСЛОТА. Acidum nitricum differt ratione diversa oxygenii et azoti, e quibus componitur. Acidum nitrosum secundum praeparandi modum, qui hic docetur, constat in excipulo ex 0,75 oxygenii et 0,25 azoti. Exhalat perpetuo vapores rubros et suffocantes, albescit vero, aqua admixta, duplum excedente. Apparatu Woulfiano inter evolutionem detrimentosa gasis explosio evitatur et vasorum ruptura. Hoc deficiente securitatis causa tubulus vitreus interstitio inter retortam et excipulum inseri potest, superius globulo ex luto obturatus, ut gase nimium coacervato elevetur. *Vis:* arrodens. *Usus:* externe ad callositates exedendas. *Clyssus nitri* a priscis post detonationem carbonis et nitri cucurbita exceptus est acidum nitrosum impurius.

† *ACIDUM NITRICUM.*

ACIDUM NITRI. SPIRITUS NITRI ACIDUS.

Rec. Nitratis potassae depurati partes duas.
Acidi sulphurici depurati,
Aquae communis, utriusque partem unam.

Nitras potassae siccatum et in pulverem redactum in retortam vitream immitte, affunde cauta manu acidum, antea aqua prudenter dilutum. Appone excipulum vitreum, et commissuram luto probe firma; destilla ex balneo arenae igne leni, sensim augendo, donec massa superstes in retorta siccescat. — Collectum excipulo liquidum, si forte nonnihil coloratum sit, ad balneum arenae leniter caleat, donec vapores colorati non amplius surgant et liquor decolor

evaserit, qui acidum satis purum est, quod plerisque operationibus pharmaceuticis inserviat, lagena clausa servandum.

Ad usus chemicos omni labe heterogenea liberatur, instillando

Nitras argenti, aqua solutum,

donec nulla turba oriatur; quo facto, liquidum per aliquot dies seponatur, pellucidum supernatans cauta manu effundatur et denuo ad siccitatem fere ex retorta destilletur.

Not. 346. *Germ.* Salpetersäure, *belg.* Zalpeterzuur, *angl.* Acide of nitre, *gall.* Acide nitrique. Ut initio atque in ipsa destillatione acidi nitrosi evolutio in extricando acido nitrico praepediatur, subjiciantur destillationi nitrat. potass. libr. Vjj, manganesii libr. j et unc. jj cum acid. sulphurici concentr. unc. jj et dr. jj *(Richter)* aut nitrat. potass. p. jjjß manganes. p. ½ cum acid. sulphur. concentr. p. jj *(van Mons)*. Hoc acidum hoc modo expulsum pro usu diverso cum aqua potest dilui. Pharmacopoea boruss. spiritum nitri acidum ex kali nitrici libr. Vjjj acid. sulphuric. concentr., aquae communis ana libr. jVß destillari jubet, libr. jV aquae antea excipulo immissis. Pharmacopoea Londinensis et Edinb. commiscent *acidum nitrosum dilutum* ex part. aequal. aquae dest. et acidi nitrosi. *Vis:* Corrodit. Concentrate haustum odorem faucium et ventriculi progignit, doloresque lancinantes. Vomitus, pluraque symptomata nervosa accedunt, ipsaque mors *(Tartra)*. Acidum nitricum affatim dilutum nervos refocillat, appetitum excitat, et sanguinis vigorem augere videtur. Vim antiveneream ei inesse medici dubitant, fallaciae argumenti ex singulis observationibus collecti bene gnari. *Usus:* in febribus, quae putridae nominantur. *Scottii* et *Alyoni* periclitationibus institutis, acidum nitricum efficaciae specificae nitore in lue venerea debellanda splendere incipit, qui tamen, rigorosiori examine accedente,

nullum in posterum illudet, etsi salubritas acidi in morbi anomaliis, et mercurii actione promovenda non plane possit denegari. *Julapium nitrosum Alyoni* R. acid. nitrici dr. j aqu. comm. dest. unc. 32 syrup. cujusvis unc. jß. D. s. omni bihorio vasculum dimidium, ita ut julapium unius diei spatio bibatur. Admiscet autor julapio gradatim dr. jV acidi, nec dosin diminuit, nisi doloribus colicis dissuadeatur major. *Unguentum acidi nitrosi Alyoni* R. acidi nitrosi dr. V, axung. porc. unc. XVj. Liquatae leni igne refrigescant. V. not. 496. *Fomentum ex acido nitroso.* R. acid. nitrosi dr. j aqu. commun. dest. libr. j. Fomentum et unguentum nonnunquam excoriationes herpeticas sanarunt. Vapores acidi nitrici rudiori quidem modo evoluti non ita pridem ad miasmata destruenda jam in usum sunt vocati, ut testatur prae aliis fumigatio cum *pulvere suffitorio moscowitico* ex partibus aequalibus sulphuris et nitri, duploque earum furfuris composito, tempore pestis olim usitatissima. Natura gasum rectius dijudicata albos vapores, quos acidum nitricum eructat, ad miasmatum exstirpationem justius adhiberi, minusque pulmones offendere, lucudenter apparet. Ut hi vapores divagentur, pro cubiculi dimensione immittuntur singulis patinis sinicis unc. ß acidi sulphurici ad gr. 50 Th. R. calefacti, atque dein eadem nitri quantitas *(Smith)*. Commovetur mixtum bacillis vitreis aut ligneis. Satis refercitur cubus decempedalis vaporibus ex nitr. unc. ß acid. sulphuric. dr. jj eductis *(Duncan)*.

† *ACIDUM MURIATICUM.*

ACIDUM SALIS CULINARIS SEU MARINI.

SPIRITUS SALIS ACIDUS. SPIRITUS SALIS FUMANS.

Rec. Muriatis sodae, decrepitati et sicci, partem unam cum dimidia, verbi gratia, uncias octodecim.

In retortam vitream capacem immitte.

Adde cauta manu per infundibulum, longa cauda instructum,

Acidi sulphurici depurati, concentrati, partem unam, verbi gratia, uncias duodecim, ante dilutas

Aquae communis parte dimidia, verbi causa, unciis sex.

Retorta in balneum arenae reposita, excipulum appone vitreum cum apparatu Woulfiano, cujus priori lagenae

Aquae depuratae tantum, quantum valet pondus tertiae partis acidi adhibiti,

posteriori autem

Ejusdem, quantum valet pondus partis hujus dimidiae,

immitte, et commissuris luto probe clausis, institue destillationem igne in principio leni, dein sensim aucto, donec vapores elastici prodire desinant. Apparatu refrigerato, acidum excipulo et priori lagena comprehensum, utpote generosissimum, seorsim serva, quoniam illud, quod altera lagena habetur, debilius esse solet. Si acidum hoc multo acido sulphurico sit inquinatum, supra

Muriatis sodae depurati, exsiccati, partem sextam acidi prius adhibiti

rectificetur, ac semper lagena epistomio vitreo clausa, cui cera affundatur, servetur.

Massa salina in retorta superstes solutione per aquam, et creta, si requiratur, ad saturitatem addita, per crystallisationem SULPHAS SODAE *praebet.*

Not. 347. *Germ.* Salzsäure, *belg.* Zoutzuur, *angl.* muriatic acid, *gall.* acide muriatique, *ital.* Ossimuriatico, *ross.* УСИЛЕННАЯ СОЛЯНАЯ КИСЛОТА. Apparet acidum muriaticum ut gas *(gas muriatiosum)* et aqua junctum ut liquor. Pondus gasis muriatosi ad 0,46 gr. aëris atmosphaerici est gr. 0,66. Acidum liquidum fortissimum ratione aquae pondere 200 gr. majori aestimatur. Differt autem pondus prout variat ejus praeparatio, quamobrem non superfluum duco, id certae legi subjicere, ut fit in pharmacop. Londinensi, quae 1,170 ad 1,000 ponderis aquae dictavit. Extricatur secundum hanc pharmacopoeam ex muriat. sod. libr. X acid. sulphur. libr. Vj et aquae libr. V. Vapores acidi muriatici sponte non condensantur, aqua igitur vel excipulo infunditur, vel acido sulphurico additur, antequam destillatio instituitur. Cum acidum secum abripiat particulas metallicas ex muriate sodae primum praecipitetur ferrum, quod ei adhaerere solet, sanguinis lixivio, et ut acido sulphurico privetur, rectificatio fiat, super 0,01 Barytae. *Vis* antiseptica, excitans, diuretica. *Usus.* Multum jam tribuit *Theophrastus Paracelsus* spiritui salis in curandis febribus malignis. Plurimi medici autem, nimis timidi ut vestigia ejus sequerentur, aut plane abhorrebant ab acidi muriatici usu interno, aut trepida manu illud aegris porrigebant. *Cullenius* (materia medica in versionis germanicae Hahnemanniae T. II. p. 372) non inferior quidem medicaminum indagator, obiter tantum de hoc acido disserit, atque ejus interpres utilitatis quidem mentionem facit in febribus putridis, nec vero dosis, et modi eo utendi. *Reichio,* cujus theoriam de febribus, hypotheseos fucum graviter redolentem, atque audaciam non omnimode propugnarem, laus vindicari debet, quod primus intrepidiorem administrationem acidi muriatici docuerit, atque

ejus efficaciam accuratius examinaverit. Dedit, summo periculo urgente, per unam noctem unciam unam et dimidiam acidi salis (*vid. ej. tractat. vom Fieber, Berol.* 1800. *pag.* 9.) immo asseverat, in se metipsum per quatuor horas mensuram unam acidi muriatici oxygenati ingurgitasse, (*l. c. pag.* 68) et aegris non paucis eodem intervallo unc. Xjj et plures dedisse, nec ullum incommodum praeter dejectiones quasdam aquosas inde fuisse observatum. Quamvis igitur nigra macula, qua acidum muriaticum rodentis acritatis infamabatur, repetitis nuperorum periculis deleta fuerit, atque vis ejus salutaris in sublevandis febrientibus extra omne dubium posita sit, non potuit tamen sustinere specifici antifebrilis denominationem (*von Hildebrand*). In dysuria senum optimum effectum promittit. *Schulzius* (praelect. in Disp. Brandenb. Ed. II. pag. 173) meminit eventus felicis, quem guttulae quaedam spiritus salis in jusculo oblatae producebant, variis remediis a medicis frustra datis. Vix dubitare possumus, acidum muriaticum, in- et externe adhibitum, calculos urinarios ex phosphate calcis, ex phosphate magnesio-calcariae, et oxalate calcis conflatos, esse dissoluturum, illis exceptis, qui e terra silicea constant. Granula tactu aspera in urina calculosi cum levamine observata sunt, postquam acido muriatico usus erat (*Ritterus Cassellanus*). Injectiones proponuntur ex acido salis vesicae urinariae immittendae, aqua ita dilutae, ut limonadae non edulcoratae saporem manifestent. (Hufel. J. d. p. A. XXV. 2. pag. 143). V. not. 356. *Julapium ex acido muriatico* R. acidi muriatic. dr. j-jV. aquae commun. dest. unc. Vjjj syrup. rub. id. unc. jj. Dosis omni hora aut bihorio cochl. j-jj (*Reichius l. c.*) *Tinctura aperitiva Moebii* R. muriat. sodae unc. β solv. in aqu. commun. dest. unc. jV adm. acid. muriatic. dr. jj. Dosis cochlearcul. j-jj in scypho vinario aqua pleno. Laudatur a Cullenio in anorexia. *Usus externus.* In angina maligna et ulcusculis faucium gangraenosis, nec non suppuratione gingivae scorbutica, jam dudum aestimatur linctus ex acid. muriatic. dr. j aqu. commun. dest. et mell. ana unc. j, nec utilitas halituum gasis muriatici in contagio febrili obtundendo nostro

tempore primum innotuit. *Vapor antiloimicus Gaubii* R. Acet. vin. pint. jj sal. marini-nitr. olei vitrioli ana libr. ß aqu. pur. pint. j m. Immittantur ollae fictili vitreatae, quae super prunas reponitur. Dispergantur vapores in limite domus aut cubiculi aegrotorum, ita ut ebullitio in olla evitetur. Ulteriora pericula eorum efficaciam in contagio febrili quasi compescendo extra omne dubium posuerunt. Quinque partes muriatis sodae miscentur cum quatuor partibus acidi sulphurici, ut rite educantur, atque cubiculum longitudine et latitudine pedum 20 et altitudine pedum 12 suffimine ex muriat. dr. X et acidi sulphurici unc. j affatim repletur (*Guyton Morveau*). Febris scarlatinae progressus in orphanotropheo Berolinensi feliciter quoque his vaporibus fuit retardatus (*Augustin*), majorque partium erosio limitata in angina gangraenosa (*Johnstone*). *Medicina veterinaria.* In lue cornutorum pestifera spiritus salis communis optimos edidit effectus. Vaccis datae sunt omni bihorio unc. ß et j eadem aquae quantitate diluta, atque tauris interdum partitis haustibus per nycthemerum unc. XV. Appetitus in multis rediit et virium robur. Inter usum internum spiritus clysmata ex mensura una aquae et spiritus salis unc. ß injiciebantur bestiis (*Pessina*).

ACIDUM MURIATICUM DILUTUM.

SPIRITUS SALIS MARINI VULGARIS. SPIRITUS SALIS ACIDUS DILUTUS.

Rec. Acidi muriatici partem unam,

Aquae depuratae partes duas.

Misceantur sensim in cucurbita vitrea; mixta per aliquot dies seponantur, et subinde agitentur, postea in vase probe clauso serventur.

ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM.

SPIRITUS SALIS MARINI DEPHLOGISTICATUS.

Rec. Muriatis sodae partes tres,
Oxydi magnesii nativi, in pulverem redacti, partem unam.

Probe mixta in retortam vitream tubulatam immittantur. Adde

Acidi sulphurici concentrati et depurati partem unam cum dimidia,
Aquae quarta parte diluti.

Applicetur apparatus Woulfianus cum tribus vel quatuor lagenis, ad duas tertias partes altitudinis

Aqua depurata,

quantum fieri potest, refrigerata, repletis, et leni igne ex balneo arenae expellatur copiosum gas acidum muriaticum oxygenatum versus aquam lagenis comprehensam, ad hujus saturitatem usque. Erit in lagenis, excepta prima, acidum muriaticum oxygenatum, in loco frigido et obscuro vasis vitreis, probe clausis, servandum.

Poterit etiam ad hoc acidum parandum inservire apparatus simplicior, quem ad aquam hydro-sulphuratam indicavimus.

Not. 348. *Germ.* Uebersaure Salzsäure, *belg.* overzuures Zoutzuur, *angl.* Oxygenized muriatic acid, *gall.* Acide muriatique oxigené, *ital.* Ossimuriatico termossigenato, *ross.* ПРЕСЫЩЕННАЯ СОЛЯНАЯ КИСЛОТА. Acidum muriaticum saturatur oxygenio, quod

ex corporibus eo impraegnatis attrahit inprimis ex manganesio, atque nanciscitur in oxymuriaticum transmutatum non solum peculiarem indolem, sed induit etiam calorico expansum gasis formam. *Vis* antimiasmatica, analeptica. *Usus.* Adhibetur iisdem in morbis, in quibus acidum muriaticum forte et dilutum utilitatem praestitit. Iteratis periculis constabit, an omni semihorio, ut Reichius asserit, unc. j immo jj hujus acidi confidenter dari possint, quoniam nullus valet id plane ab omni erosionis suspicione absolvere. Nuperrime dedit in febri typhosa per nycthemeron unc. jj-X *Spangenbergius* (Horn's Archiv 1809. II). In lue venerea loco hydrargyri praedicant gutt. V-XL quater de die *Cruikshank & Platt.* Forsan acidum muriaticum oxygenatum aqua dilutum foetorem emendare potis est in cancro aperto. Vapores ex eo ascendentes efficacia praevalent illis, qui ex acido formantur, nondum oxygenio saturato. *Vapores acidi muriatici oxygenati.* R. muriat. sodae p. V oxydi manganesii nativi p. j aqu. font. part. jj misceantur in vase vitreo; dein sensim instillentur acidi sulphurici p. jjj. Tenendum, hos vapores violenter respirationis organa obruere, hinc in locis, ubi aegri degunt, non temere disseminari posse. *Phiolae antimiasmaticae* fiunt ex vitro solidioris compaginis ambitu duorum, aut duorum semis digitorum cubicorum. Replentur manganesii dr. j et aqua regia usque ad medium, atque epistomio vitreo obturato capsulae ligneae immittuntur. Circumferri possunt a medicis aliisve, qui se contagio exponunt, ut atmosphaera vicinior vaporibus corrigatur, qui eructantur obturaculo caute soluto. *Wylieus* nominat hunc fluorem quasi tutelarem *liquorem alexiterium extemporalem.* In cubiculis aegrorum parum spatiosis reponi queunt lagenae capacitate digitorum cubicorum 25-27 epistomiis vitreis diametro digiti bene munitae, quibus injiciuntur oxydi manganesii gr. 372 et aequales partes acidi muriatici et nitrici, ita ut altitudinem digitorum septem in lagenis attingant. Epistomia elevantur cochlea pressoria, quoties et quantum opus est. In nosocomio parvo sed ingeniose composito, quod Professor *Gräfeus* Ballenstadii dirigebat, semper in promtu est

lagena, dicto modo comparata. *Medicina veterinaria.* In lue bovina perniciosa plures medicorum recentium quam maxime extollunt utilitatem acidi muriatici ejusque vaporum. Aliquoties de die unc. ß-jjj acidi potibus sunt additae *(G. R. Frank)*. Non minus laudatur acidum muriaticum, nec, ut ipse observasse puto, injuria, in lue bovina peculiari, quae ad inflammationes lentas pertinet, et a germanis nomine parum congruo *Lungenfäule* insignitur *(Sick)*. *Infusum calami aromatici cum acido muriatico oxygenato.* R. rad. calami aromat. unc. Vjjj. flor. arnicae unc. jV conc. infund. in aqu. fervid. s. q. col. mens. jV adm. acid. muriatic. oxygenat. unc. jV. Dosis omni trihorio mens. dimidia in peripneumonia lenta boum *(Ammon)*.

ACIDUM NITRO-MURIATICUM.

AQUA REGIA.

Rec. Acidi nitrici partes duas,
Acidi muriatici partes quatuor.

In phiala, in aqua, quantum fieri possit, frigidissima, locata commisceantur, et, tecto phialae orificio, relinquantur per aliquot dies; quo facto immitte liquorem in vas vitreum, obturamento vitreo bene clausum, ac in loco frigido et obscuro servandum.

ACIDUM BORACICUM.

ACIDUM BORACIS. SAL SEDATIVUS HOMBERGII.

Rec. Boratis sodae alcalini, in pulverem redacti, quantum volueris.

Solve hoc in

Aquae depuratae bullientis sufficiente quantitate.

Solutioni fervidae adde per vices sub continua agitatione cum bacillo vitreo

Acidum sulphuricum depuratum,

donec humor leviter acescat.

Sepone liquorem, ut fiant in loco frigido crystalli leves et squamosae. Humorem separatum evapora, donec pellicula nascatur, ac crystallos per refrigerium excute, idque repete, donec lixivium sale lamellari exhaustum sit. Sal illud omne collectum frigida et depurata aqua leviter lava, ac sicca in bibula. Solutione ac crystallisatione in crystallos nitidas ac ampliores hoc boracis acidum coge.

Not. 349. *Germ.* Boraxsäure, *belg.* Boraxzuur, *angl.* Acid of Borax, *gall.* Acide boracique. Constat acidum boracicum ex lamellis albis argenteo splendore micantibus, sapore salino acriusculo. Educuntur plerumque ex unc. 34 boracis, acidi boracici unc. Xj. Aqua fervida vix quinta pars solvitur. Inter omnia acida minimam vim in metalla exercet. *Vis* sedativa experientia non affirmatur, in officinis igitur pharmaceuticis in posterum negligi poterit. *Dosis* gr. X-XX.

† *ACIDUM ACETOSUM.*

ACIDUM ACETI. ACETUM DESTILLATUM.

Rec. Aceti vini quantum volueris,

Pulveris carbonis vegetabilis partem decimam sextam adhibiti aceti.

Destilla leni igne e retorta vitrea. Liquorum primum prodeuntem, utut aquosum, separa, ac mutato excipulo sequentem, quamdiu ab em-

pyreumate liber est, collige; explora, num octo ejus partes valeant unam sodae crystallisatae saturare, sin minus, acetum vel magis concentratum, vel quod primum prodiit sufficienti quantitate adjice, ac vase vitreo clauso serva.

Not. 350. *Germ.* Essigte Säure, *belg.* azynagtige Zuur, *angl.* acetous Acid, *gall.* Acide aceteux, *ross.* ВИННЫЙ ДВОЕНЫЙ УКСУСЪ. Fit aceti destillatio, ut principium, quod extractivum dicunt, ab eo separetur. Concedi potest destillatio ex apparatu stanneo aut cupreo, stanno rite obducto, et cum tubo vitreo refrigeratorio conjuncto. Similitudinem quandam cum aceto acetoso refert *Essentia fuliginis*, ex acido ligni cum empyreumate conflata. Semper empyreuma paulisper redolet, licet impurior pars aceti in cucurbita retineatur *(Sapa aceti)*.

ACIDUM ACETICUM.

ACETUM RADICALE.

Rec. Acidi acetosi quantum vis.

Carbonatis sodae alcalini, quantum sufficit ad plenam acidi saturitatem.

Liquorem leni igne ad siccitatem evapora; residuo, in retortam vitream tubulatam immisso, adde sensim

Acidi sulphurici depurati tantum, quantum valet dimidium pondus adhibiti salis.

Appone excipulum amplum, ac, commissuris probe clausis, leni primum igne, dein augendo, destilla, donec nebula in excipulo et guttae ad

caudam retortae cessent. Collectum sic acidum aceticum vitreo vase probe clauso serva.

Si aliquid acidi sulphurosi contineat, hoc baryta aufer, et nova destillatione rectifica.

Not. 351. *Germ.* Essigsäure, *belg.* Azynzuur, *angl.* Acid of Vinegar, *gall.* Acide acetique, *ross.* УСИЛЕННАЯ УКСУНАЯ КУСЛОТА. Prisci pharmaceutae non ignorabant varios acetum concentrandi modos, ad unum omnes fere vitiosos. Huc referri debent *Spiritus aeruginis* et *Spiritus Saturni*, quorum unum ex acetite cupri, alterum ex acetite plumbi destillatione eliciebant. Innocuam concentrationis methodum primus reperit *Westendorffius*, qui acidum aceticum ex acetite sodae acido sulphurico evocare docuit. Est eadem, quam autores pharmacopoeae Batavae praecipiunt. Pondus specificum aceti, quod taliter concentratur, est ad pondus aquae destillatae ut 1,080 ad 1,000. *Lowitzius* exposit aliam aceti, ejusque purioris et fortioris, obtinendi methodum exposuit (1,530 ad 1,000). *Acidum aceticum Lowitzii* R. sulphat. potass. pulverat. unc. Xjj acidi sulphurici concentrati unc. Vj aqu. commun. unc. XVjjj dilutas. Mixta evaporent ad siccum. Adm. acetitis sodae leni calore siccati unc. jX, manganesii oxydati subtilissime triti unc. ß. Immitte massam in retortam vitream, et applicato vase recipiente atque junctu-ris rite clausis, ex arena calore moderato fiat destillatio Componitur acetum radicale carbonio, hydrogenio et oxygenio. Pellucidum est, odore et sapore pariter pungente, sine aura empyreumatica. *Vis* analeptica, diaphoretica. *Usus.* Per se parum adhibetur interne, etsi a scr. j et dr. ß cum aqua efficacissimum sit remedium. Libra una aquae drach. jj sufficienter acescit. Ob minorem molem praesertim commendatione dignissimum est in officinis pharmaceuticis militaribus. Adjici jubet *Augustinus* balneo aromatico acidi acetici libr. j et spirit. vin. simpl. libr. jj. Facili negotio intelligitur, balnei pretium, acidi acetici additamento, praeter necessitatem augeri, atque hic aceto vini non esse praeferendum,

quod aqua dilutum idem fere sit. *Acetum odoriferum Disp. Fuld.* R. acidi acetici unc. j spirit. meliss. citrin. dr. jj olei aether. citri — — Lavendulae gutt. V — — caryophyll. gutt. jj m. Galli instillant sulphati potassae grossiuscule pulverato alcohol aceti, atque utuntur hoc pulvere odorifero sub nomine *Sel de vinaigre* (*Fourcroy*).

ACIDUM TARTAROSUM.

ACIDUM TARTARI. SAL ESSENTIALIS ACIDUS TARTARI.

Rec. Tartritis acidulae potassae, in pulverem redactae, libras tres,

Aquae pluvialis libras quindecim.

In vase stanneo vel cupreo, stanno rite obducto, ebulliant. Adde sensim per vices sub perpetua agitatione

Cretae depuratae in pulverem redactae, quantum sufficit ad acidum saturandum.

Vas ab igne removeatur et quiescat, ut pulvis albus, qui Tartris calcis est, subsidat. Liquor supernatans prudenter effundatur, sedimentum autem aqua saepius affusa edulcoretur, donec nihil salsi amplius solvatur. Liquores, cum prior liquor, tum posteriores ad lotionem adhibiti, si commisceantur, filtrentur et leni calore ad crystallisationem evaporentur, tartritim potassae largiuntur. (*a*)

(*a*) *Cui murias calcis ad manus est, hoc inserviat ad tartritim potassae decomponendam, ac ita Tartritis calcis copiam augendam.*

Sedimento edulcorato, seu Tartriti calcis addatur

Acidi sulphurici libra una,
Aquae pluvialis libris decem diluta.

Spatula lignea agitentur saepius et per triginta sex horas digerantur. Sedimento posito, quod Sulphas calcis est, explora humorem supernatantem acidum, pauxillo illius affundens acetitis plumbi solutionem, cujus praecipitatum, si acido nitrico depurato affuso plane dispareat, nullum acidum sulphuricum hîc adesse arguit. Si acidi sulphurici nihil inesse comperias, prudenter acidum hoc adde, ita ut tantillum illius liquori maneat immixtum, quo promoveatur crystallisatio. Quiescat tunc vas, donec sedimentum positum est; humorem limpidum effunde et de sedimento lotione repetita, sive hac sola, sive adjuta praegressa pressione preli, laminis stanneis muniti, omne acidum separa. Liquores hi aciduli commixti in vase vitreo evaporentur, donec ad crystallos demittendas fere apta est solutio. Hac periodo evaporationis iterum quieti detur vas, sedimentum denuo natum per colum separetur, et limpidus humor in vase amplioris superficieï vitreo, vel porcellanico lentae evaporationi tradatur ad syrupi tenuioris spissitudinem, ut fiant crystalli ex acido tartaroso.

Acidum sulphuricum adhaerens, crystallos promte lavando tantillo aquae depuratae frigidae,

quantum possit, auferatur, ac crystalli in bibula siccentur et vase vitreo clauso serventur.

Not. 352. *Germ.* Weinsteinsäure, *belg.* Wynsteenzuur, *angl.* Acid of tartar, *gall.* Acide tartarique, *ross.* КИСЛОТА ВИННОКАМЕННАЯ. Libra dimidia tartritis potassae acidulae porrigere solet unc. jjß acidi, quod constat carbonio, hydrogenio et oxygenio. Eadem quantitas erui dicitur ex succi uvarum immaturarum unc. 36 (*Hermbstädt*). Requiruntur plerumque duae partes cretae ad saturationem septem partium tartritis acidulae potassae. Testae vero cretae antecellunt, crystallosque acidi tartarici reddunt albidiores. Fiat evaporatio solutionis acidi tartarici modico igne, ne acidum nimio calore alteretur, quod in crystallos coit albos et siccos, quorum partes 1,000 solvunt aquae partes 1,230. Albedinem in his acido nitrico efficere quidam suasere, sed liquidiores eos reddit, et odorem proprium eis inhalat, ipsumque acidum in malicum et aceticum convertit. In sicca destillatione ex tartrite potassae acidula progreditur acidum empyreumaticum, olim sub nomine *Spiritus tartari* ut sudoriferum (dr. j pro dosi) laudatum, quod praeter acetum pauxillum acidi tartarosi continet, ceteroquin non parum ab hoc diversum. *Vis* temperans, analeptica, antikalina, diuretica. *Usus.* In febribus, cum corruptela bilis conjunctis, apud plurimos cum tartrite potassae acidula laudem partitur. Potibus usque ad gratum saporem admisceri solet, nec non mixturis syrupo quodam edulcorandis. Libra dimidia aquae drachma una acidi non parum saporis aciduli acquirit. Substitui solet sal essentialis tartari succo citri in limonada et punch, nec autem sine suavitatis atque emolumenti imminutione. *Pulvis pro limonada Disp. Lipp.* R. sacchari albi unc. Vjjj olei del cedro gutt. Vjjj acid. tartarici unc. jj conter. ut f. pulv. Miscetur cum aqua usque ad gratam aciditatem. *Mixtura simplex* (spiritus de tribus) R. spiritus theriacalis camphorati unc. V — tartari rectificati, — vitrioli rectificati. Dosis gutt. 40-50. *Mixtura simplex Ludovici* cum hac fere eadem, loco spiritus theriacalis camphorati, spiri-

tum bezoardicum autoris continet, et *Mixtura pyrotartarica Ph. Bor.* mixturae simplici substituta, spiritum angelicae compositum.

ACIDUM BENZOÏCUM.

ACIDUM BENZOES. FLORES BENZOES.

Duplici acquiritur modo, vel per SUBLIMATIONEM vel PER SOLUTIONEM.

ACIDUM BENZOÏCUM PER SUBLIMATIONEM.

Rec. Benzoës optimae, in pulverem rudiorem tritae, quantum vis.

In ollam figulinam immitte, cujus orificio conum chartaceum impone et ad balneum arenae leni calore, quo resina fluat, acidum benzoïcum forma crystallorum coloris argentei per sublimationem collige. Conum chartaceum saepius muta, ut eximantur flores, et sublimando perge, donec sal excussum fuscescat, quod vitro clauso servetur.

ACIDUM BENZOÏCUM PER SOLUTIONEM.

Rec. Benzoës optimae, in pulverem tenuissimum tritae, quantum velis.

Carbonatis sodae alcalini partem quartam benzoës adhibitae.

Aquae pluvialis sextuplum.

Coque in vase stanneo, vel figulino, continuo agitans per dimidiam horam; quiescat vas et effundatur limpidus supernatans humor. Re-

siduum iterum aqua addita coque ut ante, et liquorem priori adjice. Liquores commixtos evapora, donec supersit duplum ponderis benzoës adhibitae, dein

Acidum sulphuricum dilutum

guttatim adde, ut omne acidum benzoïcum forma materieï caseosae flavescentis expellatur, quod iterata solutione per aquam fervidam et crystallisatione per refrigerium in crystallos tenues et sericas cogatur, in bibula siccetur, ac vase vitreo clauso servetur.

Not. 353. *Germ.* Benzoësäure, *belg.* Bensoinzuur, *angl.* Acid of Benjamin, *gall.* Acide benzoïque. Acidum benzoicum potius pungente sapore gaudet quam acido. Spiritu vini calido solvuntur partes aequales, atque una tantum quadringentis partibus aquae frigidae et triginta partibus fervidae. *Vis* excitans, pulmones stimulans. Praedicatur acidum benzoïcum in catarrhis inveteratis, atque catarrho suffocativo. At quaeritur, an non oleo succini admixto multum virtutis forsan tribui debeat? Num igitur acidum sublimatione paratum praevaleat illo, solutione cum carbonate sodae pronato et praecipitatione? (*Hoffmannus* moguntinus). *Dosis* gr. jj-XXX. Vid. not. 482.

ACIDUM SUCCINICUM.

SAL SUCCINI.

Rec. Succini in pulverem redacti libras duas,

Arenae siccae ac purae partem tertiam succini adhibiti.

Ex retorta vitrea, cui collum amplius, apposito excipulo capaciori, clausis ita commissuris,

ut tamen fluido elastico possit concedi exitus, de balneo arenae destilla, igne primum leni, dein sensim augendo, donec retortae fundus candeat.

Destillato prudenter collecto adde aquam fervidam, ut omne, quidquid salsi insit, solvatur. Oleum separa, illudque iterum aqua fervida lava, et hunc liquorem priori adjice. Oleum serva ad rectificationem; at humorem acidulum per colum, aqua madens, transmissum, lenissimo calore evapora, et ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas iterum solve aqua fervida; ignem instrue, ut per parvum temporis spatium humor ebulliat; tum cola et leni evaporatione crystallos refrigerio augendas collige, denique in bibula siccatas, vase vitreo rite clauso serva.

Not. 354. *Germ.* Bernsteinsäure, *belg.* Barnsteinzuur, *angl.* Acid of yellow amber, *gall.* Acide succinique. Componitur acidum succinicum peculiari coitione ex calorico, hydrogenio et oxygenio. Solvuntur spirit. vini fervid. gr. 250 gr. 177 acidi, ad gr. 212 Th. F. aquae unciis duabus uncia ejus una, quam refrigerata magna ex parte deponit. Crystalli acidi succinici, qui acido nitrico volatiliori commode depurantur, aëre non mutantur. *Vis:* antispastica, diaphoretica. *Usus.* Etsi virtutem, quam medici de hoc acido gloriantur, nollem plane ei denegare, nullo modo tanti eam facio, ut fieri solet, quia raro genuinum adhibetur, et frequentissime mangonizatur. *Dosis* gr. V-XX.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

ACIDUM PHOSPHORI.

Rec. Ossium animalium mammalium, ad albedinem calcinatorum, et in pulverem

subtilissimum redactorum libras quatuor.

Adde

Acidi sulphurici concentrati libras duas et duas uncias,

Aquae communis viginti quatuor libris dilutas.

Ebulliant sub continua agitatione per duas horas in vase stanneo, dein quiescant, donec speratum cernitur sedimentum. Limpidus humor effundatur et nova aqua iterum atque iterum affusa, sedimento adhaerens acidum auferatur, sive etiam prelo, laminis stanneis munito, si lubitum fuerit, separatio promoveatur. Omnis hic liquor coletur et primum in vase stanneo, dein vitreo per evaporationem ad quantitatem trium ferme librarum ponderis reducatur, caute separato pulvere, qui sub evaporatione expellitur. Superstiti humori instilletur

Carbonas ammoniae alcalinum liquidum, quamdiu praecipitatum formatur, filtro dein separandum. Limpidus humor in vase porcellanico evaporetur, mox in retorta vitrea, vel crucibulo porcellanico, igne aucto, placide fluat, ac tandem refrigerata massa

Aquae depuratae partibus sex

solvatur, denuo coletur et servetur.

Not. 355. *Germ.* Phosphorsäure, *belg.* Phosphorzuur, *angl.* phosphoric Acid, *gall.* acide phosphorique.

Calci ossium adhaerent, ut omnibus notum est, acidum phosphoricum et pauxillum acidi carbonici, quae sulphurico educuntur. Carbonicum evaporatur, phosphoricum humore limpido continetur, qui praecipitatum (sulphas calcis) supernatat. Cum autem liquor ex acido phosphorico praeter hoc phosphas calcis retineat, id ammonio carbonico separari debet, quod dein, acido carbonis sponte deposito, ignis adminiculo in aërem dissipatur. Etsi inquinatio acidi phosphorici hac encheiresi pronati cum phosphate calcis, quod, quantumcunque sit, inhaeret, nec usum medicum nec pharmaceuticum prohibeat, praeparatio acidi phosphorici ex ipso phosphoro cum acido nitrico, cujus oxygenium in hunc transfertur, ob vile pretium, quo hodie phosphorus divenditur, in officinis pharmaceuticis secundum pharmacopoeam Borussicam praeferenda esse mihi videtur. *Driessenius* sequenti modo sibi comparavit acidum phosphoricum purum. Evaporatur acidum phosphoricum acido sulphurico ex ossibus eductum in vase stanneo, ut maxima pars phosphitis calcis acidulae separetur. Hoc sale remoto solutioni adhuc ferventi tam diu acidum sulphuricum adstillatur, quam praecipitatum apparet. Gypso denuo filtratione et expressione per pannum sejuncto, fluidum in vase vitreo ad syrupi tenuioris consistentiam inspissatur. Quinque vel sex partibus alcoholis affusis reponatur per horas 24. Gypsum adhuc inhaerens plane fundum petit, atque alcohol destillatione aufertur. Acidum pronatum vel aqua diluitur, vel concentratum servatur. Oxalate acetosellae calcaria ex acido phosphorico extrudi nequit. Constat acidum phosphoricum ex oxygenii part. 60 et phosphori part. 40. Pondus ejus specificum ad pondus aquae est ut 15,575 : 10,000. Pellucidum est, inodorum ac peculiari acido sapore praeditum. *Vis:* analeptica, excitans, nutriens *(de Vries)*. *Usus.* In morbis acutis frequentius, quam fieri solet, hoc acidum adhiberi posset. Cariei dentium aliorumque ossium sanationem saepius acceleravit *(Lentin)*. *Dosis* omni bihorio gutt. 15-40 vasculo dimidio aquae dilutae. Mixtura ex tinctur. cinnamom. dr. jj, acid. phosphoric. dr. j omni hora gutt. 25-30 contra

haemorrhagiam uteri passivam commendatur *(Burdach)*, eamque perutilem esse in ea sistenda ex casu inveterato egometipse didici. Infus. flor. chamom. unc. Vjjj cum acid. phosphoric. unc. j usui externo inservit contra cariem. *(Hufeland J. d. p. H. VIII. 1. S. 177)*. Dentibus cariosis atque dolorosis admovit *Hirschius* mixturam ex unc. ß tinct. myrrh. cum acid. phosphoric. gut. XXX.

Alcalia Salina.

† *POTASSA LIQUIDA.*

AQUA LIXIVIA CAUSTICA. E. AQUA KALI PURI. L. LIQUOR KALI CAUSTICI. B.

LIXIVIUM CAUSTICUM ET SAPONARIORUM.

Rec. Carbonatis potassae alcalini partes duas,
Calcis partes tres.

Mixta in vase ferreo coque in

Aquae pluvialis partibus sedecim,

per dimidium horae, assidue materiem agitans bacillo ligneo. Partem liquoris exiguam colatam examina; si, addito huic acido, appareat effervescentia, plus calcis adde; si vero, addito lixivio carbonatis potassae, liquor opacus reddatur, plus alcali adjice. Liquoris recte parati notae sint, quod nullam, nisi forte levissimam cum acidis effervescentiam cieat, lixiviumque alcalinum carbonatum nulla ratione opacum reddat. Ita jam per duplex linteum cola et sub finem leni pressione liquidi separationem juva. Massae dein residuae

Aquae partes quatuor

insuper affunde, ut adhaerens sal separetur, in alios usus servandum. Lixivium tandem primum se dissipet, donec remanserint partes octo, et in lagenam majorem exacte claudendam immittatur et seponatur, donec evadat limpidum. Hoc facto deducatur a sedimento et in lagenis minoribus, obturamento vitreo accurate munitis, usui servetur.

Not. 356. *Germ.* Flüssige Pottasche, kaustische Lauge, *belg.* Potaschloog, *angl.* Lixive of kali caustic, *gall.* Potasse pure liquide, lessive caustique. *Vis.* Adurit potassa cuticulam, eamque erodit. Diluta potenter fibram muscularem exagitat, acidum attrahit, lotium pellit, nec non veram virtutem lithontripticam aliqua ex parte manifestat. Perpensis innumeris observationibus, atque considerata variorum calculorum urinariorum natura, nullus inficias ibit, potassam, sit illa acido carbonico orbata, aut cum eo juncta, calculos in uriniferis viis, qui ex solo urate ammoniae aut acido urico cum albumine compositi sunt, penitus dissolvere, illos autem, qui ex phosphate calcariae, phosphate magnesio-calcariae, oxalate calcariae (calculi muriformes, pierres murales) et silice compinguntur, ab eo intactos remanere vid. not. 347. Adferre autem dicitur conjecturam de acidi urici in calculo praesentia, praecipitatum acido muriatico in urina emissa exortum, postquam potassa fuit aegris propinata. *Dosis* ter vel quater de die scr. β vel guttulae quindecim cum jusculo ex carne vitulino, ne ventriculum gravet. *Lithontriptic Jurini aut Chittiki*, medici Londinensis, nihil aliud est, quam potassa liquida, communi dilutior. Nam fit ex dr. XjX et gr. Xjj carbonat. potass. cum aqu. unc. XV. Dosis: ter de die scr. j-jj. *Solutio potassae liquid. Cohenii* R. potass. liquid. gutt. X-XX decoct. bacc. juniper. libr. j sumatur una die. *Solutio potassae della Lena* R. Acetit. potass. liquid. officin. unc. jjß carbonat. potass. unc. j aqu. commun. dest. unc. jV spirit. vin. alcoholisat. unc. jj.

Diger. in vase vitreo, donec solutio est peracta. Imitatus est hoc modo arcanum della Lena *Hermbstadius.* (V. comment. period. s. t. Berlin. Monatsschrift März 1796. p. 246). Dedit autor gutt. jV-Vj, sine noxa autem porrigi possunt gutt. X-XXX. Inter usum internum potassae quoque portio adaequata ex guttulis ejus XX aquae commun. destill. libr. j dilutis matutino tempore, urina emissa, catheteris ope tepore 90 gr. Th. F. vesicae urinariae a *Rittero* est injecta. *(Hufel. J. d. p. H. XXV. 2. p.* 147). Retinebatur injectio per horam et dimidiam. Urinam, quae sedimentum mucosum deponebat, kalinam naturam adeptam esse, ex periculis chemicis cum ea institutis non elucebat.

POTASSA FUSA.

KALI CAUSTICUM SICCUM B.

LAPIS CAUSTICUS.

Rec. Potassae liquidae quantum volueris.

In vase ferreo se dissipet, donec aqua abacta, materia salsa instar olei fluat, et gutta illius, in metallum frigidum stillata, mox concrescat. Quo viso, effunde in modulos cupreos calefactos et pauxillo olei illinitos; ac cylindros induratos calidos, inter furfures siccatos, in phiala probe obturanda serva.

Not. 357. *Germ.* Reine trockne Pottasche, Aetzstein, *belg.* reine Pottasche, reiner Etssteen, *angl.* Caustic, common strong, *gall.* Pierre à cautère. Satis elucet potassam fusam ab anteriori sola compagine differre. Deliquescit aëri exposita. Occurrit etiam sub nomine *nitrum fixum*, quod post detonationem nitratis potassae restat, atque deliquium sub nomine *Alcahest Glauberi* constituit. Potassam sicut sodam, ammoniam, barytam, strontianam et calcem cum aggere galvanico tractatas metallicam indolem manifestare Davyanis experimentis docemur. *Usus. Tinctura kalina Ph. Boruss.* Paratur

ex potass. fus. unc. jV spirit. vin. rectificatiss. libr. j per aliquot dies digest. Conveniunt cum ea *tinctura metallorum*, *tinctura antimonii acris*, *tinctura antimonii tartarisata*, quae solam potassam arripiunt, metallo vitreato intacto. Dosis: gutt. 10-50 aqua copiosa dilutae. Optime unc. j tincturae additur scr. j olei anisi aut — carvi aetherei. (*Schulzii prael. in D. Br. Ed II. p.* 633). Lotium optime pellit Tinctura ex hujus dr. jj cum Tinctur. cantharid. dr. j; dosis gutt. X-XX. Recentiori tempore balnea ex potassa contra tetanum traumaticum, una cum usu interno mutuo opii et carbonate potassae alcalino, summopere laudata sunt, nec non fomenta kalina *(Stütz)*. Solvuntur, ut laudator horum balneorum vult, potass. fusae unc. j sensimque, concedente natura morbi unc. jj in semicupio, quod ex lixivio fit quale ex communi lignorum cinere parari solet. (*Salzb. mediz. chirurg. Z.* 1800. *I. p.* 92). Melius, nisi fallor, valor et effectus balneorum kalinorum aestimantur, quae ex sola potassa fusa componuntur, cum cinis ipse ratione potassae differat, itemque lixivium, pro illius copia et decoctionis diversitate. *Fomentum ex potassa* R. potass. fus. unc. j aqu. commun. dest. mens. jß. Ventri fuit applicatum in spasmo clonico gravidae. (*Brünninghausen* Hufel. J. d. p. H. X. 4. p. 20). Clysmati addebantur scr. jj carbon. potass. et interne propinabantur cochl. jj omni bihorio ex carbon. potass. dr. j in aqu. commun. dest. unc. jV solut. et hora intercurrente gutt. X tinct. opii crocatae. *Injectio potassae in gonorrhoea* R. potass. fus. dr. ß aqu. commun. dest. unc. Vj. Initio primi stadii gonorrhoeae a *Girtannero* praedicatur, cujus autem consilium hypothesi magis effertur, quam experientia probatur. *Solutio potassae fusae Saviardi.* R. potass. fusae dr. jj camphor. scr. jj sacchar. alb. unc. jj aqu. font. libr. jj. Eluuntur hac solutione ulcera callosa inveterata, carne luxuriosa livida obducta. *Pasta caustica Elseana in hydrocele.* R. lixivii saponar. s. potass. liquid. unc. Vjjj coqu. donec supersunt unc. jj; liquori ebullienti adm. extr. thebaici dr. jj calc. viv. dr. Vj vel. q. s. ut omnis liquor absorbeatur. Pasta servetur vase bene obturato.

† *AMMONIA LIQUIDA.*

AQUA AMMONIAE CAUSTICA. E. AQUA AMMONIAE PURAE L. LIQUOR AMMONII CAUSTICI. B. SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM CALCE VIVA.

Rec. Muriatis ammoniae partes duas,
Calcis recens ustae, et aquae depuratae parte una exstinctae, partes quinque.

Seorsim trita in pulverem, demta calcis parte una, in retortam immittantur et probe misceantur, ac dein adjiciatur pars una superstes calcis, ut hujus strato reliqua materies tegatur. Tubo vitreo interposito, jungatur retorta cum apparatu Woulfiano, cujus prima lagena minor contineat

Aquae depuratae partem tertiam muriatis adhibiti,

altera autem lagena amplior et tertia

Aquae ejusdem tantum, quantum valet pondus muriatis ammoniae.

Commissuris omnibus probe firmatis, tubisque ad securitatem rite positis, ex balneo arenae, igne primum leni, dein sensim aucto, gas copiosum quantum fieri possit, versus apparatum Woulfianum pellatur. Quod gas ubi plane expulsum fuerit, refrigerio detur apparatus, ac in prima lagena ammonia erit, aliquando sordibus inquinata, hinc seponenda; in altera autem lagena ammonia liquida purissima, gas sa-

turata, et in tertia lagena ammonia erit pariter purissima, sed minus generosa; seorsim ergo hi liquores serventur lagenis, vitreo obturamento accurate claudendis.

In retorta superstes est MURIAS CALCIS.

Not. 358. *Germ.* Flüssiger ätzender Ammoniak, caustischer Salmiakgeist, *belg.* vlugtiger etzender Salammoniak Geest, *angl.* Spirit of ammonia caustic, *gall.* Esprit volatil de sel ammonic caustique. Componitur ammonia pura ex quatuor partibus azoti, et una parte hydrogenii in gas, atmosphaerico levius, cito ad gr. 130 Th. F. transmutabilis. *Pond. specif.* est 0,9054. Constat ex aquae 74,63 et ammon. 25,37. *Vis:* antacida, summe excitans, diaphoretica, rubefaciens. *Usus* in paralysi, et arthritide. *Dosis* gutt. V-XXV in quatuor unciis aquae. Externe potenter excitat membris paralyticis infricata, aut nasibus admota. Pannus laneus calidus ea inspersus haemorrhagias post partum nimias inhibuit. *Componitur liquor ammonii vinosus Ph. Bor.* ex spirit. vin. rectificatiss. p. jj et ammon. liquid. p. j. Dosis gutt. XV-LX. Hujus loco olim liquor ammoniae prostabat sublimatus ex muriat. ammoniae, ciner. clavell. cum aqua et spiritu vini pauxillo acidi carbonici mitigatus. Saepius olea aetherea ammoniae liquidae adstillantur. *Liquor ammonii anisatus Ph. Bor.* (spiritus sal. ammon. anisat.) R. spirit. vin. rectificatiss. unc. Xjj olei anisi aether. unc. β solut. adm. liqu. ammon. caust. unc. jjj. Dosis: gutt. X-XX. Cum hoc fere convenit liquor ammon. foeniculatus. *Spiritus volatilis aromaticus Ph. Ed.* (Brem. 1784) R. liqu. ammon. vinos. unc. Vjjj olei aeth. rorismar. dr. jβ — — cort. limon. dr. j. Pharmacopoea Londinens. (1788) addit olei aeth. limon. — — nuc. moschat. ana dr. jjβ. Dosis gutt. XV-XX. *Spiritus volatilis foetidus Ph. Ed.* R. spirit. sal. ammon. vinos. unc. Vjjj. asae foetid. unc. β. Dosis: gutt. XX-LX. Elucet, hos spirit. ammon. compositos fere omnes ex tempore parari posse. *Elixir pectorale Ph. Dan.* (1805)

(vulgo Elixir regis Daniae, seu Ringelmanni) R. extr. liquirit. unc. Vj aqu. foenicul. libr. j sem. anis. contus. unc. j liqu. ammon. vinos. libr. jjj per. viginti horas digesta colentur. Dosis: gutt. LX-LXXX. *Elixir ex succo liquiritiae Ph. Bor.* Ed. II. R. succ. liquirit. dep. unc. jj aqu. foenicul. unc. Vj solut. et colat. adde liqu. ammon. anis. unc. jj tinct. opii crocat. dr. jj. Uncia una hujus elixireos continet solutum ex opii gr. jj. Dosis: gutt. 40-80. *Liqu. ammonii cum oleo succini* (Aqua Luciae, eau de Luce) R. spirit. vin. rectificatiss. unc. j sapon. alicant. gr. jjj solvant. in lagena vitrea, probe solut. et filtr. adm. olei succini rectificat. dr. ß miscelae huic citrinae add. liquor. Ammon. caust. unc. jV. Perpetua agitatione misceantur, usque dum acquisiverint colorem lacteum. Potissimum externe adhibetur. Dosis gutt. X.

Alcalia Terrestria.

CALX.

CALCARIA B.

CALX VIVA.

Rec. Concharum ostrearum, aqua calida lotarum, et ab omnibus alienis adhaerentibus liberatarum, seu
Lapidis calcarii solidioris, albi, ut marmoris, quantum placet.

Igni intenso exponatur, donec omnes calcis vivae proprietates exhibeat; quarum praecipua haec esto, ne cum acidis effervescat. Calx servetur vasis clausis.

Not. 359. *Germ. & belg.* Kalk, *angl.* Chalk, *gall.* Chaux vive, *ross.* ИЗВЕСТЬ. *Vis* caustica, lithon-

triptica, externe exsiccans. *Usus.* Testae ovorum calcinatione in fuscum colorem tantum mutatae a scr. jj ad dr. j mane et vesperi cum vino rubro contra strumas sunt usitatae. *(Dapeyron de Cheyssiol).* Ingrediuntur etiam arcanum lithontripticum stephensianum, quod iis et saponi maximam virtutem debet, atque in calculos urinae ex acido urico et urate ammoniae agere videtur. Constat nempe ex testis ovorum et limacibus domiportis, quibus superbibitur decoctum ex herba chenopodii ambrosioidis, flor. chamom. fol. foeniculi et petroselini. Dantur insuper omni bihorio pilul. ex domiport. sem. pastinac. sylv. — lapathi major. — fraxini — rub. idaei — oxyacanthi acqual. part. cum sapone et mell. commixt. D. gr. X-XV. Substituerunt huic arcano alii testas ovorum, ter de die scrupul. unum atque solutionem ex sapon. medicat. unc. jjj cum aqu. unc. Vjjj. Simili modo componuntur *pilulae et emulsio Hartleyi* priores scilicet ex sapon. calc. et potassa, posterior ex sapone et conch. ostrear. *Unguentum ex calce viva* R. calc. viv. unc. j, olei lini unc. jjj, mucilag. sem. cydon. unc. jj. Applicatur ad ulcera a combustione pronata. *Maltha ex calce viva Hirschii* R. calc. viv. terebinth. coct., et vernic. vulg. ana. Immittitur dentibus excavatis, postquam purgati sunt et usti. *Todeus* laudat linimentum ex calce viva et sapone viridi in delendis naevis maternis.

† *AQUA CALCIS.*

AQUA CALCARIAE USTAE. B.

Rec. Calcis recentis libram unam
Aquae communis libras quindecim.

Aquam calci sensim affunde, continuo agitans; sepone per duodecim horas, et vas saepius concute; postea quiescant, ut sedimentum ponatur; et liquorem supernatantem limpidum prudenter effunde, ac vasis clausis serva.

Not. 360. *Germ.* Kalkwasser, *belg.* Kalkwater, *angl.* Chalkwater, *gall.* Eau de chaux. Solvit aqua $\frac{1}{450}$ calcis vivae, atque acquirit exinde saporem acrem, qui sub sensu caloris in lingua excitatur. *Vis* absorbens, adstringens, lithontriptica, siccans. *Usus* in dysuria calculosa, soda, rheumatismo chronico et phthisi pulmonali. *Dosis quotidiana* aliquot unciae usque ad mensur. j cum vel sine lacte. In dysuria calculosa unc. XVj sapon. dr. jjj addi queunt *(Whytt)*, atque mitigatur aqua calcis sapor saponaceus. Gustus parum gratus, in lingua ab assumta aqua calcariae perceptus, mox aufertur pauxillo aceti in ore detento, atque dein exsputo. Aquae calcariae plus minusve compositae, e. g. maceratione cum ligno sassafras + guajaci aliisve, merito ex hodiernis officinis pharmaceuticis emigrarunt, cum cito deconponantur. Calculosis mane et vesperi aquae calcis unc jV-V cum scrupulo j amyli vel sine eo, ope catheteris flexibilis, cujus remora ab aegris sat bene fertur, injicuntur. Laudatur a Todeo *linimentum ex aqua calci* et oleo oliv. aequ. part. ad ambustiones; quod in herpee faciei pertinaci pariter profuit. (Hufel. J. d. p. H. XXIII. 3. p. 209). *Decomponitur* aqua calcis acidis, kalinis, salibus neutris cum acidi praedominio, ut alumine et tartaro puro, borace, salibus metallicis.

MAGNESIA.

MAGNESIA PURA, SEU USTA.
MAGNESIA CALCINATA.

Rec. Carbonatis magnesiae alcalini, quantum vis.

In crucibulum immitte, quod probe, ne carbones incidant, tegendum. Igne rubescat per duas horas, et in lagenam, obturamento vitreo probe muniendam, immitte. Si adhucdum cum acidis effervescentiam excitet, calcinatio protrahenda.

Not. 361. *Germ.* Gebrannte Bittersalzerde, Talkerde, *belg.* gebrennte Bidderzoutaard, *angl.* Magnesia calcined, *gall.* Magnésie calcinée. Magnesia ustione non fit caustica, ut calx. Grana 45 ustae aequalia censentur gr. 100 carbonatis magnesiae. *Vis* absorbens sine rictibus ex acido carbonico, et laxans acido in primis-viis attracto. *Usus* in soda. *Dosis* gr. XV-XXX. Decomponit haec terra alumen, murias ferri, tartritem potass. acidul. stibiatam, acetit. plumbi, muria-hydrarg et murias hydrarg. oxydul. et carbonas ammoniae.

Acida et Alcalia Salina.

† *CARBONAS POTASSAE ALCALINUM.*

LIXIVIA PURIFICATA. E. KALI PRAEPARATUM. L.

KALI CARBONICUM. B.

CARBONAS POTASSAE INCOMPLETUS.

CINERES CLAVELLATI DEPURATI.

Rec. Carbonatis potassae venalis, quantum placeat.

In pulverem redactum cum

Aquae pluviae frigidae quantitate pari commisce, et subinde agitandam miscelam per octo saltem dies sepone, amplissima superficie aëri expositam. Percolatum in lixivium in vase ferreo probe mundato dede ad siccitatem, curando, ut sub finem operationis ferveat vasis fundus, et continua agitatione cura, ne vasi adhaereat sal, quod mox exemtum in lagenam probe claudendam immitte.

Not. 362. *Germ.* Unvollständige kohlenstoffsaure Pottasche, *belg.* unvollmaakte kohlenstoffzuure Potasch, *angl.* incompletely carbonated kali, *gall.* Carbonate de potasse non saturé. Carbonas potassae alcalinum siccum est urente et peculiari potassae sapore praeditum. Aqua gr. o. Th. R. solvit quartam ejus partem, aqua gr. 40 ej. Th. tertiam. Viridat hoc carbonas succos plantarum rubros. Purior elixatur ex tartaro crudo usto. Varia carbonata potassae olim in usu fuere ex variis plantis elixata plus minusque impura, ut sal absinthii, genistae, multaque alia. *Vis* excitans, antacida, diuretica. Varia salia metallica venenosa obtundit, ut murias hydrargyri. *Usus* in soda, dysuria calculosa, hydrope et tetano. *Dosis* gr. X-XV ter et pluries per diem. Cum ad aërem deliquescat, solutio praefertur ex part. jj aquae dest. et carbon. potass. alcalin. p. j (olim *oleum tartari per deliquium*). Dosis gutt. XV-XL. aut ex carbon. potass. alcal. dr. j-jj et aquae dest. unc. V Dosis cochl. j. Ut salia metallica acria citius decomponantur, omni horae quadrante porrigatur dosis. In tetano omni bihorio cochl. jj dantur ex solutionis carbonatis potassae alcalini scr. jj-jV et aqu. dest. unc. jV addendo solutioni, omni alterna die, potassae gr. Vj-Xjj et symptomatibus crescentibus scr. β-scr. j. Periculo urgente omni hora datur dosis. Primo die versus vesperam porrigitur opii gr. j. Spasmo sequenti die non remittente, immo ipso tetano erupto, ter in die solutioni kalinae interponitur opium, mane scilicet gr. j postmeridie gr. jβ et vesperi gr. jj, ita ut omni die singulae dosi granum dimidium opii addatur. (*Stütz*). Alternis diebus clysma ex solutione aquosa saponacea cum carbon. potassae dr. -jj injicitur et balneum insuper kalinum in usum vocatur. Vid. not. 357. *Solutio carbonat. potass. pro usu externo.* R. Carbonat. potass. alcalin. unc. β solv. in aqu. dest. libr. j. Profuit in nodis mammarum a lacte stagnato discutiendis et dissolvendis.

CARBONAS POTASSAE.

CARBONAS POTASSAE COMPLETUM.

POTASSA AERATA.

Rec. Carbonatis potassae alcalini partes duas,
Aquae pluviae partes tres.

Fiat lege artis solutio. Lixivium percolatum in amplum immitte excipulum, cujus vigesimam tantum partem adimpleat, et quod ore pateat vasto. Jam retortam sume tubulatam itidem capacem, quae contineat

Carbonatis calcis nativi pulverulenti, in frusta minora redacti, partes tres.

Hujus rostrum tam alte ingrediatur vas recipiens, ut lixivii alcalini superficiem fere tangat. Cura interim habeatur, ut apparatus sit firmiter positus, ne motu, ex acidi continua affusione inducto, crystallisatio turbetur. Jam sume

Acidi sulphurici depurati partes duas,
dilutas
Aquae pluvialis partibus octo,

et liquorem, penitus refrigeratum, per vices in retortam immitte. Atmosphaerae hîc calorem consideret Pharmacopoeus; quo enim haec frigidior, eo promtius acidum carbonicum arripiet aqua alcalina; glaciale autem frigus non favet operationi, cum lixivium, pro parte tantum acido saturatum, inde solidescat. In caloris temperatura graduum 50—60 in scala Fahrenheitiana al-

tera quavis hora, verbi causa, affundatur acidi pars sexta. Post primam affusionem obturamento subereo exacte claudatur retortae tubus: ita gas acidum carbonicum gravius sensim aërem atmosphaericum per vasorum juncturas pellit, quae tunc vesica duplici claudendae. Postquam hac ratione per vices acidum omne immiseris, subinde massam effervescentem bacillo ligneo agitans, post viginti quatuor horas invenies magnam eamque purissimam salis partem, egregie crystallisatam.

Separatis crystallis, quae ut plurimum salis lixivii dimidium pondere aequant, quod residuum est lixivium percoletur, propter terram inprimis siliceam, quae hic plerumque deponitur, et lenissimo igni committatur; ita post debitam evaporationem crystallorum adhuc partem dimidiam acquires, saepe majorem copiam, prout faveat tempestas. Lixivium autem evaporationi destinatum, cave ne diu aëri relinquas expositum, praesertim tempore aestivo; post paucos enim dies avolavit aurae acidulae magna pars et carbonas potassae in carbonatis potassae alcalini statum sensim redit, ita ut paucae obtineantur crystalli.

Ultimum lixivium, quum puras regulares crystallos non amplius largiatur, aliis usibus inserviat.

Semper crystalli, ex lixivio exemtae, pauxillo aquae depuratae sunt abluendae, super charta

bibula siccandae et per triduum saltem ibi relinquendae.

Nota bonitatis haec sit, quod solutio illius, solutioni muriatis hydrargyri affusa, hanc lacteam reddat, carbonasque hydrargyri colore albo praecipitet. Si color flavus conspiciatur, signum erit, non sufficienter alcali esse saturatum; quo praecipitatum album minori sit copia et tardius fiat, eo magis alcali est acido carbonico impraegnatum. Primae crystalli in dicto apparatu hac gaudere qualitate deprehenduntur, licet omni adhaerente carbonate potassae alcalino non plane sint immunes.

Not. 363. *Germ.* Kohlensaure Pottasche, *belg.* koolenzuure Pottasch, *angl.* carbonated Kali, *gall.* carbonate de Potasse saturé. Kali perfecte saturatum sive acidulum Ph. B. Carbonas potassae saturatum constat ex potassae p. 30 acid. carbonici p. 43 et aquae p. 17 *(Pelletier)* anteriori mitius, aegrius deliquescens. Saturari etiam potest carbonas potassae alcalinum, solutione ejus evoporata, postquam aëri atmosphaerico in cubiculis habitatis per 8-12 hebdomades in patinis terreis parum profundis fuerat exposita. *Aqua supercarbonatis potass. pharmac. Edinb.* R. aqu. libr. X subcarbonat. potass. puriss. unc. j solv. et misce cum gase acidi carbonici, quod exspirat ex pulver. carbonat. calcis et acid. sulphuric. ana unc. jjj aquae libr. totidem, gradatim et caute commixtis in apparatu Noothii aut Woulfii.

† *CARBONAS SODAE ALCALINUM.*

SODA PURIFICATA. E. NATRON PRAEPARATUM. L. SODA DEPURATA. A. NATRUM CARBONICUM CRYSTALLISATUM. B.

CARBONAS SODAE INCOMPLETUM.

CRYSTALLI SODAE. SAL SODAE. ALCALI MINERALE.

Rec. Carbonatis sodae venalis, quantum velis.

In pulverem tritum, addita

Aquae quantitate sufficiente,

in vase ferreo coque, et rite repetita et continuata aquae admixtione et coctione omne, quod sal tenet, extrahe. Liquorem post debitam evaporationem calidum cola et in loco frigido ad crystallisandum sepone. Liquor residuus eadem ratione tractetur, quamdiu puras sodae crystallos largiatur. Lixivium ultimum, quod salia multa alia continet, igne ad siccitatem redigatur, aliisque usibus destinetur.

Not. 364. *Germ.* Unvollständiges kohlenstoffsaures Natrum, *belg.* unvollmaakte koolenstoffzuure Soda, *angl.* incompletely carbonated Natron, *gall.* Carbonate de soude non saturé. Fatiscit aëri expositum et in pulverem mutatur. *(Natrum carbonicum siccatum Ph. Bor.)* Prolici quoque potest, muriate sodae et sulphate sodae potassa decompositis. Unc. j aquae solvit dr. Vj carbonatis sodae alcalini. Sapore kalino praeditus est hic sal, mitior quidem potassa. *Vis & usus.* Parum differre videtur natrum carbonicum virtute medica a potassa carbonica. *Dosis* gr. X-XX. *Hamiltonus* frequenter usus est soda in scrophulis reserandis. *Pilulae lithontripticae Beddoesi* R. natr. carbonic. siccat. q. v. sapon. med. q. s. f. pilul. pond. gr. jj. Dosis omni bihorio ad minimum pil. X.

CARBONAS SODAE.

CARBONAS SODAE COMPLETUM.

SODA AERATA.

Rec. Crystallorum carbonatis sodae alcalini partem unam.
Aquae calidae partes duas.

Solutionem colatam et refrigeratam eadem ratione in simili apparatu tractes, ac potassae lixivium, et crystallos acquires pellucidas, in aëre etiam nitorem servantes, quae gustu vix alcalinam indolem prodant, nisi diu in ore retentae. Soda haec acido carbonico in hunc modum sit saturata, ut reagentia eam non afficiant.

Residuum post lenem evaporationem refrigeratum crustas salinas opacas exhibet; in quo statu soda paulo minus acido carbonico saturata deprehenditur.

Tale etiam sal opacum acquiritur in excipulo, si solutio crystallorum sodae minus diluta recipiatur.

Not. 365. *Germ.* Kohlensaures Natrum, *belg.* koolenzuure Soda, *angl.* carbonated Natron, *gall.* Carbonate de soude saturé. Constat carbonas sodae ex sodae p. 20 acid. carbonici p. 16 et aquae p. 64. Simili modo quoque saturari potest soda, ejus solutione aëri in locis habitatis sat diu exposita. Augetur mitior indoles in soda perfecte saturata. Format crystallos octaëdros cum angulis duobus acutis et obtusis. *Vis & usus:* parum differt soda perfecte saturata ratione virtutis a soda in nota praeterita descripta. *Aqua supercarbonatis sodae* (Aqua mephitica alcalina) R. carbonat. sodae completi unc. jj aquae libr. X solv. et misc. cum gase acidi carbonici modo in not. 363 memorato. Ejus loco statim solvi possunt dr. j-jj in aquae Selternae, Wildungensis, Fachingensis vel similis pure acidulae unc. Xjj. Dosis quotidiana unc. Xjj-XXjV in calculo dissolvendo et

excutiendo. Usum praecedat examen urinae cum charta lacca coerulea tincta; rubescere enim debet, si spe aliqua curam incipere velimus.

† *CARBONAS AMMONIAE ALCALINUM SOLIDUM.*

AMMONIA PRAEPARATA. E. et L. FLORES SALIS AMMONIACI VOLATILES. A. AMMONIUM CARBONICUM. B.

CARBONAS AMMONIAE INCOMPLETUM.

ALCALI VOLATILE SICCUM.

Rec. Muriatis ammoniae partem unam,
Carbonatis calcis nativi pulverulenti partes duas.

Diligenter siccata, in pulverem redacta et accurate mixta immittantur in retortam, amplo orificio praeditam; adnexo excipulo amplo, aquae frigidae, ubi opus fuerit renovandae, immerso, et igne forti applicato, in balneo arenae fiat sublimatio. Eligatur autem excipulum tale, ex quo alcali, absque vasis jactura, possit separari. Sal collectum vase vitreo clauso serva.

Not. 366. *Germ.* Trocknes kohlensaures Ammonium, *belg.* drooges kohlenzuures Ammonium, *angl.* Dry Ammonia, *gall.* carbonate d'ammoniaque sec. Evolutio carbonat. ammon. alcal. solid. quae modo fit in textu praescripto, acceleratur, muriate ammoniae prius aqua soluto, atque dein cum calce mixto. Nisi magna ammonii copia in desideriis sit, acquiritur hic sal ex parte j muriat. ammon. p. jjj carbonat. potassae venal. et part. duab. spirit. vin. rectificatiss. destillationi subjectis.

Evadit primum cum spiritu vini, quo absorbetur, et noxius gasis dispersus evitatur, ammonium causticum *(liquor ammonii vinosus)*. Insunt ammonio carbonico acidi carbonici p. 45, ammon. p. 43 et aquae p. Xjj. Praeditum est odore pungente peculiari, atque fatiscit aëre afflatum. Solvitur spiritu vini et duabus aquae partibus, non autem alcohole, aethere, atque oleis unguinosis et aethereis. *Vis* nervina, systema sanguiferum usque ad ipsos ramos minimos incitans, diaphoretica, absorbens. *Usus* in febribus nervosis, sub pulsu tremulo, inaequali, intermittente nec duro (*J. P. Frank*) in paralysi et rheumatismo chronico. *Dosis* gr. jj-X aliquoties de die. Praefertur ob volatilem naturam formae siccae solutio carbonatis ammoniae. Addatur sal hac ex causa decoctis post refrigerationem. Pilulis admixtus cito avolat, electuariis autem diutius inhaeret. *Sal anglicanus volatilis extemporaneus.* R. Carbonat. potassae alcalin. vel. melius potass. pur. dr. jj muriat. ammoniae dr. j; seorsim pulveratae subito misceantur, et in vitris probe clausis serventur. Pro lubitu addi possunt guttulae quaedam ex oleis aethereis suavitate et cita penetratione reficientibus. Dosis: gr. jj-X. Externe eximie nares ferit, et sensorium commune simul incitat. Fomentis aromaticis in paralysi artuum, eorumque rheumatica affectione praedicta quantitas ammoniae extemporaneae utiliter adjicitur. Vapores ammoniacales cum illis elati cutim irritant, caloremque membris addunt. *Componit* carbonas ammoniae alcalinum salia metallica' sulphas magnesiae, et alumen.

† *CARBONAS AMMONIAE ALCALINUM LIQUIDUM.*

AQUA AMMONIAE. E. et L. SPIRITUS SALIS AMMONIACI. A. LIQUOR AMMONII CARBONICI AQUOSUS. B.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM CINERIBUS CLAVELLATIS.

Rec. Muriatis ammoniae partem unam,
Carbonatis potassae alcalini partem unam cum dimidia.
Aquae partes duas.

Salia, separatim in pulverem trita, in retortam vitream immitte; gnaviter dein commixtis adde aquam, et in balneo arenae, igne sensim aucto, destilla ad siccitatem, humoremque vase vitreo clauso serva.

Not. 367. *Germ.* Flüssiges kohlensaures Ammonium, *belg.* vloejendes koolenzuures Ammonium, *angl.* Water of carbonated ammonia, *gall.* Carbonate d'ammoniaque liquide. Adhaeret carbonati ammoniae alcalino liquido semper aliqua portio ammoniae liquidae purae. Si quis igitur desideret carbonas ammoniae liquidum, misceat cum aquae destill. libr. j carbonatis ammoniae sicc. unc. jjj. *Vis* eadem, quae carbonati ammoniae sicco. *Usus idem.* Laudatur inprimis contra morsum viperae, et effectus deleterios acidi borussici. Vid. not. 509. *Dosis* gutt. X-LX aqua rite dilutae.

CARBONAS AMMONIAE PYRO-ANIMALE.

SAL CORNU CERVI DEPURATUM. L. ET A. AMMONIUM CARBONICUM PYRO-OLEOSUM. E.

SAL CORNU CERVI.

Rec. Salis sublimati sub destillatione sicca cornu cervi, vel ossium, quantum volueris.
Pulveris carbonis vegetabilis puri partem octavam salis adhibiti.

Sedulo mixta in retortam vitream immitte, excipulum vitreum applica, juncturas claude, ac

igne leni sal sublima, lagenis vitreis probe claudendis servandum.

Vel,

Rec. Carbonatis calcis nativi pulverulenti uncias quatuordecim.
Muriatis ammoniae uncias sex.
Olei pyro-animalis depurati drachmam unam.

Carbonas calcis nativum pulverulentum et sal, in pulverem redacta atque bene siccata, misce accurate cum oleo. Ex retorta vitrea, cui collum breve, apposito excipulo minori, firmatis juncturis, igne primum leni, dein sensim aucto, ex balneo arenae sublima, donec nihil, quod sal retineat, ulterius adscendat. Apparatu refrigerato sal siccum de retortae collo ac excipulo collige, et lagenis vitreis, ut ante, serva.

Not. 368. *Germ.* Brenzlicht öhligtes kohlenstoffsaures Ammonium, Hirschhornsalz, *belg.* angebrand oliagtiges Ammonium, *angl.* empyreumatical oily salt of Hartshorn, Hartshorn salt, *gall.* Carbonate d'ammoniaque pyro-huileux, sel de corne de cerf. Differt hic sal a carbonate ammoniae alcalino solido, addito et admixto oleo pyro-animali. *Vis* eadem fere, quae inest carbonati ammoniae alcalino solido, nisi forsan huic anteponi debeat in morbis nervosis. *Dosis* gr. V-X.

† *CARBONAS AMMONIAE PYRO-ANIMALE LIQUIDUM.*

LIQUOR VOLATILIS CORNU CERVI RECTIFICATUS. L.

LIQUOR AMMONII PYRO-OLEOSI. B.

SPIRITUS CORNU CERVI.

℞ *Liquoris alcalini, sub destillatione cornu cervi vel ossium mammalium collecti de oleo pyro-animali, partes octo.*
Pulveris carbonis vegetabilis partem unam.

Mixta cucurbitae immissa, imposito alembico, excipulo applicato et juncturis clausis, calore admodum leni destilla, quamdiu collectus flavescens liquor odorem ammoniae excitat, seu donec fere dimidium liquoris transierit. Collectum humorem vase accurate clauso serva.

Vel,

℞ *Carbonatis ammoniae pyro-animalis, ad secundam formulam medicamenti praecedentis parati, partem unam.*
Aquae purae partes quatuor.

Post solutionem serva vase probe clauso.

Not. 369. *Germ.* Flüssiges, brenzlicht öhligtes, kohlenstoffsaures Ammonium, Hirschhorn-Spiritus, *belg.* vloejendes, angebrand oliagtiges Ammonium, Hertshorn-Spiritus, *angl.* Water of empyreumatical oily salt of Hartshorn, spirit of Hartshorn, *gall.* Carbonate d'ammoniaque pyro-huileux liquid, esprit de sel de corne de cerf. Posterior methodus hoc carbonas ammoniae pyro-animale parandi extemporanea merito priori praefertur, ne labores pharmaceutici praeter necessitatem multiplicentur, nec praeparata ipsa, ut fieri solet, in officinis diversae ditionis nimium compositione et efficacia varient. *Vis.* Eadem pollet, qua carbonas ammon. pyro-animale siccum. *Usus* idem. Referendi sunt ad spiritum cornu cervi spiritus obsoleti ex ebore, viperis, lumbricis et serico (*guttae anglicanae*). *Tinctura fuliginis Clauderi.* R. Carbonat. potass. alcalin. libr. β solv. in aqu. sambuci libr. jjj. solutioni adde muriat.

ammon. unc. j fulig. splendentis pulver. unc. jj diger. per aliquot dies in vitro bene clauso, et postea filtra per chartam bibulam. Est spirit. cornu cervi tenuis, in quo pars ammoniae acido lignorum saturatur, quod ex fuligine in excipulum simul transit. *Mixtura tonica nervina Stahlii.* R. Tinct. antim. tartarisat. spirit. corn. cervi rectificat. ana. in paralysi et rheumatismo. Dosis guttae 40-100. aqua probe dilutae.

† *SULPHAS POTASSAE.*

LIXIVIA VITRIOLATA. E. KALI VITRIOLATUM. L. KALI SULPHURICUM. B.

TARTARUS VITRIOLATUS. ARCANUM DUPLICATUM.

Rec. Carbonatis potassae alcalini, aquae decuplo soluti, quantum volueris.
Acidi sulphurici diluti, quantum sufficit ad saturitatem.

Liquorem saturatum percola, dein evapora leni igne, ut fiant crystalli.

Vel,

Rec. Sulphatis potassae, de carbonatis potassae venalis depuratione collecti, quantum velis, soluti in
Aquae ferventis quantitate sufficiente.

Si alcali abundans adhaereat, instilla
Acidum sulphuricum dilutum,

donec saturatus liquor sit, tum solutionem per chartam cola, et leni igne evapora, ut crystalli excutiantur.

Vel,

Rec. *Massae salinae, in retorta superstitis a praeparatione acidi nitrici, seu nitrosi, quantum velis.*

Solve in

Aquae bullientis quantitate sufficiente.

Acidum, si abundet

Carbonate potassae alcalino

satura, liquorem cola, ac leni igne, ut ante, in crystallos redige.

Not. 370. *Germ.* Schwefelsaures Kali, Vitriolweinstein, *belg.* zwavelzuures Kali, *angl.* vitriolated Kali, *gall.* Sulfate de potasse. Constat sulphas potassae ex acid. sulphuric. p. 0,40; potass. p. 0,52, aquae 0,08. Autores pharmacop. Batavae mentionem faciunt diversae occasionis, qua hic sal facili negotio ex residuis aliorum praeparatorum educi potest. Amarus est et acris, parum salsus. Ad. gr. 10. Th. R. decimam sextam partem solvit aqua fervida, quintam. *Vis* purgans. *Dosis* dr. ß — uncß. Virtutem, quam plures de hoc sale jactant, singularem, a metastasibus lacteis praecavendi, ei non inesse, vix ullus hodie dubitabit.

SULPHAS POTASSAE SULPHUROSUM.

LIXIVIA VITRIOLATA SULPHUREA. E.

SAL POLYCHRESTUS.

Rec. Nitratis potassae depurati,
Sulphuris sublimati, pondera paria.

In pulverem trita et commixta in crucibulum candens terreum immitte per vices; deflagratione peracta, relinquatur massa in igne per quadrantem horae. Haec ab igne remota protinus aqua

calida solvatur, per chartam coletur et per evaporationem igne leni in crystallos cogatur, in bibula siccandas et vase vitreo obturato servandas.

Not. 371. *Germ.* Schweflichtsaures Kali, *belg.* zwavelagtiges zuures Kali, *angl.* vitriolated sulphureous Kali, *gall.* Sulfite de potasse. Loco methodi hic expositae, sulphitem potassae praeparandi, praeeunte Fourcroyo, acidum sulphurosum ex hydrargyro et acido sulphurico concentrato in retorta tubulata evelli, et in excipulum, quod solutionem carbonatis potassae continet, transduci potest. Vid. pag. 292. Solvitur sulphas potassae sulphurosum pari parte aquae, atque sapore pungenti acri sulphuroso a sulphate potassae distinguitur. *Vis* purgans, diuretica. *Dosis* gr. XXX-dr. jj.

† *SULPHAS SODAE.*

SODA VITRIOLATA. E. NATRON VITRIOLATUM. L. NATRUM SULPHURICUM CRYSTALLISATUM. B.

SAL MIRABILIS GLAUBERI.

Rec. Carbonatis sodae alcalini, aqua frigida soluti, quantum vis.
Acidi sulphurici diluti, quantum satis est ad saturitatem.

Liquorem ad statum neutrum redactum et colatum leni calore evapora, donec gutta, marmori frigido immissa, spiculas crystallinas emittat, dein in loco frigido sepone, ut crystalli fiant.

Vel,

Rec. Massae salinae, a praeparatione acidi muriatici in retorta superstitis, quantum velis.

Solutam per aquam, acido abundante, satura per

Carbonas sodae liquidum,

dein cola et evaporando in crystallos redige, ut ante.

Not. 372. Vid. not. 36.

† *NITRAS POTASSAE DEPURATUM.*

NITRUM PURIFICATUM. L. KALI NITRICUM. B.

NITRUM DEPURATUM.

Rec. Nitratis potassae venalis, quantum volueris.

Solve

Aquae bullientis ea quantitate, ut frigida solutio crystallos non ponat.

Instilla

Carbonatis potassae alcalini solutionem, donec turba cesset; sedimento posito per chartam cola; leni igne evapora, donec gutta, corpori frigido imposita, spiculas salinas offerat. tum sepone in loco frigido, ut crystalli fiant, colligendae et in bibula siccandae. Iterata evaporatione, ut ante, reliquas crystallos de lixivio excute.

Not. 373. Immixta sunt plerumque nitrati potassae venali murias sodae, murias calcariae, et sulphas potassae. Licet methodo hic enumerata non omnes partes adventitiae nempe acida, quae cum potassa addita coëunt, auferantur, crystalli tamen ex prima et secunda solutione conglaciati nitras potassae continent, quod me-

dici adhibere possunt. Efficiunt hi crystalli longa et pellucida prismata hexagona, quae spiculis finiunt tam pyramidalibus, quam obtuso-transversis. *Vis.* Nitras potassae ventriculo ingestum sensum frigoris progignit, cum paulo ante aqua fuit solutum, nec raro sub sensu molesto in regione cardiaca. Retardat insuper sanguinis in orbem motum et pellit lotium. *Usus* in orgasmo humorum, et febribus inflammatione genuina junctis, gastritide et cystitide exceptis. *Dosis:* sat larga perferri potest, etsi statim ante usum aqua prius sit nitras potassae solutum, *Alexanderus*, medicus anglicanus notissimus, sumsit per nycthemerum unc. jβ in mensur. j aquae solutas. *Decomponitur* acido sulphurico, acido tartarico, phosphate sodae et ferri atque alumine. Vid. not. 17.

MURIAS SODAE DEPURATUM.

NATRUM MURIATICUM. SODA MURIATICA.

SAL CULINARE DEPURATUM.

Rec. Muriatis sodae venalis, quantum volueris.

Solve

Tripla quantitate aquae bullientis, solutioni fervidae instilla

Carbonatis sodae alcalini solutionem, donec nulla amplius turba oriatur. Sedimento sponte posito, cola humorem per chartam, ac sub leni evaporatione fiant crystalli, in bibula siccandae.

Not. 374. Vid. not. 16.

MURIAS SODAE EXSICCATUM.

SAL CULINARE DECREPITATUM.

Rec. Muriatis sodae, quantum volueris.

Immitte in ollam figulinam, vitro obductam, puram, quae, operculo tecta, inter prunas incalescat, donec strepitus cesset, et sal faciem pulverulentam, opacam, coloris albi assumserit. Vase vitreo clauso serva.

Not. 375. Murias sodae exsiccatum, quod restat aqua crystallisationis vi ignis dissipata, cruribus hydropicorum calide applicatum utile fuit observatum. (*Crantz*). Vid. not. 16.

† *MURIAS AMMONIAE DEPURATUM.*

AMMONIUM MURIATICUM DEPURATUM. B.

SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

Rec. Muriatis ammoniae venalis, quantum volueris.

Salve

Aquae bullientis tripla quantitate, solutionem cola per chartam, dein evapora ad pelliculam, ac sepone in loco frigido, ut crystalli fiant, in bibula siccandae.

Not. 376. *Germ.* Gereinigtes salzsaures Ammonium, *belg.* zoutzuures Ammonium, *angl.* muriated Ammonia, *gall.* Muriate d'ammoniaque purifié. Solutione muriatis ammoniae venalis, fuligo aliaeque quisquiliae praecipitantur, salia autem immixta, ut sulphas sodae, sublimatione separanda sunt. Constat ex ammon. p. 40 acid. muriatic. p. 52 et aquae p. 8. Aqua ad gr. 10 Th. R. solvit tertiam sal. ammoniac. partem, spiritus vini quartam. Crystalli eo formantur octogoni. *Vis.* Refrigerat, sine ventris laxamento, immo irritamento salino secretionem cutaneam adauget, et expectorationem mirum in modum promovet. *Usus:* in febribus continuis et intermittentibus, colluvie pituitosa primarum viarum, et tussi catarrhali. *Dosis* pulv. gr. X-XXX. Radix et extr. fi-

quiritiae saporem optime corrigunt. Mitigatur quoque salsedinis nausea in emulsione. *Solutio muriat. ammon. Vogleri discutiens.* R. muriat. ammon. depur. unc. β - dr. Vj aqu. commun. unc. XX, spirit. vin. unc. jj. Praeclara in contusionibus et tumoribus articulorum phlegmaticis discutiendis. Similem componere soleo multo usu probatam ex muriat. ammon. dr. jj aqu. flor. sambuc. unc. Vj acet. vin. unc. jjj spirit. lavendul. — anthos ana unc. jß. *Aqua ophthalmica ex muriat. ammon.* R. Muriat. ammon. depur. dr. β aqu. commun. unc. jj. Maculas corneae solvit. *Decomponitur* murias ammoniae potassa, aqua calcis, alumine, acetite plumbi, acido tartarico, soda, acido nitrico et sulphurico, sulphate zinci, acetite potassae.

ACETIS POTASSAE.

LIXIVA ACETATA. E. KALI ACETATUM. L. KALI ACETICUM. B.

TERRA FOLIATA TARTARI.

Rec. Carbonatis potassae alcalini, quantum velis.

Acidi acetosi, quantum sufficit ad plenam saturitatem.

Humorem per plures dies sepone, et interim saepius agita, denuo explora, num alterutrum principiorum abundet, ac, si opus fuerit, iterum satura. Igne leni in vase stanneo evapora, sub continua agitatione, ad siccitatem. Sal hoc

Aquae purae sufficiente quantitate solve, per chartam cola, et, si necesse fuerit, acidum acetosum admisce; denuo leni igne in vase vitreo evapora ad siccitatem, ac vase accurate obturato serva.

Not. 377. *Germ.* Essigsaures Kali, *belg.* azynzuure Potasch, *angl.* acetated Kali, *gall.* Acétite de potasse, terre foliée de tartre. Vocatur haec acetis quoque *arcanum tartari.* Pura, aciculas referens, alba est, sapore pungenti salso, qui per totum oris cavum sub caloris sensu divagatur, odore grate vinoso. Constat ex kali 0,32, aceti 0,19 et aquae 0,49. Liquescit, aëri exposita, et solvitur eadem aquae quantitate, spiritus vero parte quarta. *Vis* solvens, diuretica. *Usus* in colluvie mucosa primarum viarum, obstructione viscerum abdominalium, atrophia infantum. *Dosis* scr. j-dr. j. *Liquor acetitis potassae spirituosus* (liquor terrae foliatae tartar. spirituosus Ph. Wirtenb. 1771) componitur ex terr. foliat. tart. p. j et spirit. vin. rectificatiss. p. jV digestione praegressa et destillatione, aut rectius, secundum pharmacop. Dan. 1786, sola solutione.

† *ACETIS POTASSAE LIQUIDA.*

LIQUOR KALI ACETICI. B.

LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI.

℞. *Carbonatis potassae alcalini uncias duodecim.*

Acidi acetosi, quantum sufficit ad plenam saturitatem.

Mixta per aliquot dies seponantur et interea saepius agitentur, ac, si necesse sit, denuo saturentur. Humor dein in vase stanneo evaporetur igne leni, donec unciae quadraginta octo supersint; denuo exploretur, num saturatus sit, et vase clauso servetur.

Not. 378. *Germ.* Essigsaure Kaliflüssigkeit, *belg.* vloejende azynzuure Potasche, *angl.* liquid acetated Kali, *gall.* Acetite de potasse liquide. Statim parari potest acetis potassae liquida ex acetitis potass. libr. j.

et aquae dest. libr. jj, nec satis intelligo, qua de causa duo praeparata sola extenuatione diversa in officinis prostare debeant. *Vis* eadem atque in anteposita. *Usus* ut in anteriori. *Dosis* dr. j-jj. Differt hic liquor salinus potassae puritate, aceti robore, et inspissationis gradu. *Liquor acetitis potassae extemporaneus.* R. Carbon. potass. dr. jj satur. cum acet. vin. s. q. Additis aqu. commun. unc. jj-jV et oxymell. simpl. unc. jj potio componitur, initio febrium acutarum saepissime proficua. Sunt, qui acetiti potassae liquidae partem decimam octavam spiritus vini addant; id quod merito arbitrio medici in casu speciali committitur.

ACETIS SODAE.

SODA ACETATA. A.

TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISABILIS.

R E C. Carbonatis sodae alcalini, quantum velis.
Acidi acetosi, quantum sufficit ad saturitatem.

Liquor per aliquot dies quiescat, per chartam coletur, leni igne evaporatus, in crystallos redigatur, in bibula siccandas et vase obturato servandas.

Not. 379. *Germ.* Essigsaures Natrum, *belg.* azynzuure Sode, *angl.* acetated Natron, *gall.* Acétite de soude. Elicitur quoque acetitis sodae duplici affinitate e sulphate sodae, tartrite potassae et sodae atque acetite calcariae. Aëri exposita dehiscit. Uncia dimidia continet natr. pur. gr. 95½ et aceti concentrati gr. 144⅚. Gustata linguam non ingrate pungit, et solvitur ad gr. 10 Th. R. in dimidia aquae parte. *Vis*: plane eadem ac in acetite potassae, sed mitior; hinc alterutra in pharmacopoliis sufficere videtur. *Decomponitur* acetis sodae, acido sulphurico, nitrico, muriatico et tartarico, potassa, muriate ammoniae, tartrite potassae et ammoniae, et muriate ferri.

† *ACETIS AMMONIAE LIQUIDA.*

AQUA AMMONIAE ACETATAE. E. ET L. LIQUOR AMMONII ACETICI. B.

SPIRITUS MINDERERI.

Rec. Carbonatis ammoniae alcalini sicci uncias duas.

Acidi acetosi, quantum sufficit.

Acido in cucurbita vitrea, in balneo arenae calenti, carbonas ammoniae sensim admisce, ad saturitatem usque; mixta per aliquot dies seponantur, subinde agitanda; denuo explora, num saturatus liquor sit, sin minus, aliquid vel acidi acetosi, vel salis alcalini admisce, et serva vase bene obturato.

Not. 380. *Germ.* Flüssiges essigsaures Ammonium, *belg.* vloejendes azynzuures Ammonium, *angl.* liquide acetated Ammonia, *gall.* Acétite d'ammoniaque liquide. *ross.* РОСОЛЪ УКСОНАПАШЫРНЫИ МИНДЕРЕРОВЪ. Sine dubio methodus acetitem ammoniae liquidam secundum pharmacopoeam Boruss. componendi ex aceti concentrati q. s. et carbonat. ammon. unc. jjj tanta quantitate aquae affusa, ut totius pondus sit unc. 24 ob virtutem remedii perpetuo consonam praevalet. Ex connubio hujus acetitis cum aequali aquae copia prodit liquor acetitis ammoniae extemporaneus, qui *spiritus Mindereri* dicitur. Methodi acetitem ammoniae ex acetite plumbi aut acetite calcariae aut ac. potassae cum muriate ammoniae componendi, nec securitate, nec puritate commendantur. Constat acetis ammoniae ex aceti part. 240 et ammoniae p. 144. *Vis* leniter excitans, diaphoretica. *Usus* in febribus catarrhalibus, typhi initio, rheumatismo. *Dosis* dr. jj-dr. Vj. Mire vis diaphoretica augetur aethere acetico alcoholico, acetiti ammoniae adstillato. Extrinsecus fomenti instar partibus admotus stagnationes

dissolvit hic liquor salinus. Laudat eum non minus in opacitate corneae *Boerhavius* (Elem. chem. 1732. T. II. p. 295). *Decomponitur* acetis ammoniae potassa, soda, acido sulphurico, muriatico et nitrico atque muriate ferri.

TARTRIS POTASSAE.

LIXIVA TARTARISATA. E. KALI TARTARISATUM. L. KALI TARTARICUM. B.

TARTARUS TARTARISATUS.

Rec. Carbonatis potassae alcalini, quantum velis.

Solve in

Aquae ferventis decuplo.

Admisce

Tartritim potassae acidulam depuratam, ad plenam saturitatem.

Liquorem per chartam cola, evapora, donec oriatur pellicula et in loco frigido crystallos excute.

Obtinetur etiam sub praeparatione ACIDI TARTAROSI.

Not. 381. *Germ.* Weinsteinsaures Kali, *belg.* wynsteenzuure Pottasche, *angl.* tartarised Potassa, *gall.* Tartrite de potasse. Constat tartris potassae ex acid. tartaric. 0,74, potass. 0,21 et aquae 0,05. Offert crystallos, qui tabulis longitudinalibus formantur cum angulis obtusis. Si liquor ante evaporationem colatus in loco frigido reponitur, ut sedimentum deponat, tartris potassae et calcariae hoc separantur, atque liquor ipse limpidior fit. Solvitur tartris potassae in partibus duabus aquae, et quinque spiritus vini. *Vis* leniter laxat. *Usus* in obstructione viscerum abdominalium, atque morbis ab ea productis. *Dosis* dr. jj-unc. j. *Solutio tartritis potassae*

Muzelii. R. Tartrit. potassae mell. ana unc. 3 solv. in aquae font. unc. Vjjj. D. omni hora cochl. j-jj. Egregium effectum saepius praestitit in melancholia et mania. (Muzels medicin. Wahrnehm. I. pag. 40. sq.) *Pulvis lenitivus antihypochondriacus Kleinii.* R. flaved. cort. aurant., rad. rhabarb. tartrit. potass. ana gr. XX-XXX. M. pro una dosi. In turbis a spasmis et flatibus olei cajeput. gutt. jjj adstillari saccharo et pulveri addi queunt. *Decomponitur* tartris potassae acido sulphurico, muriatico et nitrico, aqua calcis, muriate calcis, et sulphate sodae atque convertitur quolibet acido vegetabili in tartritem potassae acidulam.

† *TARTRIS POTASSAE ACIDULA DEPURATA.*

CREMOR TARTARI DEPURATUS. CRYSTALLI TARTARI.

Rec. Tartritis potassae acidulae venalis, quantum velis.

Explora, an metallicis et salibus alienis libera sit, tum solve aquae fervidae sufficiente quantitate, solutionem cola et leni calore in crystallos redige, siccandas, servandas.

Not. 382. *Germ.* Gereinigter Weinstein, *angl.* acid tartarised Potassa, *gall.* Tartrite de potasse acidule. *ross.* ВИННОИ КАМЕНЬ. Tartarus depurat. Ph. Bor. De natura et usu T. posass. acid. vid. not. 124. *Externe* cum aequalibus partibus boli albi et sacchar. penicilli ope maculis corneae admovetur, quae saepius exinde pallescunt, vel plane dissolvuntur. — Diminuitur difficultas tartritem potassae acidulam solvendi addito borace, quae cum ea componit *tartritem boraxatam potassae et sodae* (tartarum boraxatum Ph. Bor. cremorem tartari solubilem). Ut sicca evaporatione peracta retineatur, solvitur borac. p. j cum tart. depur. p. jjß (*Ph. Boruss.*) Solvitur Tartr. boraxat. potass. et sodae in aquae p. aequ. ad gr. X Th .R.

† *TARTRIS POTASSAE ET SODAE.*

SODA TARTARISATA. E. NATRON TARTARISATUM. L. SAL POLYCHRESTUS SEIGNETTII. A. TARTARUS NATRONATUS. B.

SAL SEIGNETTI.

Rec. Carbonatis sodae alcalini, quantum velis.

Solve in

Aquae fervidae octuplo

Per vices admisce

Pulverem Tartritis potassae acidulae depuratae, donec effervescentia cesset.

Liquorem per chartam cola, evapora, ac in crystallos redige, quas siccatas serva.

Not. 383. *Germ.* Sodaweinstein, *angl.* tartarised Kali et Natrum, *gall.* Tartrite de potasse et de soude. Tartris potassae et sodae, quae duplici affinitate ex tartrite potassae cum potassa saturata, et sulphate sodae oritur, frequenter particulis sulphatis sodae inquinatur, iterata solutione et crystallisatione separandis. Constat pura ex columnis octogonis pellucidis et obtusis, et solvitur in aquae frigid. p. jV. *Vis* laxans. *Dosis* dr j-unc. jß. Cum hic sal parum discrepet a tartrite potassae, legibus remedia in pharmacopoeam cooptandi non satis adaequatum duco, quod uterque recipiatur. *Decomponitur* tartris potassae et sodae iisdem rebus, quibus tartris potassae discedit.

PHOSPHAS SODAE.

NATRUM PHOSPHORICUM. E.

SODA PHOSPHORATA.

Rec. Acidi phosphorici, aquae duplo diluti, vel
Acidi phosphorici impuri, ex terra ossium per acidum sulphuricum separati, quantum velis.

Sensim admisce

Carbonatis sodae alcalini, aqua soluti, quantum satis est.

Humorem per chartam cola, dein evapora, donec gutta ad marmor frigidum crystallos excutiat, iterum cola, ac ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas etiam post repetitam evaporationem sicca, et vase clauso serva.

Not. 384. *Germ.* Phosphorsaures Natrum, *angl.* phosphorated Natron, *gall.* phospate de Soude. *Margrafius* primus eduxit hunc salem ex urina cum phosphate ammoniae coniunctum, ejusque mentionem facit sub nomine *salis fusibilis* et *microcosmici*. *Bergmannus* nuncupat eum *acidum perlatum*. Crystallos congerit hoc phosphas rhomboidales elongatos cum angulis obtusis. Pulchriores fiunt, si pauxillum sodae additur, saturatione finita, atque evaporatio continuatur, usque dum guttulae salsurae laminae vitreae instillatae paulo post in crystallos mutantur *(Driessen)* Ultima lixivii portio, in qua soda eminet, non amplius in crystallos redigitur. Constant ex acidi phosphorici p. 15, sodae p. 19 et aquae p. 66. Fatiscunt aëri expositi. Aqua quartam partem phosphatis sodae solvit. *Vis.* Blande laxat. *Dosis:* unc. j. *Decomponitur* phosphas sodae acido sulphurico, potassa, sulphate et muriate ferri.

Acida et alcalia terrestria.

CARBONAS CALCIS DEPURATUM.

CRETA ALBA PRÆPARATA.

Rec. Carbonatis calcis nativi pulverulenti, in pulverem redacti, quantum vis.

Affunde in ampla pelvi aquam puram et cum spatula lignea bene agita. Concessa paululum quiete, liquidum album supernatans effunde in aliam pelvim. Carbonati calcis residuo novam aquam iterum iterumque affunde, donec haec vix lactescat. E collectis liquoribus particulas calcarias, per subsidentiam ac porro ope lintei secretas, supra patinas fictiles vitro obductas bene sicca. Materiem siccatam triturando in pulverem redige et serva.

Not. 385. Vid. not. 11.

† *CARBONAS MAGNESIAE.*

MAGNESIA CARBONICA. B.

MAGNESIA ALBA.

Rec. Sulphatis magnesiae venalis (a) partes quatuor,
Carbonatis potassae alcalini partes duas.

(a) *Eidem usui potest inservire Murias magnesiae, a depuratione salis marini in officinis salinariis nostris residuum.*

Sulphas magnesiae solve

Aquae pluvialis ebullientis partibus tribus,

et percola. Solve itidem Carbonas potassae alcalinum

Aquae ebullientis parte una cum dimidia.

Ambo lixivia ebullienta simul et semel misceantur in vase figulino vitro obducto, et protinus adjiciantur

Aquae fervidae partes octo.

Bulliant super ignem horae dimidiae spatio. Effundatur tunc materies in colum linteum. Quae super colum restat magnesia,

Aqua pura fervida

abluatur, donec haec insipida transeat. Siccanda tunc igne leni, aestivo tempore ad solem.

Magnesia anglica hujus loco etiam poterit adhiberi.

Not. 386. *Germ.* Kohlenstoffsaure Bittersalzerde sive Talkerde, *angl.* carbonisated Magnesia, *gall.* Carbonate de magnésie. Constat ex magnesiae p. 0,42, acid. carbonici p. 0,35 et aquae p. 0,23. Innotuit initio seculi praeteriti sub nomine *magnes albae et pulveris de Palma.* Insipida est. *Usus:* in soda. — Cum succo citri saturata blande purgat. Saepius adhibui citras magnesiae ex tempore paratum in hernia incarcerata, nec sine effectu. Vid. *Sellei medicinam clinicam* et not. 361.

† *SULPHAS MAGNESIAE DEPURATUM.*

MAGNESIA VITRIOLATA E. et L. MAGNESIA SULPHURICA. B.

SAL EBSHAMENSE, seu CATHARTICUM AMARUM DEPURATUM.

Rec. Sulphatis magnesiae venalis, quantum vis,

Solve

Aquae ferventis quantitate pari.

Solutionem calidam cola et sepone in loco frigido. Separatis crystallis, quod relinquitur lixivium, ad ignem exhalet, donec gutta, marmori frigido instillata, crystallos monstret, et denuo sepone, ac ita perge, donec crystallos dare neget.

Lixivium ultimum, seu Murias magnesiae pro parando Carbonate magnesiae serva,

Not. 387. Vid. not 35.

† *SULPHAS ALUMINAE ACIDULUM EXSICCATUM.*

ALUMEN USTUM.

Rec. Sulphatis aluminae aciduli, quantum vis.

Calcinetur in vase fictili, vitro non obducto, capaci, donec aqua abacta, massa levis, spumosa, alba remaneat.

Not. 388. *Germ.* Gebrannter Alaun, *belg.* gebrannte Alun, *angl.* burnt Alum, *gall.* Alun brulé. Sulphas aluminae acidul exsiccat. aqua crystallisationis orbatum est. *Vis* adstringens, paululum caustica. *Usus:* externus in carne luxuriosa exedenda, et ad maculas corneae discutiendas (scr. j cum sacchar. dr. j).

MURIAS CALCIS.

CALCARIA MURIATICA. B.

SAL AMMONIACUM FIXUM. CALX SALITA.

Rec. Carbonatis calcis depurati, quantum volueris.

Acidi muriatici, quantum sufficit ad solutionem saturatam.

Humorem percola et in vase vitreo ad siccitatem evapora. Sal calens lagenae vitreae, statim claudendae, committe et serva.

Vel,

Rec. Massam terreo-salinam, superstitem de praeparatione ammoniae liquidae per calcem recens ustam, seu de praeparatione carbonatis ammoniae alcalini solidi per carbonas calcis nativum pulverulentum, quantum volueris.

Solve aqua fervida. Solutionem limpidam per chartam cola, et ad siccitatem evapora, ac serva vase probe clauso, ut ante.

Not. 389. *Germ.* Salzsaurer Kalk, *belg.* zoutzuurer Kalk, *angl.* muriated Chalk, *gall.* Muriate de chaux. Murias calcariae sapore acri, pungente, amaro et nauseoso proditur. Aëri expositum cito deliquescit, ex prismatibus antea compositum, figura acuum, quae pyramidibus hexagonis terminantur. Constat ex calcariae p. 44, acid. muriatici p. 31 et aquae p. 25. Aqua duplum muriatis calcis solvit, sub frigoris exuberantia, spiritus coctus menstrui quantitatem. *Vis:* stimulans, excitans, emetica, sale acri copiose ingesto. *Usus* in scrophulis. *Do-*

sis solutionis infantib. gutt. 30 adult. dr. j bis vel ter de die. — Canis exspiravit, cui intrusae fuerant dr jjjß. Reperiebatur tunica ventriculi villosa sanguine turgida, passim nigra, et in mucum gelatinosum mutata. — *Componitur* murias calcariae acido sulphurico, potassa, soda borace, acetite potassae, alumine, sulphate magnesiae et sulphate ferri.

MURIAS BARYTAE.

BARYTA MURIATICA. B.

TERRA PONDEROSA SALITA.

Rec. Sulphatis barytae nativi, puri, in pulverem subtilissimum redacti, quantum velis.

Carbonatis potassae (*a*) siccati, in pulverem triti, duplum.

Pulveres accurate commixtos et in crucibulum terreum amplum immissos, igni inter carbones expone. Dum incalescat massa, hanc spatula terrea saepius agita; ignem auge, donec aegre candeat, at cave ne fluat. Per horam ignem sustine, massamque dein refrigeratam larga aquae bullientis copia ablue, ut omne, quod sal habeat, aqua solubile, auferatur. — Pulverem album superstitem, qui maximam partem ex carbonate barytae constat, sicca.

Huic pulveri admisce

Acidum muriaticum,

(*a*) *Carbonas potassae alcalinum etiam potest inservire, si tertia parte quantitatem augeas.*

donec effervescentia cesset, humorque saturatus sit. Sepone, ut sedimentum ponatur; liquorem limpidum effunde in vas vitreum; hunc evapora ad siccitatem, ac dein in crucibulum terreum immitte, ut candeat, donec nulli vapores surgant. Refrigeratam massam aqua depurata solve, solutionem percola et evapora, donec pellicula appareat, ac dein in loco frigido crystallos amplas, nitidas excute; crystallos collectas tandem sicca in bibula, et vase clauso serva. (*b*)

Not. 390. *Germ.* Salzsaure Schweererde, *belg.* zoutzuure Zwaaraarden, *angl.* Muriated barytes, *gall.* Muriate de baryte. Cum sulphati barytae, ex quo carbonas barytae carbonate potassae eliminatur, sulphata calcis, strontianae, plumbi, ferri et cupri, immo ipsum arsenicum adhaerere possint, variae methodi a chemicis docentur, carbonas barytae purum attractione duplici ope fusionis expediendi. Fusione oxyda metallica separantur, salia terrea ex calce et strontiana autem decoctione cum spiritu vini et crystallisatione. Est murias barytae album, amariusculum, acre et nauseosum. Crystalli primordiales muriatis barytae formantur ex prismatibus cum basi quadrata (*Hauy*). Occurrunt autem subpyramidales et octogoni. Construitur sal terreum ex barytae o,65, acid. muriatic. p. o,18 et aquae p. o,16 (*Bucholz*). Non solvitur spiritu vini, sed ad gr, 15 Th. R. partibus aquae sex. *Vis*: diuretica, diaphoretica, anthelmintica. Stimulat egregie systema vasorum absorbentium, magna dosi

(*b*) *Ad summum puritatis gradum pro usibus chemicis deducitur hoc murias barytae, calcinatam materiem ante solutionem coquendo cum alcoholis sufficienti quantitate, ut a muriate strontianae, si forte insit, liberetur. Alcohol fervens per colum dein separetur, et murias barytae purum, quod ad chartam supererit, solutione, percolatione et evaporatione, ut ante, in crystallos reducatur.*

datum cardialgiam excitat, nauseam, vomitum, vertiginem, artuum tremorem, cum sudore frigido. *Usus* in scrophulis, struma, et eruptione varia herpetica. Datur plerumque aqua solutum. *Solutio muriat. barytae Duncani.* R. Baryt. muriatic. p. j aqu. commun. dest. p. jjj. *Dosis* initio gutt. V-X sensim augenda. *Solutio barytae muriaticae Hufelandi.* R. Baryt. muriatic. dr. ß solve in aqu. commun. dest. unc. j. *Dosis* pro adultis quater de die gutt. 40-60 et sensim plures, infantibus gutt. 10-20 in aqua destillatae. Interdum solutio Hufelandiana utiliter cum aqua laurocerasi fuit conjuncta. Aequales partes solutionis muriatis barytae et tinct. opii crocatae componunt praeclarum sudorificum. Dosis gutt. 40-60. (Neue Leipz. L. Z. 65 St. 1804.) Cachexiae saepius cum scrophulis et vermibus complicatae optime opponitur solutio ex muriatis barytae et muriatis ferri ana dr. β cum aqu. dest. unc. j. Dosis gutt. 40-60. *Solutio barytae muriaticae pro usu externo.* R. Barytae muriatic. dr. j solv. in aqu. commun. dest. unc. Vj, ut ea humectentur dilacerationes herpeticae. *Aqua ophthalmica ex muriate barytae.* R. Muriat. barytae gr. jj-jjj aqu. commun. dest. unc. j. Detergit maculas corneae.

PHOSPHAS CALCIS.

TERRA OSSIUM. CORNU CERVI USTUM.

Rec. Frustorum cornu cervi, quantum vis.

Integra, vel, si horum copia detur, ramenta, a quibus destillatione omne volatile abstractum est, in furno candentibus carbonibus exponantur, donec tota, etiam diffracta, albescant; deinde in mortario terantur, pulvisque per cribrum tenue trajiciatur.

Not. 391. *Germ.* Phosphorsaurer Kalk, *angl.* phosphorated Chalk, gall. phosphate de Chaux. Continet phosphas calcis acid. phosphorici gr. 0,41 et calcis 0,59.

Ustione gelatina (pars 27) evertitur, atque superest phosphas calcariae cum pauxillo carbonatis calcariae (parte centesima). *Vis:* ossa restaurans (?) *Usus* in rachitide. *Dosis* gr. X-XX. *Bonhomme* dedit phosphas sodae et phosphas calcis hoc in morbo cum effectu satis manifesto.

Alcalia et Sulphur.

SULPHURETUM AMMONIAE.

HEPAR SULPHURIS VOLATILE. SPIRITUS FUMANS BEGUINI.

Rec. Calcis uncias sex.
Sulphuris depurati unciam unam.
Muriatis ammoniae uncias duas.

Accurate mixta in retortam vitream protinus immittantur, et affundantur

Aquae depuratae unciae quatuor.

Retortam balneo arenae, praemissa agitatione, impone; dein excipulo satis amplo applicato, juncturisque probe firmatis, fiat destillatio leni igne. Post refrigerationem exime liquorem, et vase vitreo bene clauso serva.

Not. 392. Germ. Schwefelammonium, *angl.* Hydrosulphuret of ammonia, sulphurettred hydroguret of Ammonia, hepatized ammonia Rolloi, *gall.* sulfure d'ammoniaque, liqueur fumante de Beguin. Exhalat liquor, methodo in textu docta paratus, et colore obscure aurantiaco tinctus, vapores foetidos gase hydro-sulphurico productos. *Vis* desoxydans, diaphoretica. Nauseam producit sulphuretum ammoniae, vomitum, lassitudinem, majori dosi somnolentiam et pulsus tarditatem. *Usus* in arthritide et diabete mellito. *Dosis* gntt. jV-Vj in aqua

destillat. unc. j. *Fridericus Hoffmannus* miscuit partem unam hujus sulphureti cum partibus tribus alcoholis, atque praedicat hunc liquorem ut eximie diaphoreticum. Dedit hujus gutt. 30-40. Infricari quoque jussit hanc compositionem cum camphora nuptam pollicibus pedum podagra affectis. *Decomponitur* sulphuretum ammoniae acidis, potassa, natro et calce. — *Liquor ex sulphureto ammoniae Rollianus.* Transducatur gas hydro-sulphuratum ex hydro-sulphureti potassae unc. jjj aut si mavis ex sulphureto ferri (ex ferri 62,5 et sulphur. 37,5 composito) in lagena conjunctiva acido sulphurico aut muriatico evocatum, in ampullam, quae continet liquoris ammoniae purae unc. Xjj. Praefert *Rollous* hunc liquorem illi, qui modo supra dicto destillatione conflatur, in diabete mellito sanando. Differt ab hoc limpitudine, minori ammonii sulphurati quantitate, atque odore minus ingrato. *Dosis:* gutt. V sensim augenda, ter de die, in aqua destillata, aut infuso liquiritiae.

SULPHURETUM CALCIS.

CALCARIA SULPHURATA. B.

HEPAR SULPHURIS CALCAREUM.

Rec. Calcis partem unam,
Sulphuris depurati partem unam cum dimidia.

Mixta in crucibulo, operculo accurate tegendo, per quinque vel sex, quas vocant, minutas horae partes calcinentur, quo facto crucibulum ab igne removeatur; massa adhuc calida dein in vas vitreum probe claudendum immittatur, ac usui servetur.

Not. 393. *Germ.* Hydrothionschwefelkalk, kalkerdige Schwefelleber, *angl.* sulphuretted hydroguret of Chalk, *gall.* sulfure de chaux, foie de soufre calcaire. Sulphu-

retum calcariae est pallide flavum, acido affuso, vapores putres eructans, et solvitur aquae partibus sedecim. *Vis* antacida, diaphoretica. Decomponit sulphuretum calcis salia metallica eorumque indolem corrosivam tam aufert, quam infringit. *Usus* in morbis arthriticis, et cutaneis variis affectibus, nec non veneficiis metallicis. *Dosis* pulveris gr jj-X. *Pulveres Buschii in tabe pulmonali ex sulphureto calcar.* R. Calcar. sulphurat dr. jj succ. liquirit. dr. j hb. aconit. dr. β. D. omni bihorio quantum acumine cultri accumulari possit. *Solutio sulphureti calcis.* R. Sulphureti calcis dr jj solv. in aqu. fervid. unc. jV. Dosis: cochl. parvum usque ad magnum. Ablutis saepius hac solutione aut dilutiori ulcusculis psoricis, non raro cito scabies sanabitur. Externe balneis admiscetur sulphuretum calcis, ut ex eo vi acidi gas hydro-sulphuratum expellatur. Vid. not. 338. Vapores ex eo educti et in phthisi pulmonali inhalati optime aegris interdum conveniunt, et, ut mihi visum est, in ultimo stadio pneumoniae sputi ejectionem promovent, atque diminuunt nimiam pulmonum sensibilitatem, qua tussis alitur. *Linimentum calcariae sulphuratae* (Arcanum Archideti). R. Calcariae sulphuratae unc. ß olei juniperi aether. dr. jj olei animal. aether gutt. X (*Leroy*). *Decomponitur* sulphuretum calcis acidis, et salibus metallicis. — *Sulphuretum potassae* (kali sulphuratum Ph. Boruss., *gall.* sulfure de potasse, foie de soufre), quod ex potassae p. jj et sulphuris p. j fusione fit, eadem virtute pollet, ac sulphuretum calcis, facilius autem aqua solvitur, majorique gasis copia praeditum est. Dedit *Garnettus* pulveres ex sulphuret. potassae et carbonis ana dr. β quater vel quinquies de die in phthisi pulmonum, et sputi emissionem iis promoveri floridumque faciei colorem expallescere asserit. *Barlonus* praedicat in tinea capitis sananda mixtionem ex sulphureti sodae dr. jjj sapon. alb. dr. jß aquae calc. unc. Vjjß spirit. vini rectificat. dr. jj. Irrorantur hac mixtione mane et vesperi maculae impetiginosae. Crustae siccatae abeunt, et ulcuscula cuticula obducuntur.

METALLA ET E METALLIS PRAEPARATA.

Argentum.

NITRAS ARGENTI.

ARGENTUM NITRICUM.

CRYSTALLI LUNAE.

Rec. Argenti cupellati, quantum velis;
Acidi nitrici puri, aqua diluti, quantum sufficit ad solutionem saturatam.

Fiat solutio leni calore, humorem limpidum refrigeratum repone; quae aliquando observatur, materia floccosa in vas vitreum aptum deferatur. Post praegressam evaporationem per refrigerium crystallos tabulares, nitidas excute, quas intra bibulam sicca, ac vase clauso in loco obscuro serva.

Not. 394. *Germ.* Crystallisirtes salpetersaures Silber, *angl* nitrated Silver, *gall.* nitrate d'argent crystallisé. Nitras argenti ex partibus fere aequalibus acidi nitrici et argenti componitur. Figura crystallorum, quos efficit, non semper est eadem. Lamellas referunt sexlateras, quadrilateras et trilateras. Aqua aequales eorum partes ad gr. 10 Th. R. solvuntur, et spiritus vini fervidi partibus 100 partes 240, quae autem, dum refrixerit menstruum, maxima ex parte praecipitantur. *Vis.* Causticum est nitras argenti et adstringens. Fibras musculares excitat easque arrodit, aut brunneo nigro colore non delendo tingit. Granum dimidium suscitat caloris sensum in ventriculo et nauseam; major dosis dolorem et anxie-

tatem. *Usus.* Interdum profuit nitras argenti in epilepsia et hydrope. *Dosis* gr. $\frac{1}{16}$-$\frac{1}{8}$. *Solutio nitratis argenti.* R. Nitrat. argenti gr. j solv. in aqu. commun dest. unc. j. D. ter vel quater de die gutt. 30-60. *Boerhaavius* suadet nitrat. potass. et nitrat. argenti aequales partes in aquae part. jjj solvere atque de pilulis jX, gr. jj crystall. siccatorum (*argentum hydragogum Boylei*) gr. Vj sacchar. alb. et unc. β farinae conglobatis mane et jejuno ventriculo dare unam in hydrope, ita, ut post quamlibet bibantur hydromellis unc. jV - Vj. Etsi satis elucet, non prius ad hydragoga tanta acritate, quantam nitras argenti manifestat, medicum esse refugiturum, nisi certiora incassum adhibuerit, pilularem formam tamen in hoc remedio, ob effectus et dissolutionis incertitudinem, semper reprobandam esse arbitror. *Decomponitur* nitras argenti potassa, soda, ammonia et acido sulphurico.

† *NITRAS ARGENTI FUSUM.*

ARGENTUM NITRATUM E. et L. ARGENTUM NITRICUM FUSUM. B.

LAPIS INFERNALIS.

Rec. Nitratis argenti, quantum placet.

Immitte in crucibulum, vel vasculum porcellaneum, seu, quod praestat, argenteum, quod in aliud crucibulum, arena repletum, reponatur, bene cavens, ne carbonum particulae incidant. Igne modico instructo, materies sensim liquefiat, ac desinente ebullitione, adhuc per horae quadrantem circiter, ad libellam instar olei fluat, donec colorem olivaceum leviter fuscescentem acquirat; dein effundatur in modulos cupreos, parum calefactos, et sebo leviter inunc-

tos, ut inde bacilli formentur, qui frigefacti in vitro bene clauso in loco obscuro serventur.

Not. 395. *Germ.* Geschmolzenes salpetersaures Silberoxyd, Höllenstein, *angl.* nitrated Silver, *gall.* nitrate d'argent semioxidé fondu. Pierre infernale. Aquae crystallisationis direptione differt lapis infernalis ab antecedente nitrate. Potest igitur eodem jure interne dari, quo externe applicatur. *Vis.* Non corrodit cutem tanto ambitu, quam potassa fusa. Aqua dilutus inflammationem producit in partibus epidermide privatis, *Usus* in carne varia ratione excrescente, marginibus ulcerum carnosis, verrucis, ulcusculis venereis aliisque contagiosis recentibus. *Solutio nitratis argenti fusi pro usu externo.* R. Nitrat. argent. fusi gr. jjj-XX solv. in aqu. commun. destill. unc. j. Modificari debet quantitas soluti pro partium natura et irritabilitatis diversitate. Reddit haec solutio vegetiora ulcera putrescentia.

Hydrargyrum.

OXYDULUM HYDRARGYRI NIGRUM.

HYDRARGYRUM OXYDULATUM NIGRUM.

Rec. Muriatis hydrargyri oxydulati partem unam.

Redige in pulverem subtilissimum, et coque Aquae calcis partibus viginti,

sub continua agitatione per horam, vase operculo tecto; dein aquam decanta, iterumque aliam eadem copia affunde et coque; idque, si requiratur, repete tamdiu, donec aqua calcis, debita praegressa coctione, chartam flavam colore rubro tingat, argumento, acidum muriaticum, quantum fieri possit, fuisse separatum: ocyus tunc

aquam decanta, pulveremque nigrum, affusa saepe aqua calida, ablue, et leni calore sicca.

Not. 396. *Germ.* Schwarzes Quecksilberoxydulat, *gall.* Oxidule noir de Mercure. Oxyda et oxydula hydrargyri pro diversa quantitate oxygenii, quod intus latet, vario colore tinguntur, nigro scilicet, flavo-albo, flavo-rubro et rubro. Inferiores gradus oxydationis (protoxyda) indicat color griseus et niger. Ad protoxyda referendum est oxydulum hoc et sequens oxydulum hydrargyri Moscati, porro sulphuretum hydrargyri nigrum, et nitras hydrargyro-ammoniacale. Acriuscula sunt protoxyda, sapore cupreo praedita, parumque differunt virtute medica. *Vis* stimulat systema vasorum absorbentium, ita, ut post continuatum usum ptyalismus exoriatur. Dosis fortior laxat ventrem. *Usus*: ut in hydrargyro in genere. Vid. not. 14., etsi quidem non negem, interdum unum praeparatum ex mercurio prae altero eligendum esse, pro aegrorum conditione et idiosyncrasia, morbique complicatione. Animadversionem generalem hic repetendam esse puto, consultius esse, monente *Trevirano*, initio curae parvas doses praeparatorum ex mercurio dare, ut aegri sensim assuescant stimulo metallico, certe non levioris indolis, tardiusque in ptyalismi periculum incurrant. *Dosis* oxydul. hydrarg. nigri gr. $\frac{1}{8}$-jj. — Desudarunt medici inaniter in multiplicandis oxydulis hydrargyri diversimode griseis et nigris. Sequantur notissima, quae sola trituratione oxygenium ex aëre attrahunt, et praecipitatis, ob negotiosam et minus tutam praeparationem, postponenda esse videntur. *Mercurius gummosus Plenckii.* R. Mercur. vivi depurat. dr. j gummi arabici pulverati dr. jjj syrup. diacodii unc. ß conter. in mortario marmoreo, donec mercurius penitus in mucum abeat. Parat autor ex hoc mercurio gummoso *solutionem mercurii gummosi* cum aquae destill. libr. j. Dosis: mane et vesperi cochl. j. *Mercurius saccharatus* Ph. Ed. (1758). R. Hydrargyr. sacchar. cand. rubr. ana unc. ß olei dest. juniperi gutt. XVj ter. l. a. *Hydrargyrus cum creta Ph. L.* 1788 (mercurius calcinatus, Quicksilber with Chalk). R. Hydrargyr. purificat. unc. jjj

cretae in pulverem tritae unc. V ter. l. a. *Pilulae mercuriales Ph. Ed.* 1784. R. Hydrargyr. mell. ana unc. j mic. panis unc. jj ter. l. a. f. aqua affusa pil. 480. *Pilulae mercuriales Ph. Lond.* 1788. R. Hydrargyr. extr. liquirit. crassitudine mellis ana dr. jj rad. liquirit. in tenuem pulverem trit. dr. j ter. l. a. m. grana decem pilul. continent hydrargyr. gr. jV. *Pilulae mercuriales Ph. Lond.* (1764). R. Argent. vivi dr. V terebinth. Argentor. dr. jj extr. cathartici scr. jV rhabarb. pulver. dr. j ter. l. a. *Mel hydrargyratum Swediauri.* R Hydrargyr., mell. ana ter. l. a. Simplicitate ceteris unguentis mercurialibus in tractandis ulceribus venereis praeit.

OXYDULUM HYDRARGYRI HAHNEMANNI.

HYDRARGYRUM OXYDULATUM NIGRUM. E.

OXYDUM INCOMPLETUM NITRICO - AMMONIACALE.

MERCURIUS SOLUBILIS HAHNEMANNI.

Rec. Hydrargyri puri uncias quatuor,
Acidi nitrici uncias sex, dilutas
Aquae depuratae unciis duabus.

Fiat solutio in loco frigidissimo, sensim addendo Hydrargyrum. Massam albam crystallinam, in solutione formatam, aqua frigida depurata cito ablue, et super chartam sicca; siccatam solve

Aquae depuratae partibus quinquaginta, et quieti expone per aliquot horas; tum decanta et solutioni affunde lente et guttatim fere, sub continua agitatione cum bacillo vitreo aut terreo,

Ammoniam liquidam

tamdiu, nec ultra, quam praecipitatum colore nigro appareat. Pulvis hic niger, aqua depurata

edulcoratus, siccetur ad chartam solo atmosphaerae calore, et in vitro probe obturato, in loco obscuro, et, quantum fieri possit, frigido, usui servetur.

Not. 397. *Germ.* Hahnemanns schwarzes Quecksilberoxyd, *gall.* mercure soluble dit d'Hannemann. Adhaeret oxydulo ammonium et acidum nitricum, unde nomen a quibusdam accepit hydrargyrosum nitrico-ammoniatum. Convenit cum eo *mercurius cinereus Ph. Ed. sive Blackii et Saunderi.* *Dosis* gr. $\frac{1}{8}$-j. Addito hydrargyri nitrati carbonate sodae, *carbonas hydrargyri* (hydrargyrum carbonicum) profunditur. — *Syrupus ex oxydulo hydrargyri Hahnemanni.* R. Oxydul. hydrarg. Hahnem. gr. XX gumm. arab. dr. j mell. rosar. q. s. tere in mortario lapideo, ut intime misceantur, dein adde syrup. althaeae unc. jjj. D. mane et vesperi cochl. ligneum j.

† *OXYDUM HYDRARGYRI NITRATUM.*

HYDRARGYRUS NITRATUS RUBER. E et L. HYDRARGYRUM OXYDATUM RUBRUM. E.

MERCURIUS CORROSIVUS RUBER.

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.

et

OXYDUM HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUS CALCINATUS. L.

OXYDUM HYDRARGYRI COMPLETUM.

loco MERCURII PRAECIPITATI PER SE.

Rec. Hydrargyri puri, quantum volueris,
Acidi nitrici, quantum sufficit.

In cucurbita vitrea, agglutinato alembico, et applicato excipulo,

Aquae uncias aliquot

continente, vasorum juncturis apertis, leni primum igne, dein ad coctionem aucto, fiat solutio, et materia in massam albam siccam convertatur, quae igne lento, sensim aucto, torreatur, donec cucurbitae collum plane pelluceat, et massa colorem atro-rubrum acquirat. Haec refrigerata squamas splendentes rubras exhibet, estque MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER OFFICINARUM, *qui, protracta calcinatione, donec nullum amplius acidum nitricum odore percipiatur, coctione dein in*

Aquae depuratae partibus decem,

digestione tandem calida aliquot horarum, cum

Potassae liquidae parva quantitate,

omni, quantum fieri possit, nitrate hydrargyri, si forte adhaereat, exacte liberetur. Pulvis remanens, probe repetita calidae aquae affusione edulcoratus et siccatus, sit OXYDUM HYDRARGYRI, *in loco obscuro servandum.*

Not. 398. *Germ.* Rothes Quecksilberoxyd, vollkommnes Quecksilberoxyd, *gall.* Oxide rouge de Mercure. *Dörffurtus*, prudens pharmacopoeae Boruss. commentator, sed nimis longus, secundum *Fischeri* consilium solvi jubet oxydi hydrargyri parandi causa, hydrargyr. unc. Vjjj cum acid. nitric. pur. unc. Xjj. Adterantur dein solutioni, calore sensim in fervorem desinente peractae et usque ad massam pultaceam evaporatae, hydrargyri unc. Vjjj. Crassamentum albo-cinereum modico caloris gradu exsiccatum, et pulveratum excandescat in patella vitrea,

sub perpetua agitatione, quae bacillo vitreo fit, donec colore rubicundo splendet. Oxydum hac encheiresi paratum plane congruit cum *mercurio praecipitato per se*, qui cum magno temporis dispendio attractione oxygenii ex aëre in vase vitreo cum longo collo ad grad. 600 Th. F. exoritur. Ne autem praeparatum acido nitrico, quod forsan adhaeret, causticum evadat, potassa liquida eo privetur. *Arcanum corallinum*, (Disp. Boruss. Brand. 1731.) quod laboriose obtinetur repetita destillatione oxydi et deflagratione spiritus vini utraque inutili, tanquam idem oxydum hydrargyri considerari potest. *Usus* in morbis syphiliticis inveteratis, carie, et ulcusculis faucium obstinatis. *Dosis* gr. $\frac{1}{8}$-j. *Pulveres ex oxydo hydrargyri.* R. Oxyd. hydrargyr. gr. j, hydrargyr. stibiato sulphurat. dr. jj divid. in octo partes aequal. D. mane et vesperi pulv. j. sensim pro necessitate dosin augendo (*Berg*). Olim quoque *mercurius praecipit. ruber officinarum* in usum vocatus est. Suspectus autem est, nisi, suadente *Schulzio*, cum salis tartari solutione satis diu multumque teratur, omnisque aciditas nitrica abluatur, et demum aqua destillata identidem superfusa penitus a sale soluto liberetur. Sic mitioris redditi gr. jjj et plura dari possunt (*Schulzii praelect. Ed. II.*) *Externe* hic mercurius praecipitatus ruber officinarum egregie mundat ulcera venerea. *Pulvis ex mercurio praecipit. rubr. officinarum pro usu externo.* R. Hb. sabinae unc. ß oxyd. hydrargyr. nitrati, alumin. ust. ana dr. j. Condylomata delet, et carnem luxuriantem. *Pulvis causticus Plenckii.* R. Alum. ust. unc. j oxyd. hydrargyr. nitrat. uncß m. f. pulv. Fere idem praestat ac antecedens.

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM.

HYDRARGYRUM SULPHURATUM NIGRUM E. et B.

HYDRARGYRUS CUM SULPHURE, L.

AETHIOPS MINERALIS.

Rec. Hydrargyri puri,
Sulphuris depurati, pondera paria.

Triturentur strenue in mortario, addito pauxillo aquae, donec globuli mercuriales plane disparuerint.

Not. 399. *Germ.* Schwarzes geschwefeltes Quecksilber, mineralischer Mohr, *gall.* sulfure de mercure, hydro-sulfure de mercure oxidé. Trituratione tantummodo quatuor partes hydrargyri cum una parte sulphuris uniri possunt. Dum comminuuntur hydrargyrum et sulphur, hydrogenium ex aqua cum sulphure coit, hujus autem oxygenium una cum atmosphaerico hydrargyro adimit naturam metallicam. Fusione oxydatio metalli acceleratur. Sulphuretum hydrargyri nigrum obtinetur sine dubio homogenius praecipitatione ex nitrate hydrargyri cum sulphureto potassae. *Dosis* gr. V-X. Sulphuretum hydrargyr. et stibii, de quo infra, parum ab hic descripto differt. Vid. not. 440. Fere par illi haberi debet *pulvis hypnoticus Jacobi*, qui ex nitrate hydrargyri sulphureto potassae praecipitatur, et injuria contra insomniam a nimia nervorum sensibilitate ortam laudatur.

NITRAS HYDRARGYRI LIQUIDUM.

NITRATIS HYDRARGYRI OXYDATI SOLUTIO. MERCURIUS NITRATUS.

Rec. Oxydi hydrargyri nitrati partes tres,
Acidi nitrici puri partes quatuor.

Leni igne, vase tecto, sensim addendo oxydum, fiat lege artis solutio, vase accurate clauso, servanda. —

Haec,

Aquae depuratae partibus duodecim diluta,

sit

LIQUOR NITRATIS HYDRARGYRI,

LIQUORI MERCURIALI Pharmacopoeae Amstelodamensis substituendus.

Not. 400. *Germ.* Salpetersaures Quecksilber, *angl.* nitrated mercure, *gall.* nitrate de mercure. In liquore nitratis hydrargyri, qui crystallis fit ex oxydo hydrargyri puri in acido nitrico pronatis, vis minus variat quam in eo, quem pharmacopoea Batava parari jubet, licet praeferri debeat solutioni hydrargyri puri in acido nitrico, sit illa frigide, aut calide peracta *(Meyer)*. *Vis* caustica. *Dosis* pendet a praeparati natura et solutionis concentratione. Dari possunt nitratis hydrarg. liquidi Ph. Bat. guttulae jj cum aquae destillatae unc. jjj. Nitratis hydrargyri ex hydrargyro puro et acido nitri *Selleus* dedit gutt. jj-V multa aqua dest. dilutas, mane et vesperi. Laudat praeparatum in morbis ossium venereis, et affectibus obstinatis luis gallicae. *Syrupus Belleti. Bouillon la Grange* affirmat sequenti modo illum componi. Solvuntur unc. 28 sacchar. in aquae libr. j et nitrat. hydrargyr. gr. 112 in s. q. aquae. Additur dein aether. nitrici dr. β. Dosis hujus syrupi unc. ß, quam Alibertus dare vult, initio saltem nimis vehemens esse videtur. *Liquor nitratis hydrargyri pro usu externo* felici usu *Bellostii* famam acquisivit. Parabat eum hic chirurgus ex hydrargyr. dr. j aquae fort. dr. jj-jjj cum aquae destill. libr. ß - j. *Aqua grisea Ph. Wirtenb.* 1771. R. Mercur. vivi, aqu. fort. ana unc. j reponantur in loco calido, ut solvatur mercurius; solutioni adde decoctum sequens: rec. rad. chelidon. major. — aristoloch. long. hb. rut. hort. — scordii, flor. rosar. ana unc. j coqu. in aqu. font. libr. jX, ut post colatur. remaneant libr. Vjjj. Similitudinem habet haec aqua cum liquore *Bellostii*, hoc autem debilior, cum nitras hydrargyri in ea ex parte decomponitur. *Decomponitur* nitras hydrargyri potassa, soda, ammonia, aqua calcis.

† *MURIAS HYDRARGYRI.*

HYDRARGYRUS MURIATUS CORROSIVUS. E. HYDRARGYRUS MURIATUS. L. HYDRARGYRUM MURIATICUM CORROSIVUM B.

MURIAS HYDRARGYRI OXYGENATUM. MURIAS HYDRARGYRI BASI OXYDI PERFECTI.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Rec. Hydrargyri puri partes quatuor,
Acidi nitrici, quantum sufficit, ut solvatur.

Solutionem, in massam albam siccam evaporatione redactam, in pulverem tere, et adde
Muriatis sodae exsiccati, et
Sulphatis ferri exsiccati, utriusque partes quinque.

Haec tritura probe commixta, immittantur in phialam, cujus dimidiam partem impleant. Ignis in balneo arenae applicetur lenis et lentus, orificio phialae aperto, quamdiu vapores aquosi et acidi egrediantur. Dein cono chartaceo leviter claude et sensim auge ignem. Finita sublimatione confringatur phiala, et massa alba splendens eximatur, a materia rubra, in fundo residua, probe separanda.

Not. 401. *Germ.* Salzsaures Quecksilber, Aetzquecksilbersublimat, *angl.* muriated Quicksilber, *gall.* muriate suroxigéné de mercure, sublimé corrosif. Hydrargyrum purum acido muriatico simplici non oxydatur, perfecte autem hyperoxygenato. Pharmacopoea Borussica igitur

commendat methodum mercurium sublimatum parandi *Kunkelii*, qui sulphas hydrargyri et murias sodae sublimationi tradidit. Scriptores pharmacopoeae Batavae imitantur antiquitus cognitam, ad quam hydrargyri libr. j vitrioli martis ad rubedinem calcinati libr. jj alumin. ust. libr. j nitr. libr. ¼ et sal commun. libr. ß sublimabantur. Crystalli muriatis hydrargyri referunt acus, ex parallelepipedis formatas. Odorem non habent, sed caustico et ingrato sunt sapore metallico. Solvuntur in aquae partibus 16, aequali parte aetheris sulphurici, atque tribus partibus spiritus vini. *Vis.* Maxime inter salia mercurialia murias hoc stimulat vasa absorbentia, citamque in lympham, quam vehunt, actionem exercet. Concentrata dosi corrodit. Vid. not. 14. *Usus* in syphilitide in genere, et nodis tophisque venereis in specie, in inflammatione nervosa et chronica, variisque affectibus vasorum lymphaticorum et cutis. *Dosis* gr. ⅛-¼, ita ut per nycthemerum sumatur granum unum. Pulveris forma nunquam pro usu interno in hoc remedio concedi potest, sed solutionem muriatis hydrargyri in genere ceteris porrigendi modis praeferre nos oportet. Non prorsus reprobandae sunt ex formulis siccis *pilulae muriatis hydrargyri* cum succo liquiritiae contritae. R. Succ. liquirit. pur. dr. j, specier. diatragacanth. sive gummi tragacanthae scr. jj, muriatis hydrargyri scr. ß. Succus liquiritiae et species diatragacanthae, absque seminibus oleosis paratae, misceantur seorsim in mortario lapideo et adfundatur dein murias hydrargyri aqua pauca destillata in alio mortario lapideo probe solutum. Subigantur exactissime, indeque fiat massa, ex qua formentur pilulae centum, amylo conspergendae. *(Voglerus Weilburgensis).* Dosis. Ingeruntur ter de die pilula una, duae, tres ad quatuor, et quaque vice unciae aliquot meri lactis, vel aquae eo mixtae superbibuntur. Si necessarium videatur, opii gr. V. addi possunt et loco scrupuli gummi tragacanthae gr. XXV. *Pilulae majores Hoffmanni.* R. muriat. hydrargyr. gr. XV; perfecte solvantur in aquae destill. q. s. mic. pan. alb. dr. Vj. Ex bene subactae fiant lege artis pilul. nro. 186. Sex continent circiter granum dimidium muriatis hydrargyri. Dosis: grana sex.

Nimis indurescunt, nec tunc sat cito a humoribus primarum viarum subiguntur, ita ut de effectu incerti esse debeamus. Dimidia parte sacchari autem loco micae panis addita, citius solvuntur. (*Hufeland* J. d. p. H. IV. 2. p. 431.) Consilium quorundam, illas pulveratas porrigendi, vituperandum esse contendo. *Pilulae ex muriate hydrargyri Swediauri.* R. Aquae destill. dr. jj muriat. ammoniae q. s. ad saturat. solutionem; adde muriat. hydrarg. dr. β. mic. pan. q. s. contunde in massam in pilul. 60 dividendam. Dosis: pilul. j. Has Hoffmannianis praefero, quoniam murias ammoniae additum solutioni pilularum in primis viis favet. Solutiones muriatis hydrargyri in spiritu vini, pilulis ut plurimum a medicis praeponuntur. *Solutio muriatis hydrargyri Swietenii.* R. muriat. hydrargyr. gr. Vjj-XVj solv. in spirit. frumenti unc. XjV. Augebat autor circumspecte et sensim quantitatem muriatis hydrargyri usque ad summam dosin; nam, dum tentabatur ulterius augmentum, vomitus sequebatur. (*Swietenii comment. V. p. 555*). Aegri, qui solutione utebantur, salivabant. Si vero autor salivationem subrepere viderat, per aliquot dies a remedio abstinebat, donec omnis metus hydrargyrosis cessaret. Dosis. Mane et vesperi cochl. j. In illis, quibus a majori spiritus copia fauces irritantur, singula dosis potest dilui decocto emollienti, quod superbibatur. Plures componunt hodie solutionem mercurialem Swietenii ex mercurii corrosivi gr. Vj et spiritus frumenti libr. j. *Solutio muriatis hydrargyri D. Fuld.* R. muriat. hydrargyr. gr. Vj solv. in spirit. vini gallic. unc. Xjj solut. adm. syrup. balsamici unc. jß. *Mixtura mineralis Ph. Suec.* 1784. R. muriat. hydrargyr. gr. Vj solv. in aqu. commun. dest. unc. jX adm. aqu. cinnamom. vinos. unc. jj, spirit. vin. rectificat. syrup. althaeae ana unc. j. *Solutio muriatis hydrargyr. aetherea.* R. muriat. hydrargyr. gr. jV, solv. in aether. sulphuric. unc ß. Dosis gutt. X-XX mane et sero in vasculo potus mucilaginosi. (*Lafontaine*). *Solutio muriat. hydrargyri Marryati.* R. muriat. hydrargyr. acid. muriatic. ana gr. X spirit. lavendul. composit. unc. j. Dos. mane et vesperi gutt. XX cum sex cochl. vin. alb. sive mucilag. avenae excorticatae.

Alvina excretione aucta dosis minuitur. *Solutio muriat. hydrargyr. Boerhaavii.* R. muriat. hydrargyr. gr. jj muriat. ammoniae gr. XV solv. in aqu. commun. dest. unc. Vjjj. Dosis mane et vesperi cochl. j. Recepta est in pharmac. Edinb. 1795. Miscentur autem merc. corr. gr. jj sal. ammon. gr. Xjj cum aqu. dest. libr. j. *Solutio muriat. hydrargyr. cum opio.* R. muriat. hydrargyr. gr. jj solv. in aqu. cinnamom. vinos. unc. j adm. tinct. opii crocat. scr. j. Guttul. XXX continent circiter gr. $\frac{1}{12}$ muriat. hydrargyr. *Aqua metterbergensis,* ut arcanum divendita, continet in aquae unc. XVj muriat. hydrarg. nitr. potass. grammat. $\frac{1}{4}$ alcohol. aromat. grammat. 15. *(Vauquelin).* *Externe* murias hydrargyri potissimum in aqua solutum adhibetur. Vid. not. 544. *Unguentum muriat. hydrargyri Cyrilli.* R. muriat. hydrarg. muriatis ammoniae ana dr. j axung. porc. unc. j. Drachmam dimidiam quotidie plantis pedum illini jubet autor. *Antidotum:* potassa, aqua calcariae, sulphuretum calcis. *Decomponitur* murias hydrarg. principio adstringente, potassa, soda, ammonia, aqua calcariae, muriate et sulphate ferri, sulphureto calcis et potassae, sapone, acido sulphurico.

† *MURIAS HYDRARGYRI OXYDULATI.*

HYDRARGYRUS MURIATUS MITIS. B. CALOMELAS L. HYDRARGYRUM MURIATICUM MITE. B.

MURIAS HYDRARGYRI BASI OXYDI IMPERFECTI.

MERCURIUS DULCIS, sive CALOMELAS.

Rec. Muriatis hydrargyri partes quatuor,
Hydrargyri puri partes tres.

Muriati, in tenuissimum pulverem redacto, in mortario vitreo admisce hydrargyrum, et pistillo vitreo tere, addens subinde

Pauxillum alcoholis,

ne inter terendum elevatus pulvis molestiam moveat. Hydrargyro ita extincto, ut nulli amplius globuli appareant, pulvis immittatur in phialam, cujus tertiam tantum partem repleat, cono prius chartaceo, ut alcohol effugiat, tegendam; dein operculum impone lapideum, et auge ignem, eumque sustine satis intensum, donec nihil amplius in fundo appareat, praeter pulverem interdum rubrum, quem inutilem ut et albicans, in collo phialae haerens, paucum sublimatum abjice; nec non metallicum Hydrargyrum separa.

Operatio instituatur balneo arenae.

Murias hydrargyri oxydulatum, ita comparatum, in pulverem redige tenuissimum, et

Aquae depuratae duplo, cum

Muriatis ammoniae parte vigesima,

coque per quadrantem horae, qua decantata, bis aut ter aqua depurata fervida ablue, aut tamdiu, donec per aquam calcis nullum praecipitatum flavum aut album in ea conspiciatur. Pulverem ita comparatum exsicca calore lenissimo et loco obscuro serva.

Not. 402. *Germ.* Mildes salzsaures Quecksilber, *belg.* mildes zoutzuures Quiksilver, *angl.* mild muriated Quicksilber, *gall.* muriate de mercure sublimé, mercure doux. Occurrit etiam murias hydrargyri oxydulatum sub nomine *aquila alba, panacea mercurialis, manna metallorum et calomelas.* Semper quidem hic sal metallicus sublimatione parandus est, ut certi simus, nullas partes metallicas perfecte oxydatas in praeparato mitigato residere.

Repetitis autem sublimationibus murias hydrargyri oxydulati non mitius, ut olim medici et pharmaceutae putabant, redditur, sed corrosivus. Oxydum enim fit taliter ex oxydulo. Normam praeparandi murias hydrargyri oxydulati usitatiorem sequuntur scriptores pharmacopoeae Batavae. Loco solutionis muriatis ammoniae alcoholem in removendo sale corrosivo praeferrem. Inter recentiores methodos mercurium dulcem construendi *Scheelianae* et *Hermbstädtianae* plures assentiuntur. *Scheelius* sale culinari illum erui docet ex nitrate hydrargyri, *Hermbstädtius* ex sulphate metalli. Solvitur mercurius dulcis in aqua fervidae part. 1100. Optime genuina praeparati natura dijudicatur sequenti periculo. Unciae dimidiae muriat. hydrargyr. infunduntur spiritus vini unc. jjj. Additis dein spiritui vini decantato aquae unc. jjj aqua calcis nunquam in vero muriate hydrarg. oxydulati praecipitatum aurantiacum producit. *Vis* peculiaris mitis, majori dosi purgans. *Usus:* in morbis, qui, teste experientia, mercurii usum postulant et perferunt. *Dosis* gr. $\frac{1}{4}$-X. Saepissime dari solet infantibus in angina, quam membranaceam dicunt, resolvenda, nec dubitari potest, lentius in his systema salivale concitari. Assertum tamen *Marci* (v. tract. über die Natur und Behandlungsart der häutigen Bräune), se observasse, quod infantes intra horas quadraginta octo grana ducenta, immo quadringenta sine damno ingesserint, errore aut fallacia consignatum esse vix ullus dubitabit. Et mihi utilissimum se praestitit connubium muriat. hydr. oxydulat. cum opio (gr. $\frac{1}{8}$-$\frac{1}{4}$ opii cum gr. $\frac{1}{4}$-j sal. metallici) omni bi- aut trihorio, praegressa sanguinis evacuatione interdum indicata. *Pulvis Plumeri.* R. Sulphureti oxyduli stibii hydrogenati, muriat. hydrargyr. oxydulat. ana sacchar. alb. q. s. dosis gr. V-X. Etsi hi pulveres magnam famam acquisiverint, vim saltim muriatis hydrargyri oxydulati addito sulphureto stibiato infringi, ex legibus affinitatis chemicae patet. *Pilulae Plumeri Ph. Ed.* 1784. R. muriat. hydrarg. oxydulat. sulphuret. oxyduli stibii hydrogenati ana dr. jj extr. liquirit. scr. jV mucilag. gummi arab. q. s. Dosis gr. jV-Vj. *Pilulae mercuriales Falkii.* R. muriat. hydrargyr. oxydulat. amyl. sacch. alb. ana scr. j f. pilul. 40. Dosis: per diem pil. j-jV.

Methodus Clarenna murias hydrarg. oxydulati interiori buccarum superficiei in lue venerea infricandi, merito a plurimis recentiorum repudiatur. Vid. not. 14. *Aqua grisea*, quae oritur ex mixtione dr. jj mercur. dulcis cum aquae calcis libr. j profuit externo usu in scabie venerea. *Unguentum muriatis hydrargyr. oxydulati* ex mercur. dulc. scr. jj et unguent. picei unc. j laudat *Marryatus* contra varias pustulas cutis et in tinea capitis sananda. Vid. not. 207.

ACETIS HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUS ACETATUS. D. et L. HYDRARGYRUM ACETICUM. B.

MERCURIUS ACETICUS.

Rec. Hydrargyri puri libram unam,
Acidi nitrici diluti libras duas,
Solutionis Carbonatis potassae alcalini,
quantum sufficit.

Hydrargyrum cum acido misce in vase vitreo, et in balneo arenae solve; tum paulatim instilla solutionem alcalinam, ut oxydum hydrargyri dejiciatur. Hoc aqua depurata plurima lava, et leni calore sicca.

His peractis,

Rec. Oxydi hydrargyri, modo descripti, libram unam,
Acidi acetosi, quantum sufficit.

Misce in vase vitreo, et hydrargyro soluto, liquorem per chartam cola; dein evaporetur liquor, donec pellicula appareat, et seponatur, ut fiant crystalli. Has in vase obturato repone.

Hic praeparandi modus fit juxta Pharmacopoeam Londinensem.

Not. 403. *Germ.* Essigsaures Quecksilber, *belg.* azynzuures Quicksilver, *angl.* acetated Quicksilver, *gall.* Acetite de mercure. Alchemistae nominant acetitem hydrargyri *sperma mercurii.* Constat ex crystallis albis argenteis, acribus. Pharmacopoea Edinburgensis adstillat hydrargyr. unc. jjj acid. nitrici diluti unc. jV*ß* dein acetit. potassae unc. jjj aquae fervid. libr. Vjjj. In hoc processu imitatione non indigno, nitras potassae et acetis hydrargyri coeunt, prius continet liquor, posterior crystallos format. Aegre solvitur acetis hydrargyri in aqua frigida, sat bene in fervida. *Vis* facile vomitum ciet hoc praeparatum mercuriale et alvum laxat. *Pilulas Keyseri* ingreditur, quae ad mentem autoris componi possunt ex acetitis hydrargyri, amyli et gummi tragacanthae partibus aequalibus et sacchar. q. s. (*Vogler Weilb.*) Dosis pil. j-XX. *Unguentum acetitis hydrargyr.* R. Acetitis hydrargyr. scr. jj-dr. j olei olivar. unc. j. *Solutio acetitis hydrargyr.* R. Acetit. hydrargyr. gr. X-Xjj solv. in aqu. rosar. unc. V. Unguentum et solutio contra herpetem utiliter quidam adhibuere. *Decomponitur* sale communi, acido sulphurico, acido acetosellae, et tartarico.

TARTRIS HYDRARGYRI.

MERCURIUS TARTARISATUS.

Rec. Solutionis hydrargyri in acido nitrico paratae, et plane saturatae, quantum satis.

Huic fervidae adde guttatim

Tartritis potassae solutionem, itidem saturatam et fervidam,

donec cesset praecipitatio. Quieti jam committatur miscela, et liquor supernatans, qui nitrum continet, decantatione separetur, praecipitatum

pauca aqua frigida semel abluatur, solvatur dein

Aquae fervidae sufficiente quantitate,

et solutio percolata in loco frigido crystallisanda seponatur; crystallis exemtis, hic labor repetendus, donec crystallos dare neget solutio; sal, intra chartam siccandum, dicto titulo servetur.

Not. 404. *Germ.* Weinsteinsaures Quecksilber, *belg.* wynsteenzuures Quickzilver, *angl.* tartarised Quicksilver, *gall.* tartrite de mercure. Terre feuilletée mercurielle de Fourcy. Format tartris hydrargyri squamas argenteas. *Vis* vomitum producere solet, et alvum laxiorem. *Dosis* gr. j. *Aqua vegeto-mineralis Pressavini* (Eau vegeto-mercurielle de Pressavin) est solutio tartritis mercurii. *Decomponitur* hoc sal mercuriale, sale culinari, et acido muriatico, calcis aqua, potassa, sapone, acido phosphorico et sulphurico.

NITRAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE.

HYDRARGYRUS PRAECIPITATUS CINEREUS.

Rec. Hydrargyri,

Acidi nitrici, pondere paria.

Misce, ut solvatur; solutionem

Aqua depurata

dilue, et adde

Carbonatis ammoniae liquidi sufficientem quantitatem

ad hydrargyrum penitus ab acido separandum. Pulvis dein aqua depurata lavetur et siccetur.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 405. Parum differt hoc praeparatum ab oxydulo hydrargyri Hahnemanni, hinc non intelligo, qua de causa illi associetur.

MURIAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE.

CALX HYDRARGYRI ALBA. L. HYDRARGYRUM MURIATICUM PRAECIPITATUM. B.

MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS.

Rec. Muriatis hydrargyri,
Muriatis ammoniae, utriusque, quantum velis.

Solve

Aquae depuratae sufficiente quantitate, et instilla gradatim

Solutionem Carbonatis potassae alcalini, quamdiu pulvis albissimus ad fundum cadat. Si ad flavedinem vergere incipiat praecipitatum, ab ulteriore affusione abstine.

Pulvis albus, aqua depurata frigida affusa edulcoratus, intra chartam siccetur in umbra.

Not. 406. *Germ.* Salzsauer Ammonium-Quecksilber, weisses Quecksilberpraecipitat, *angl.* muriated Quicksilber with ammonia, *gall.* Mercure précipité blanc. Hoc murias hydrargyri cum ammonio junctum pari modo solutione carbonatis sodae praecipitari potest. Solutione kalina incaute instillata, omne acidum muriaticum vero attrahitur, atque acidum carbonicum, metallo traditum, oxydum tingit colore flavo-brunneo. Inter methodos id parandi, ea, quam pharmacopoea Batava adoptat, erogat praeparatum nec invicem abhorrens, nec nimis causticum. Continet murias hydrargyro-ammoniacale oxyd. hydrargyr. 0,81 acid. muriatic. 0,16 et ammoniae 0,03 (*Fourcroy*). Solvitur aquae part. centum, sapore metallico insigne. *Usus.* Olim datum est interne a grano j-jij. Hodierna in praxi externe tantum admitti consuevit. *Unguentum ad scabiem Werlhoffii* v. not. 553. — Inter cosmetica expeti solet murias hydrargyro-ammoniacale,

ut eo varorum et serpiginum foeditas abstergatur, sed edentuli redditi sunt, qui larga et incauta manu illud unguentis addebant.

MURIAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE ACERRIMUM.

HYDRARGYRUS MURIATUS FORTIOR, Pharm. Chir. Lond.

Rec. Muriatis hydrargyro-ammoniacalis, quantum volueris,
Acidi muriatici, quantum sufficit.

Muriati hydrargyro-ammoniacali in vase vitreo tantum acidi admisce, quantum sub modico calore sufficiat ad solutionem, unde post debitam evaporationem, leni igne factam, liquore refrigerato, obtinentur crystalli, aquae depuratae pauxillo abluendae et siccandae.

Not. 407. Fere aequiparari debet hoc murias mercurio corrosivo, nec intelligo, qua de causa chirurgi eo indigeant, cum hoc ad manus sit.

Cuprum.

† *SULPHAS CUPRI.*

CUPRUM VITRIOLATUM. E. CUPRUM SULPHURICUM. B. VITRIOLUM CUPRI.

Rec. Limaturae cupri partem unam,
Acidi sulphurici partes duas, vel quantum sufficit.

In cucurbita vitrea coque in balneo arenae, ut solvatur limatura. Gas acidum sulphurosum erumpit, et massa fusca relinquitur, quae

Aquae quantitate sufficiente

solvenda, lixiviumque colatum evaporatione concentrandum, et frigido loco seponendum, ut crystallos largiatur, lege artis siccandas.

Not. 408. *Germ.* Schwefelsaures Kupfer, *belg.* zwavelzuures Koper, *angl.* vitriolic Copper, *gall.* sulfate de cuivre. Componitur sulphas cupri ex cupri p. 0,23, oxygenii 0,07, acidi sulphurici 0,30 et aquae 0,40. Constat ex crystallis prismaticis, sapore acri, nauseoso, metallico et styptico, qui solvuntur ad gr. 10 Th R. in quatuor aquae partibus. *Vis:* emetica, purgans cum imminente inflammationis periculo. *Usus* in scrophulis et haemorrhagiis, in veneficio ab opio et arsenico et in gangraena atonica. *Dosis* gr. $\frac{1}{8}$-gr. j. *Pulvis emeticus siccus Maryatti* (dry vomitiv). R. sulphat. cupri, tartritis potass. stibiat. ana gr. Vjjj. m. f. p. Divid. in tres part. aequ. D. cum pauxillo aquae et superbibatur infusum flor. chamomill. Nausea, vomitu peracto, nimis diu infestante, sumantur cochl. duo spiritus frumenti, aut si licet, scyphus aqua selterana plenus cum vino et saccharo. Ob certitudinem effectus in periculo a venificio avertendo hunc pulverem solutionibus emeticorum anteire credo. Praecipitabant veteres chemici ex sulphate cupri oleo tartari per deliquium carbonas cupri, quo utebantur sub nomine *gilla* et erat gillarum vehementissima. *(Magnetl bibl. ph. chem. II. p.* 760.) *Extérne* sulphas cupri ut stypticum admovetur in haemorrhagiis narium, ulceribus fungosis, et condylomatibus. *Aqua coerulea Ph. L.* 1762. R. vitriol. coerulei unc. jjj alumin., spirit. vitriol. fort. olei dicti ana unc. jjj aquae mens. jβ. *Aqua styptica Ph. Ed.* fere eadem est. *Injectio sulphatis cupri in fluore albo.* R. sulphat. cupri dr. jj aqu. commun. dest. unc. Vjjj. *(Hahnemann). Lapis divinus.* R. Sulphat. cupri, sulphat. alumin. aciduli ana unc. jV. optime pulveren-

tur et misc. tunc in crucibulo paucis prunis commisso liquefiant, et parum refrigeratis addantur camphor. pulveratae dr. jj; exactiss. misc. et mass. refrigerata vasi exemta in vitro clauso servetur. *Aqu. ophthalmica ex lapide divino Theden* R. lapid. divin. scr. 3 muriat. ammon. gr. V aqu. rosar. unc jj. In ophthalmiis atonia vasorum continuis laudatur. Simplex solutio sulphat. zinci praeferri debet. Vid. not. 34. *Decomponitur* sulphas cupri potassa, soda, acido muriatico, sapone, aqua calcis, et magnesia.

SULPHAS CUPRO-AMMONIACALE.

CUPRUM SULPHURICO AMMONIATUM. B.

CUPRUM AMMONIACUM.

Rec. Sulphatis cupri pulverati, quantum vis.

In vase vitreo sensim adde

Carbonatis ammoniae alcalini liquidi, quantum sufficit,

donec finita sit effervescentia, et praecipitatum viride, ab initio natum, plane sit solutum. Liquori cyaneo adde

Parem Alcoholis vini quantitatem, aut majorem,

et crystallos e liquore excussas, coloris valde coerulei, absque calore sicca, et in vitro accurate clauso serva.

Not. 409. *Germ.* Ammoniasirtes schwefelsaures Kupfer, Kupfersalmiak, *angl.* vitriolic ammoniated copper, *gall.* sulfate de cuivre et d'ammoniaque. Evaporatione solutionis sulphatis cupri et ammoniae aquosae a nonnullis pharmaceutis admissa, dissipatur portio ammoniae, et pervertitur natura praeparati. Crystalli acus referentes coerulei sunt, sapore metallico et nauseoso.

Vis adstringens, emetica, antispastica. *Usus* in epilepsia, chorea st. Viti, et hysteria. *Dosis* bis de die gr. ½ et sensim addendo gr. V. *Pilulae coeruleae Ph. Ed.* 1784 R. sulphat. cupri ammoniacal. gr. XVj mic. pan. scr. jV carbon. ammon. liquid. q. s. f. massa dividenda in pilulas 32 aequales Dosis: pil. j et plures. Ne indurescant, et ut melius dissolvantur in primis viis, rectius sulphas cupro-ammoniacale subigitur micae pan. et sacchar. alb ana scr. jj. *Solutio sulphatis cupro-ammoniacalis.* R. sulphat. cupro-ammoniacal. dr. β solve in aqu. commun. dest. unc. j. Dosis gutt X et sensim plures. Perperam commiscet *Arnemannus* oxydum zinci et magnesiam cum hoc praeparato.

Ferrum.

† *FERRUM PULVERATUM.*

LIMATURA FERRI PRAEPARATA, SEU PURIFICATA.

Rec. Limaturae ferri, ex ferro malleato puro confectae, quantum placeat.

Limaturam in saccum immitte linteum, pulverem tenuem separa, quem, particulis heterogeneis ope magnetis debilioris liberatum, in lagena vitrea probe obturata serva.

Not. 410. *Germ.* Eisenfeile, *angl.* Iron filings, *gall.* Limaille de fer. Nigrum sit ferrum pulveratum, metallico splendore praeditum, et sequatur magnetem. *Usus* internus plane negligatur, ob praeparata multifaria ex ferro, quae efficacia et euphoria praestant, copiose enim gas hydrogenium ex eo in primis viis prorumpit, nec sine dolorosa expansione ventriculi et canalis intestinalis. Vid. not. 13.

† *OXYDULUM FERRI NIGRUM.*

FERRUM OXYDULATUM NIGRUM. B.

AETHIOPS MARTIALIS.

Rec. Ferri pulverati, quantum velis.

Candenti crucibulo adsperge identidem pauxillum aquae, expectans ad unamquamque immissionem, donec, decomposita et abacta aqua, igne denuo candeat metallum. Ita, subinde materiem agitans, continua, donec omni facie metallica privatum ferrum, opacam nigricantem exhibeat massam, quae adhuc calida in pulverem terenda, per cribrum colanda et vase clauso servanda.

Not. 411. *Germ.* Schwarzes Eisenoxyd, oxydulirtes Eisen, Eisenmohr, *angl.* black oxyd of iron, *gall.* oxide noir de fer. Oxydulum ferri nigrum sit nigredine tinctum, ut observatur in panno bombycino nigro, qui Sammet dicitur, atque attrahatur magnete. Solvatur acidis sine extricatione gasis hydrogenii. Continet ex oxygenio 0,20-0,27. *Lemeriana* methodo satis longa dimissa, ferrum varia ratione in hoc oxydulum transmutatur. *Ingenhoussius* acceleravit oxydationem acido nitrico adstillato, quod aqua dilutum oxygenium cum ferro communicat. Quod restat methodus hic praescripta melior habetur irroratione oxyduli ferri fusci cum oleo olivarum, quia olei partes carbonaceae oxydulo ferri immisceri possunt. *Dosis* gr. X-XV. — *Squamae ferri purae* (Hammerschlag) aequiparantur huic oxydulo, et dicuntur *terra cimolia* (terre cimolée) si cum arena commixtae sunt. Chirurgi galli applicare solent tumoribus testium frigidis hanc terram aceto humectatam (*Richerand*).

OXYDULUM FERRI FUSCUM.

FERRUM OXYDATUM FUSCUM.

CROCUS MARTIS.

Rec. Sulphatis ferri, recens parati, quantum satis.

Solutioni colatae affunde

Lixivii carbonatis potassae alcalini, quantum sufficit, ut omne oxydulum praecipitetur.

Praecipitatum ablue aqua calida, sicca, in pulverem redige exacte, et vase clauso serva.

Not. 412. *Germ.* Braunrothes Eisenoxyd, Eisensafran, *angl.* brown-bay oxyd of iron, *gall.* oxide rouge de fer, safran de mars. Oritur e connubio salium carbonas ferri oxygenatum, excandescentia in oxydum transmutabile *(crocus martis adstringens)*. *Dosis* gr. V-XV. Ab oxydulo ferri non multum differt *crocus martis antimoniatus sive aperitivus Stahlii.*

SULPHURETUM FERRI.

PYRITES FERRI ARTIFICIALIS.

Rec, Ferri pulverati partem unam,
Sulphuris depurati partem dimidiam.

Probe mixta, per parvum temporis spatium, in crucibulo terreo accurate clauso rubescant, ac dein, post spontaneum refrigerium, in vase bene clauso serventur.

Not. 413. *Germ.* Künstlicher Schwefelkies, *belg.* konstelyk Zwavelkies, *angl.* artificial pyrites of iron, *gall.* pyrite sulfureuse artificielle. Ferrum diversa ratio-

ne init cum sulphure unionem. Caloris gradu inferiori cum eo connectuntur partes 90 sulphuris, superiori autem tantum p. 60. Pyrites largius sulphure donatus naturali similis est, nec dirimitur acidis, nec gasi igitur hydrogenii sulphur. insinuat. Quamobrem compositio pyritae artificialis hic docetur. Vid. not. 338.

† *SULPHAS FERRI.*

FERRUM VITRIOLATUM. E. et L. FERRUM SULPHURICUM CRYSTALLISATUM. B.

SAL MARTIS. VITRIOLUM MARTIS.

Rec. Ferri pulverati, vel ramentorum ferri, quantum velis.

Per vices immitte in

Acidi sulphurici fortis sufficientem quantitatem,

Aquae quadruplo dilutam.

Cessante effervescentia, digere liquorem per horam super arenam calidam, percola et post debitam exhalationem sepone, ut in crystallos concrescat, vase clauso in loco obscuro servandas.

Not. 414. *Germ.* Schwefelsaures Eisen, *belg.* zwavelzuures Yzer, *angl.* sulphurated iron, *gall.* sulfate de fer. Componitur ex acid. sulphuric. part. 39 ferri p. 23 et aqu. 38 *(Bergmann)*. Crystalli virides sunt prismata lateribus rhomboidalibus sapore styptico. Solvuntur in aquae frigidae partibus duabus et in fervidae $\frac{3}{4}$ Alcohol nihil eis diripit. Aëri expositi opaci fiunt et flaviusculi, oxygenio ex illo attracto. Suggerunt aquae tanto majorem flavedinem, quo magis haec abundat gase carbonico, ita ut gasis quantitas ex diversa coloris opacitate colligi possit. *Vis:* martialium, atque insigniter adstringens.

Usus in fluore albo, chlorosi, et colluvie verminosa. *Dosis* gr. j-jjj cum aromate, styptica virtute experte. Balneis additur unc. j-jjj. *Pulvis sulphatis ferri pro usu externo* R. sacchar. alb. dr. jj sulphat. ferri gr. jV-X. Maculae corneae interdum eo discutiuntur. *Fomentum ex sulphate ferri* R. sulphat. ferri unc. β sacchar. alb. dr. jj camphor. dr. β aqu. commun. dest. libr. jj. Imponitur, linteorum complicatorum adminiculo ulceribus inveteratis impuris. *Injectio ex sulphate ferri* R. sulphat. ferri scr. jV aqu. commun. unc. Vjjj. Adhibetur in fluore albo, dosis autem sulphatis ferri sensim augeatur. *Decomponitur* sulphas ferri potassa, soda, et ammonia, nitrate potassae, muriate ammoniae, acetite ammoniae, aqua calcis, sapone, et principio adstringente.

SULPHAS FERRI EXSICCATUM.

FERRUM VITRIOLATUM EXSICCATUM. E. VITRIOLUM MARTIS CALCINATUM. A. VITRIOLUM AD ALBEDINEM CALCINATUM.

Rec. Sulphatis ferri, quantum vis.

In vase fictili, vitro non obducto, igni modico exponatur, donec albescat et siccissimum evadat.

Not. 415. Sulphas ferri exsiccatum est sulphas ferri, aqua crystallisationis orbatum, cum oxydulo ferri mixtum. Non elucet mihi peculiaris utilitas hujus praeparati ferrei in rachitide, contra quam ter de die laudantur gr. jj *(Ypey)*.

SULPHAS FERRI CALCINATUM.

FERRUM VITRIOLATUM USTUM. E. COLCOTHAR VITRIOLI.

Rec. Sulphatis ferri, quantum vis.

Exsiccatum igne forti urgeatur, donec atrorubrum acquirat colorem.

Not. 416. Calcinatione sic dicta ferrum attrahit oxygenium ex acido sulphurico, et sulphurosum acidum avolat. Residuum est ferrum oxygenatum. Etsi maxime externe eo utantur medici, internum ejus usum neutiquam vituperandum esse apparet. Illud, quod ex sulphate ferri nativo fit, atque zinco cuproque inquinatum est, a priscis sub nomine *Gilla* ut emeticum praedicatur lenissimum. (Vid. Mangeti bibl. pharm. med. II. p. 760 et not. 408 in qua de gilla ex sulphate cupri dictum est).

MURIAS FERRI.

[FERRUM MURIATICUM.

FERRUM SALITUM.

Rec. Oxyduli ferri fusci uncias tres,
Acidi muriatici, quantum satis.

Sub calida digestione fiat solutio, quae, evaporatione ad siccitatem redacta, in patinam ferream immittatur. Superimposito globo ferreo dimidiato, vel crucibulo Hassiaco maximo, et juncturis glarea Bruxellensi probe firmatis, sublimatio instituatur, igne sensim augendo, ut rubeat patinae fundus, qui ignis gradus per sex saltem horas sustinendus. Refrigerato apparatu, sublimatum mox vasi vitreo, probe claudendo, includatur.

Not 417. *Germ.* Salzsaures Eisen, *angl.* muriated iron, *gall.* muriate de fer. Praedominatur in muriate ferri acidum muriaticum. Liquatur hoc murias aëre, et solvitur aqua, alcohole, et aethere sub exaestuatione.

Ut haec in solutione cum aqua moderetur, aqua non adstilletur muriati ferri sed vice versa. *Dosis.* Plerumque solutum datur.

MURIAS FERRI LIQUIDUM.

TINCTURA FERRI. E. TINCTURA FERRI MURIATI. L. TINCTURA FERRI MURIATICI. B.

TINCTURA MARTIS SALITA.

Rec. Muriatis ferri drachmam unam,
Aquae depuratae unciam unam,

Solve.

Not. 418. *Dosis* quater vel ter de die gutt. 30-60. in cochleare fictili cum aqua aromatica destillata. Loco aquae murias ferri spiritu vini solvi potest, et fit tinctura quibusdam aegris salubrior et gratior, quam solutio aquosa Haec tinctura est plane eadem ac *tinctura martis aurea ph. Batean.* Dosis tincturae gutt. 30-60.

† *SOLUTIO MURIATIS FERRI COMPOSITA.*

LIQUOR STIPTICUS.

Rec. Oxydi ferri nativi, in pulverem tenuissimum redacti,
Acidi muriatici, utriusque uncias duas,
Muriatis ammoniae, in pulverem triti,
uncias sedecim.

Ex his probe commixtis in phiala ampla, igne arenae prius lento, dein aucto, donec fundus rubescat, paretur murias ferri ammoniacale, sed propter incertam vim in officinis haud

servandum. Materia autem in fundo phialae residua, fusca, austera, non abluta, aëri humido exposita, deliquescat in liquorem aurantii coloris, spissum, adstringentem, vase vitreo, probe clauso, servandum.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 419. Dicitur etiam solutio muriatis ferri composita *liquor stypticus Looffii*, qui itidem parari potest ex residuo muriatis ferro-ammoniacalis sublimati. Immittitur hoc residuum patinae vitreae, quae in cella reponatur, donec in liquorem diffluit flavum, post filtrationem in vitro bene clauso servandum. Liquor acerbus est et ratione saporis atramento accedit. *Vis:* adstringens praeter innatam ferri. *Usus* in haemorrhagia passiva uteri aliisque, in Belgia frequens. *Dosis* gutt. jjj-Vj cum larga potus mucilaginosa quantitate, omni hora, aut bihorio. — Pars j hujus liquoris cum alcoholis p. jV offert *tincturam martis Mynsichti* (Aroph Paracelsi).

† *MURIAS FERRO-AMMONIACALE.*

FERRUM AMMONIATUM. E. FERRUM AMMONIACALE. L.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

Rec. Muriatis ammoniae partes duodecim,
Muriatis ferri partem unam.

Probe mixta et siccata sublimentur. Sublimatum omne, in pulverem tenuissimum redactum, in lagena probe claudenda servetur.

Not. 420. *Germ.* Eisenhaltiges salzsaures Ammonium, *angl.* ammoniated iron, *gall.* Muriate d'ammoniaque, et de fer sublimé, fleurs de sel ammoniac martiales. Murias ferro-ammoniacale a priscis medicis diversa nomi-

na accepit, ut *flores auri*, *calendulae minerales*, *ens martis*. Commixtis convenienter muriate ferri non sublimati et ammoniae, dein solutis, atque evaporatis, non omnimode idem fit; conteri vero possunt pars una muriatis ferri sublimati et muriatis ammoniae partes sedecim, super fornace modico igne siccandae. Sit murias ferro-ammoniacale colore aurantiaco vivide tinctum, nec fuscum aut subflavum. Salsum est, unaque pungens et stypticum. Aëri expositum deliquescit. *Usus* in morbis, qui martialia exigunt, atque in ipsa eorum complicatione cum colluvie pituitosa primarum viarum. Commode electuarium ex eo componitur, aut paratur solutio. *Solutio muriatis ferro-ammoniacalis in aqua.* R. muriatis ferro-ammoniacalis dr. j solv. in aqu. menth. piperit. unc. jV. Dosis ter de die cochl. dimidium. *Tinctura ferri ammoniacalis Ph. Lond.* R. muriat. ferro-ammoniacal. unc. jV spirit. vin. rectificat. pint. j. D. gutt. 40. — Potassa muriati ferri admixta sal simile triplex ut murias ferro-ammoniacale exoritur, ex quo spiritus vini ope *tinctura martis kalina Stahlii* elicitur.

TINCTURA FERRI TARTARISATA.

TINCTURA MARTIS APERIENS.

Rec. Sulphatis ferri,

Tartritis potassae acidulae, utriusque uncias quatuor,

Aquae depuratae libras sex.

Coque in vase ferreo, continue agitans, ad siccitatem. Adde

Vini albi gallici libras quatuor,

et post digestionem aliquot dierum cola.

Not. 421. *Germ.* Weinsteinsaure Eisentinctur, *angl.* tincture of tartarised iron, *gall.* Tartrite de fer. Nominatur haec tinctura in scriptis a plurimis *tinctura tartarisata Ludowici sive Glauberi.* Loco vini autem

tartris ferri extrahebatur aquae cinnamomi sine vino unc. jV et spirit. vin. rectificat. unc. Vjjj. *Dosis* gutt. 40-80. *Tinctura martis helleborata* est similis tincturae ferri tartarisatae, in qua sal martiale solvitur decocto hellebori et pimpinellae, nec non spiritu cochleariae. Coctione ferri aut rectius oxyduli ferri cum tartrite potassae acidula fit *tartris ferri* (tartarus chalybeatus) ex qua *globuli martiales* pro balneis convolvuntur. Dosis tartritis ferri gr. V-X, et globulorum martialium unc. j-jj ad balnea. *Vinum ferri* (Stahlwein). R. ferri puri limat. unc. jj vin. Rhenan. libr. jj digere per aliquot dies, vas subinde movendo; tum filtra. Facile perspicitur, ferrum in hoc vino a tartrite potassae solvi, atque vinum Rhenanum melius menstruum esse, quam vinum dulce hispanum.

TINCTURA FERRI CYDONIATA.

loco TINCTURAE FERRI POMATI. B.

TINCTURA MARTIS CYDONIATA.

Rec. Ferri pulverati partem unam,
Succi Cydoniorum, recens expressi, partes tres.

Post aliquot dierum digestionem, subinde agitans, coque in vase ferreo, donec dimidia pars sit consumta; liquorique bene colato adde

Spiritus cinnamomi partem decimam sextam.

Not. 423. Haec est *tinctura cydoniata Wedelii. Dosis* gutt. 20-30. Spiritum cinnamomi ob principium scytodephicum, quod ei inest, menstruum non satis concinnum esse credo. Adsunt in officinis similes tincturae martiales, quarum praecipuae praeter hanc sunt: *tinctura ferri pomati* Ph. B. R. Extr. ferri (fit ex ferri limat. libr. j et succi pomor. libr. jV) unc. jj aqu. cin-

namom. vinos. libr. j. Dosis cochlearculum; *tinctura ferri aurantiaca* R. limat. ferri unc. jj pomor. aurant. nro. jj. Excorticatis pomis, cortices et succulenta caro fructuum cum limatura ferri in pastum redigantur. Dein adm. vin. malvatici unc. X spirit. cort. aurant. unc. jj. Digesta et expressa filtrentur. Dosis gutt. 40-60.

ALCOHOL SULPHURICO-AETHEREUS FERRI.

SPIRITUS SULPHURICO-AETHEREUS MARTIATUS. E.

LIQUOR ANODYNUS MARTIATUS.

TINCTURA NERVINA BESTUSCHEFFII.

Rec. Ferri pulverati, quantum vis.

Solve in

Acidi muriatici sufficiente quantitate, cum

Acidi nitrici quarta parte mixti, et evapora. Massam siccam in cellam repone, ut in liquorem coloris fusci saturati deliquescat. Liquorem acceptum misce cum

Aetheris sulphurici duplo conquassando. Aetherem, hoc modo ferro soluto impraegnatum, separa, et cum

Spiritus vini rectificatissimi duplo misce

Mixtum in vitris oblongis, bene obturatis, radiis solis tamdiu expone, donec color omnis evanuerit. Tum sollicite serva.

Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 423. *Germ.* Eisenhaltiger Schwefelaethergeist, Bestuscheffs Nerventinctur, Lamottsche Goldtropfen, *angl.* aethereal tincture of steel, *gall.* Alcohol éthereux de fer par l'acide sulfurique, teinture tonique nervine jaune, elixir d'or. Dicitur quoque hic alcohol sulphurico-aethereus ferri: *alcohol sulphurico-aethereus martiatus, tinctura aurea nervino-tonica Lamotte, liquor de Lamotte.* Haec tinctura per plura decennia inter arcana habita fuit, donec sub finem seculi praeteriti jussu *Catharinae secundae* humanissimae Rossiae imperatricis, publici juris facta est, 3000 thaleris Rossicis possessori arcani ex munificentia vere imperiali solutis. Methodus primitiva complicata murias ferri, quod ex vitriolo martis et mercurio sublimato corrosivo longo et operoso labore prodit, spiritu vini gallico acido sulphurico, quod ferri muriati admiscetur, aetheream indolem nacto, extrahendi, a Klaprothio, celeberrimo inter Germanos minerarum indagatore, ad simpliciorem, quae hic exponitur, est reducta, atque apparet, eam fere ex sola sublimatione muriatis ferri consistere. Qui parare vult spirit. sulphurico-aethereum martiatum, utatur aethere sincero spiritu vini non permixto atque ferro acido muriatico rite oxydato. *Usus* in atonia, sit illa sanguinis jactura, aut febri acuto-emaciante producta, cachexia, similibusque asthenicis morbis. *Dosis* aetheris sulphurici martiati gutt. Vj-X, alcohol. sulphurico-aether. ferri gutt. X-XX cum saccharo. — Fit simili solutione, atque in spirit. sulphurico aether. mart. *tinctura ferri acetico-aetherea* R. ferri limati q l. immitte in cucurbitam satis amplam, et caloris lenioris ope solve in acid. muriatici q. s. solutione peracta sensim instilla acidum nitricum, usque dum mediante calore non amplius effervescendo prodeat gas nitrosum, et ferrum solutum perfecte oxydatum sit. Solutum dein aqua dilue et liquor. kali caustici s. q. praecipita. Praecipitatum aëri expositum exsicca in tantum, ut massa remaneat paululum adhuc humida. Tunc sensim immitte in acetum concentratum, vitro cylindrico contentum et saepius agita bacillo vitreo. Soluta portione prima aliam ferri praecipitati immitte portionem, et continua, usque dum

aliquid persolvitur. Hujus soluti concentrati, coloris badii saturati unc. jX adm. aether. acetici unc. j spiritus vini rectificatiss. unc. jj et serva. Dosis gutt. 20-30. Pura sic prodit tinctura. Vix sequi potest pharmaceuta consilium *Flittneri*, hanc tincturam cum acetite ferri, quod ex decompositione acetis plumbi et muriate ferri progreditur, componendi, ob insidiosam, quae fieri potest, plumbi accessionem, nec ducitur similibus praeceptis, quibus anceps insertio portenditur. Hanc ob causam *tinctura antiphthisica Wedelii sive Gramanni*, quae fit unc. ß sacchar. saturn. in acet. crudi unc. jj soluta, atque vitrioli martis dr. jjj spiritus vin. rectificat. unc. jj aquae rosar. dr. Vj additis, oblivioni a medicis traditur, etsi tincturae martiales, in quibus ferrum aceto oxydatur, per se in praxi omni aestimatione digna sint. Inter has longo usu excellit *tinctura ferri Zwölferi Ph. Wirtemb.* 1771 R. vitriol. mart. terr. foliat. tartar. ana unc. j; vitriolum martis pulveratum immittatur patinae terreae. Calefiat lenissimo igne spatula agitando. Immisceatur terra foliata tartari et ab igne remota repone in loco temperato, usque dum florescere coeperint; dein dissolve in aquae cinnamom. sine vino unc. jjj spiritu vini rectificati unc. V. Serva ad usum in loco frigido. Dosis gutt. 10-50.

Stannum.

OXYDULUM STANNI.

STANNUM PULVERATUM. L.

PULVIS STANNI. STANNUM PHILOSOPHICE PRÆPARATUM.

Rec. Stanni Malaccensis purissimi, quantum velis.

Igne liquatum immitte in pyxidem ligneam, intus sulcis scabram, creta obductam; mox agita

fortiter et celerrime. Ita pars stanni in pulverem dilabetur, per cribrum separandum. Quod relinquitur metallum eidem labori repetito subjiciatur, donec omne in pulverem sit conversum. Creta a metallo facile separatur, aqua affusa, cujus fundum petit metallum, quum terrestres particulae leni agitatione eleventur. Potest pulvis hic in mortario calido triturando, ad majorem tenuitatem deduci. Servetur quoque in officinis STANNUM METALLICUM LIMATUM.

Not. 424. Vid. not. 29.

Plumbum.

OXYDULUM PLUMBI.

PLUMBUM USTUM.

Rec. Plumbi, quantum velis.

Igni sufficienti impone in patina terrea plana, ut fluat, et sub continua agitatione in calcem griseam redige, quam in tenuissimum pulverem redactam, dicto titulo serva.

Not. 425. *Germ.* Bleiasche, *belg.* Lootasche, *angl.* Leadashe, *gall.* Oxide gris de plomb, Plomb brulé. *Barbeyracus* dedit in opiato suo contra cancrum gr. jjß oxyduli plumbi pro dosi. Vid. not. 2. Hodie emplastris nonnullis tantum additur. Vid. not. 573.

† *ACETIS PLUMBI LIQUIDA.*

AQUA LITHARGYRII ACETATA. L.

ACETUM PLUMBI, SEU ACETUM LITHARGYRII.

Rec. Oxydi plumbi semi-vitrei partem unam.
Aceti vini partes quatuor.

In cucurbita vitrea angustioris colli, per viginti quatuor horas, subinde agitando digere: dein per tres quatuorve horas decoque leniter, aut donec chartam coeruleam non amplius tingat. Post refrigerationem liquor per chartam bibulam coletur et in vitro servetur.

Not. 426. *Germ.* Flüssiges essigsaures Blei, *gall.* acetite de plomb liquide, *ross.* УКСУСЪ СВИНЦОВЫЙ. Pharmacopoea Borussica sub nomine *acetum saturninum* loco extract. saturni acetitem plumbi liquidam similem coctione ex minii unc. jV et acet. dest. libr. jjj ita parari jubet, ut libra una supersit. Licet medici prisciores usum salutarem externum extracti saturni non plane ignorarent, *Goulardus* tamen, qui illud ex oxydo plumbi semivitreo aureo et aceto vini digestione componebat, primus quaquaversum acetitis plumbi utilitatem divulgavit, innumeris observationibus fultus, nimis quidem, quam par est, encomiis, nec sine opinione praejudicata. Consopit sine dubio hoc extractum externe applicatum partium dolorificam tensionem et inflammationis fervorem, atque coercet nimiam humorum excretionem in ulceribus. Solet aqua dilutum applicari aut emplastris et unguentis addi. *Tinctura Saturni Ph. Batean.* ex saturn. laminat. et spirit. saturn. destillatione parata a gutt. j-V data est. *Tinctura antiphthisica Gramanni* nihil ex acetite plumbi continet, ut propria exploratione compertum habeo. Vid. not. 423. 542. 547.

† *ACETIS PLUMBI LIQUIDA CONCENTRATA.*

ACETUM SATURNINUM. B.

ACETUM PLUMBI CONCENTRATUM, sive EXTRACTUM SATURNI.

Rec. Acetis plumbi, quantum velis.

In vase vitreo vel terreo, vitro obducto, evaporetur ad olei, vel syrupi tenuioris spissitudinem, quae quidem optima, ubi mensura unius unciae aquae duas hujus liquoris uncias cum duabus drachmis continere potest.

Not. 427. Non intelligo, quare autores pharmacopoeae Batavae alterutram acetitum hujus scilicet et antecedentis usui medico penitus satisfacere, dubitarunt. Si quid videò, utramque saccharum saturni supplere poterit. *Decomponitur* acetis plumbi, calce, aqua fontana communi ob calcem immixtam, magnesia, potassa, soda, sapone, alumine, acido sulphurico et muriatico, sulphate ferri, cupri et zinci.

Zincum.

OXYDUM ZINCI NATIVUM PULVERATUM.

LAPIS CALAMINARIS PRAEPARATUS.

Rec. Oxydi zinci nativi, quantum vis.

In crucibulo igni expqnatur, ac candens in aqua frigida exstinguatur, quod secunda, vel et tertia vice repetendum, donec debitam lapis acquisiverit fragilitatem. Mox exsiccatus tundatur in pulverem tenuem, qui porro in ampla pelvi cum aqua pura copiosa diffundatur, ita tamen, ut rudior in pelvi remanens materies post exsiccationem denuo contundatur ac diffundendo depuretur, ut ante, donec ferme tota in pollinem subtilissimum fuerit conversa.

Not. 428. Praecipue olim admiscebatur emplastris et unguentis. *Emplastrum de Calaminari lapide D. Brand.* (pamphilus chirurgorum) R. lapid. calamin., lithargyr. ana libr. j olei olivar. unc. Xjj coqu. l. a. Exsiccat et simplicius est griseo. Vid. not 373. *Unguent. ophthalm. Ettmülleri* R tut ppt. sacchar. saturn. lapid. calamin. ana scr. jj camphor. gr. jV unguent. rosat. q. s. In pruritu palpebrarum laudatur *(Purmann's Wundarznei).*

† *OXYDUM ZINCI.*

ZINCUM USTUM. E. ZINCUM CALCINATUM. L. ZINCUM OXYDATUM ALBUM. B.

FLORES ZINCI.

R E C. *Zinci Indici, quantum velis.*

Zincum in crucibulo alto capaci, primum tecto, dein aperto, et nonnihil in latus inclinato, fluat, donec flammam superficies concipiat. Imponatur inversum crucibulum aliud, ut tamen aër atmosphaericus possit accedere. Flamma extincta, superius crucibulum auferatur, ac separetur oxydum cum vasis adhaerens, tum metallo fuso innatans; quo facto, flamma denuo prorumpente, iterato oxydum formetur, ac separetur ut ante, donec omne metallum hanc formam induxerit. Oxydum super patitinam figulinam, vitro non obductam, refrigeratum, aquae misceatur, eaque copiosa diffundatur, ut pars levissima separetur omnis, quam ad colum collige, accurate sicca et vase clauso serva. Sit acido sulphurico plane solubile.

Oxydi sublimandi formatio juvatur, si zincum oxydandum, non simul et semel, sed per vices quantitate minore in crucibulum candens injiciatur.

Not. 429. *Germ.* Oxydirter weisser Zinck, Zinckblumen. *angl.* calcined Zinc, *gall.* oxide de zinc. Zincum ustione oxydatum majorem oxygenii quantitatem ex aëre arripit, quam illud, quod affinitate ex sulphate zinci carbonate sodae praecipitatum in crucibulo dein acido carbonico excandescentia orbatur. Aqua non solvitur. Fuit oxydum zinci quondam *arcanum Ludemanni*, in Belgia sub nomine *luna fixata* usitatum et a *Gaubio* in lucem prolatum. *Vis* antispastica, anthelmintica et dum oxydulatum zinci oxydo fuerit immixtum, aut cum acidis propinatum, emetica. *Usus:* in epilepsia, tussi ferina. *Dosis* gr. j et sensim augenda usque ad gr. Xjj. Externe, nervis denudatis solamen, ulcuscula siccat. Adhibetur ut pulvis ad inspergendum, aut cum materia sebacea mixtum. Vid. not. 565.

† *SULPHAS ZINCI.*

ZINCUM VITRIOLATUM. E. *et* L. *ZINCUM SULPHURICUM.* B.

VITRIOLUM ALBUM.

Rec. Acidi sulphurici depurati uncias quatuor,
Aquae depuratae uncias decem,
Zinci Indici, in frustula comminuti, vel granulati, quantum sufficit ad saturitatem.

Acido, antea aqua diluto, immitte per vices zincum granulatum, donec plane saturatum sit; solutionem calidam per chartam cola, ac per

evaporationem, ac subsequens refrigerium crystallos excute, in bibula siccandas, ac vase clauso servandas.

Not. 430. *Germ.* Schwefelsaurer Zink, Zinkvitriol, *angl.* sulphurated Zinc, *gall.* sulfate de Zinc. Constat sulphas zinci ex acid. sulphuric. p. 0,22, zinc. p. 0,20, et aqu. p. 0,58, coalescens crystallis prismaticis. Solvitur ad gr. 10 Th. R. in duabus aquae partibus. *Vis* styptica, antispastica; dosi aucta, emetica. *Usus* praecipuus in veneficio a narcoticis, variis morbis spasmodicis. *Dosis* zinci sulphatis ut antispasticum gr. $\frac{1}{4}$-$\frac{1}{2}$ et ultra, sensim augenda. Datur ut emeticum a scr. j - dr. j. Tardius alvum ciet, quam cetera emetica, a veteribus medicis gillis suis adnumeratum et ut lenius commendatum. Cita constrictione forsan emesin producit, si arte factum est, nec cupro inquinatum. (Vid. *Mangeti* Bibl. pharm. med. II. pag. 760 et not. 408 et 414). Pilulae ex sulphate zinci eodem modo, ut in not. 401 de muriate hydrargyri dictum est, formari possunt. *Solutio ex sulphate zinci pro usu interno* R. sulphat. zinci gr. jj solv. in aqu. flor. Chamom. unc. jjj. Dosis cochl. j bis vel ter de die. *Externe* sulphas zinci discutit inflammationes chronicas, et haemorrhagias sistit, variasque excretiones nimias moderatur. Ulcuscula oris aphthosa mundat et sanationem eorum promovet. *Aqua ophthalmica ex sulphate zinci* R. sulphat. zinci gr. j-jj solv. in aqu. rosat. unc. j. Addi possunt, prout morbi natura exposcit, mucilag. sem. cydonior. dr. jj. *Injectio sulphatis zinci in haematuria* R. sulphat. zinci gr. XXXV solv. in aqu. commun. dest. unc. jV (*Garnet*). In qualibet haematuriae specie non profuturam esse per se patet. *Injectio sulphat. zinci in vaginam uteri* R. sulphat. zinci scr. j - dr. β aqu. commun. dest. unc. j. In obstinato fluore albo, atque haemorrhagiis passivis efficacissima. *Fomentum ex sulphat. zinci* R. sulphat. zinc. dr. j aqu. commun. dest. unc. j. *Solutio sulphat. zinci in aphthis.* R. sulphat. zinci dr. j aqu. commun. dest. unc. Vj mell. crud. unc. j. Os ea colluitur, donec mucus, quo aphthae conteguntur, detergatur.

Antidotum: sapo, conchae praeparatae (Leipz. Samml. auserl. Abh. f. pr. A. VII. p. 138). *Decomponitur* calce et magnesia, potassa et soda, acetite plumbi et principio scytodephico.

Stibium.

† *OXYDULUM STIBII FUSCUM.*

STIBIUM OXYDULATUM FUSCUM. B.

CROCUS ANTIMONII ET METALLORUM.

Rec. Sulphureti stibii nativi,
Nitratis potassae, utriusque paria pondera.

Trita in pulverem et accurate mixta per vices immittantur in crucibulum candens. Cessante deflagratione materia metallica gravior in crucibuli fundo haerens, a scoriis albicantibus separetur, et in pulverem teratur, qui aquae fervidae repetita affusione probe abluatur et siccetur.

Si autem sulphureti stibii nativi partes duae cum nitratis potassae partibus tribus deflagrent, relinquitur CROCUS ANTIMONII SCHEELIANUS, *pro* OXYDULO GRISEO, *seu* PULVERE ALGAROTTI.

Not. 431. *Germ.* Braunrothes Spiefsglanzoxydulat, Metallsafran, *angl.* brown oxydulated antimony, saffron of antimony, *gall.* oxide d'antimoine hydrosulfure, safran des métaux. Duplicibus in genere oxydationis cancellis circumscribuntur varia stibii oxyda. Occurrunt enim vel subgrisea vel vitreata, et variant colore et du-

ritie. Ad vitreata referri debet oxydulum stibii fuscum. Mixtum est cum potassa, acido hydrothionico, et sulphure. Solvitur levi fere negotio potassa liquida, plurimisque acidis. Antequam aqua fervida edulcoratur, *hepar antimonii* (sulphuretum antimonii) dicitur. *Vis:* violenter emetica. *Usus internus* hodie respuitur, nec adhiberi amplius solet praeparatum, nisi in aliis ex antimonio construendis. *Medicina veterinaria.* Equis datur pro dosi unc. jß, et minoribus animalibus domesticis dr. j-jj. In morbo glandulose equorum pulverem (Kropfpulver) *Viborgus* commendat ex sulphuret. sodae et stibii, (Hepat. antimonii) cret. alb., rad. gentian., sulphuris, bacc. juniper. ana libr. j scoriar. ferr. libr. ß. Dosis unc. j cum sal. culinar. unc. ß et mell.

OXYDULUM STIBII GRISEUM.

PULVIS ALGAROTTI.

Rec. Oxyduli stibii fusci partem unam,
Acidi sulphurici partes duas,
Muriatis sodae sicci partes tres,
Aquae communis partes quatuor.

Haec mixta in balneo arenae in cucurbita sub perpetua agitatione per duodecim horas calide digerantur; dein refrigeratum liquorem cola, et in copiosam fervidam aquam immitte, ut ad partem unam liquoris fere sumantur

Aquae partes quadraginta.

Praecipitatum griseum, quum murias stibii oxydulatum contineat,

Aqua, quae alcalini salis pauxillum tenet, solutum, calide digeratur, dein probe ablutum, siccetur et vase vitreo servetur.

Not. 432. *Germ.* Graues Spiefsglanzoxydulat, *gall.* oxide blanc d'antimoine précipité de l'acide muriatique. Praecipitatur hoc oxydum ex muriate stibii. Incongruo nomine *Mercurius vitae* quondam insignitum est. Mitius evadit oxydum stibii praecipitatum, si fit aqua calida, et spiritu vini rectificatissimo digeritur. Cum potassa digestum decompositio muriatis metallici exactius peragitur. Decomponebant veteres simili modo murias stibii urina, qua praecipitatum paululum rubescit, atque parabant ex oxydulo inde orto cum tinctura santali rubri tincturam *rosa antimonii mineralis* dictam. *Vis* emetica. *Usus.* Adhibetur in paranda tartrite potassae stibiata. Vid. not. 442. Per se ob incertum effectum jure obsoletum. *Dosis* gr. jj-jV.

† *OXYDUM STIBII NON ABLUTUM.*

STIBIUM OXYDATUM ALBUM NON ABLUTUM. B.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM NON ABLUTUM.

Rec. Sulphureti stibii nativi partem unam,
Nitratis potassae partes duas cum dimidia.

In pulverem trita et accurate mixta per vices in crucibulum candens immittantur, spatulaque ferrea durante deflagratione agitentur, ut materies aequabiliter deflagret et calcinetur. Cessante deflagratione, detineatur massa in crucibulo candefacto per quadrantem horae, et refrigerata, in pulverem accurate trita, in vase bene obturato servetur.

Not. 433. *Germ.* Unausgewaschenes weisses Spiefsglanzoxyd, *angl.* calcined Antimony, *gall.* oxide blanc d'antimoine non lavé. Detonatione peracta superest mixtum ex oxydo stibii, nitrate potassae atque pauxillo

sulphatis potassae. *Vis:* dependet a salibus, quae oxydo adhaerent. Medici hoc oxydo stibii et sequenti facile supersedere possunt. Parum a priori differunt *bezoardicum antimoniale et minerale.*

† *OXYDUM STIBII.*

ANTIMONIUM USTUM CUM NITRO. E. ANTIMONIUM CALCINATUM. L. STIBIUM OXYDATUM ALBUM ABLUTUM. B.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM ABLUTUM.

Oxydo stibii non abluto, juxta praecedentem formulam parato,

Aquae purae fervidae decuplum affunde, et strenua agitatione salia illi adhaerentia solve, dein adde

Acidi sulphurici sufficientem quantitatem,

ut saturetur potassa, oxydi stibii partem solutam tenens.

Pulverem album repetita aquae fervidae affusione tamdiu ablue, donec aqua insipida inde redeat. Siccatum vase rite clauso serva.

Not. 434. *Germ.* Ausgewaschenes Spiefsglanzoxyd, *gall* oxide d'antimoine blanc lavé. Ablutione salia separantur scilicet potassa, quae acido sulphurico adstillato oxydo stibii, quod eam retinet, adimitur, porro sulphas et nitris potassae (*nitrum ammoniatum* falso dicta). *Vis* vix ulla.

OXYDULUM STIBII VITREUM.

ANTIMONIUM VITRIFICATUM. L.

VITRUM ANTIMONII, seu STIBII.

Rec. Sulphureti stibii nativi, quantum velis.

In pulverem contusum, in patina ferrea plana, vitro non obducta, calcina, leni igne sub camino, perpetuo virgula terrea, ne in grumos concrescat, agitans; quod si nihilominus contingat, ocyus patinam ab igne amove, et antimonium de novo in pulverem redige; vapores interea elevantur albi sulphurosi, qui cum hoc ignis gradu haud amplius observentur, ignem prudenter auge, ut iterum prodeant; et ita perge, igne sensim aucto, donec patinae fundus rubescat, nullique amplius vapores egrediantur. Calcem hanc griseam in crucibulo accurate tecto, ne carbones incidant, fluidam redde igni forti, et, virgula terrea immissa, examina, num in fila, vitri vulgaris instar, extendi se patiatur, et probe pelluceat: hoc observato, effunde in patinam aeneam calefactam. Vitrum sit pellucidum coloris rubri hyacinthini.

Not. 435. *Germ.* Verglaſstes Spieſsglanzoxydulat, Spieſsglanzglaſs, *angl.* Glaſs of antimony, *gall.* oxide d'antimoine vitré, verre d'antimoine. Carbonibus additis grumorum concrescentiae occurritur, atque perfectae oxydationi. Adhibetur oxydulum stibii vitreum ut oxydum stibii griseum, et fuscum ad praeparata ex stibio officinalia conficienda. Vid. not. sequentem. Pocula quondam ex ea formata sunt, quibus vinum infundebatur, ut attraheret vires emeticas. *Vitrum antimonii ceratum.* R. cerae flavae dr. jj, liquefiant. in vase ferreo et admisceatur sensim et sub continua agitatione vitri antimon. rite pulverat. unc. j. Detineatur mixtum horae dimidium super igne; quo facto in capsulam chartaceam effundatur et refrigerata in tenuissimum pulve-

rem redigatur, in vitro clauso servandum. *Dosis* gr. jj-Vj. Laudes in dysenteria huic praeparato adscriptae ab hodiernis medicis minime comprobantur.

† *VINUM STIBIATUM.*

VINUM ANTIMONII. L.

VINUM ANTIMONIALE HUXHAMI.

Rec. Oxyduli stibii vitrei, in pulverem subtilissimum triti, unciam unam,
Vini Hispani libras duas.

Digere dies duodecim, subinde agitans; dein sepone, ut subsidat, et vinum perfecte limpidum fiat, quod prudenter ab eo, quod subsidit, derivatum per chartam cola, et in vitro bene obturato serva.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 436. *Germ.* Brechwein, *belg.* Braakwyn, *angl.* Emetic wine, *gall.* Vin antimonié. Vinum pro diversa aciditate varium salem metallicum cum oxydulo stibii vitreato componit. Digestione 24 horarum intrant unciam unam vini Austriaci ex oxydulo stibii vitreo gr. jV, Campanacei gr. jjj$\frac{1}{4}$ Rhenani gr. jjjβ Mosellani gr. jjj, Burgundici et Hispanici gr. jβ, digestione octidua autem unc. j vini Austriaci ex eodem oxydulo gr. 21$\frac{1}{2}$ Campanacei gr. 21 Rhenani gr. 20 Mosellani gr. 19 Hispanici gr. jV. *Aqua benedicta Rulandi* R. oxydul. stibii fusci dr. Vj vin. alb. gallic. unc. 24 diger. per hor. 24. Primum inter vina emetica fuisse videtur. Illa, quae sequuntur, oxydulo stibii et vino differunt. *Vinum antimonii Ph Lond.* R. antimon. vitrificat. in pulverem triti unc. j vin. alb. hisp. libr. jβ diger. per dies 12 et per chartam cola. Cum autem vina emetica digestione parata nunquam ita se habeant, ut de efficacia certi esse possimus, solutio tartritis potassae stibiatae in vino prae-

ferri meretur. *Vinum stibiatum Ph. Boruss.* R. tartrit. potass stibiat. gr. XXjV vin. malacens. unc. Xjj. Solv. leni digestione. Tenendum autem, hanc solutionem, sicuti vina stibiata ex oxydulis metalli facta, praecipitatum post aliquod tempus dimittere, atque consultius esse, si modica solummodo ejus quantitas in officinis a pharmacopolis in promtu habeatur. *Vis:* emetica. *Usus.* Vina stibiata virtute parum differunt a solutione aquosa tartritis potassae stibiatae. *Dosis* cochl. j, donec bilis ejecta sit. — Mixtura ex vin. stibiat. dr. jjj et vin. opii aromatic. dr. j loco pulveris Doweri aegris dari potest. Dosis gr. X-XX. — Natura parum discrepat ab his vinis *sapa vomitoria Sylvii*, quae vitri antimonii unc. jj cum musti recent. aut succ. cydonior. libr. Vj digestis in balneo maris leni calore in extracti formam transit. Dosis gutt. jjj-jV.

† *SULPHURETUM OXYDULI STIBII HYDROGENATUM.*

SULPHUR ANTIMONII PRAECIPITATUM. E. et L.

SULPHUR STIBIATUM AURANTIACUM.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Rec. Sulphureti stibii nativi partes duas,
Sulphuris depurati partes tres,
Potassae liquidae,
Aquae pluviae, utriusque partes triginta duas.

Lixivio aqua diluto, in vase ferreo ebullienti, adde sulphur, et sulphuretum stibii, probe pulverata ac commixta, coque saepe agitando ad plenam horum solutionem, aquam evaporatione evanescentem continue restituens.

Liquorem refrigeratum per chartam cola, et instilla gradatim

Acidi sulphurici diluti sufficientem quantitatem,

ad sulphuretum omne dejiciendum, quod per chartam separatum, aqua saepius affusa, ablue et leni calore sicca.

Not. 437. *Germ.* Hydrothionsaures schwefelhaltiges Spiefsglanzoxydulat, Goldschwefel, *angl.* praecipitated sulphur of antimony, golden sulphur of antimony, *gall.* Hydro-sulfure d'antimoine oxidé orangé, soufre doré d'antimoine. Variae methodi hoc sulphuretum praeparandi praeter hanc usitatae reddunt eum inconstans, et insecurum. Quilibet pharmaceuta compositionis modum in sulphureto oxyduli stibii hydrogenato bene intelligens, *methodum Göttlingianum*, quam autores pharmacopoeae Batavae adoptant, optimam declarabit. Sulphuretum potassae, quod primum fit, stibium solvit, atque praecipitatur ex hac solutione acido sulphurico sulphuretum oxyduli stibii hydrogenatum, quod sequenti praeparato, ratione majoris sulphuris quantitatis, variat. Continet stibii p. 53 et sulphuris p. 33, aut, si cum *Thenardo* computemus, oxydul. stibii aurantiac. 63,3 hydrogenii sulphurati 17,877, sulphur. 12 et aqua. *Vis* solvens, diaphoretica, majori dosi emetica. *Usus* in scrophulis, rheumatismo et tussi catarrhali. *Dosis* infant. gr. ½-j adultis gr ij-Vjjj. Cum aqua mucilagine gummi tragacanthae mixtum non diu asservetur, cum decomponatur sub exhalationibus nidorosis, nec ei addantur acida, ferrum, magnesia usta et tartris potassae acidula.

† *HYDROSULPHURETUM OXYDULI STIBII.*

SULPHUR STIBIATUM RUBEUM. B.

KERMES MINERALE.

Rec. Sulphureti stibii nativi,
Carbonatis potassae alcalini, utriusque partes quatuor,
Sulphuris depurati partem unam.

In pulverem tenuem redacta et probe commixta funde in crucibulo igne moderato, et materiem liquefactam, in catinum ferreum effusam, protinus in pulverem tere, et in

Aquae ebullientis partes quinquaginta, immitte; coque per quadrantem horae, continue spatula agitans; parum jam quiescat liquor et fervidissimus per linteum, charta tenui bibula obtectum, coletur. Refrigerato liquore, qui ad fundum subsidit, pulverem rubicundum ope filtri chartacei separa. Materiem a prima operatione residuum cum liquido filtrato, restituta, quae sub coctione exhalavit, aqua, denuo eadem ratione coque, et operationem hanc tamdiu repete, quamdiu pulverem talem rubicundum insigni copia refrigeratus liquor demittat. Praecipitata jam omnia probe mixta, aquae purae frigidae repetita affusione edulcora, et lenissimo calore exsicca.

Not. 438. *Germ.* Hydrothionsaures Spiefsglanzoxydulat, mineralischer Kermes, *gall.* Hydro-sulfure d'antimoine oxidé rouge, Kermes mineral. Constat hoc praeparatum ex oxyduli stibii p. 0,67, sulphuris p. 0,03, et hydrogenii sulphurati p. 0,30, aut ad Thenardi computationem ex oxyduli stibii rubr. 72,760, hydrogenii sulphurati 20,298 sulphur. 4,156 et aquae cum jactura 2. nomen *kermes* a colore granis kermes non absimili ac-

cepit. Dicitur subinde *pulvis carthusianorum*. Plures, natura remedii nondum rite investigata, parabant hoc hydrosulphuretum ex nitrate potassae fixo, et sulphureto stibii nativi. Ex post variant quam maxime praeparationis methodi. Pharmacopoea borussica liquescere jubet stibii sulphurati nigri libr. jj natr. carbonici sicci libr. j, quae dein sueto more tractantur. *Bucholzius* fundit sulphureti stibii nativi unc. 16 cum sulphuris unc. $3\frac{1}{2}$ carbonat. potass. unc. 24 et aqu. commun unc. 32. Massa cum aquae unc. 128 cocta, donec unc. 64-70 supersint, solutio filtrata immittitur vasi, quod continet aquae libr. civil. 16, per hor. 48-72. Eruuntur hoc modo hydrosulphureti oxydati stibii unc. 12-14. Color profundior in hoc praeparato quam in antecedenti proficiscitur ab acido hydrothionico. *Vis* acrior, quam in sulphureto oxyduli stibii hydrogenato. *Usus* fere idem. *Dosis* infant. gr. $\frac{1}{8}$-$\frac{1}{2}$ adultis gr. j-jjj.

SULPHURETUM CALCIS STIBIATUM.

CALCARIA SULPHURATO-STIBIATA. B.

CALX ANTIMONII CUM SULPHURE.

Rec. Sulphureti oxyduli stibii hydrogenati partem unam,

Calcis recens ustae partes tres.

Invicem tritis affunde

Aquae fervidae partes viginti quatuor, et leni calore in vase porcellaneo sub continua agitatione exsicca, ac pulverem flavescentem vase rite clauso serva.

Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 439. *Germ.* Hydrothionspiefsglanzschwefelkalk, Spiefsglanzschwefelkalk, *gall.* Hydro-sulfure de chaux antimonié. Hoffmannus Moguntinus, qui primus huic sulphureto aliquam famam conciliavit, illud composuit

ex testar. ostrearum ustarum p. 10 sulphureti stibii nativi p. 4 et sulphuris p. 3., in crucibulo, tegmine exbolo et arena clauso, per horam candefaciendis. Cum autem praeparatum acido hydrothionico, oxydi stibii menstruo nimio ignis gradu expulso, plane destruatur, modus id componendi, qui hic docetur, melior est putandus. Non opus est, ut pharmacopola hoc sulphuretum semper habeat in promtu, quoniam brevi tempore praeparatio fit, atque praeparatum ipsum incaute asservatum cito inefficax redditur. *Vis* resolvens, emetica. *Usus* in rheumatismo, arthritide, scrophulis et obstructione viscerum abdominalium. Diminuitur usu nimis longo ventriculi vigor, atque sanguis rarescit, hinc in haemoptysi et diathesi scorbutica circumspecte propinetur. *Dosis* gr. jj - Vj. *Solutio sulphureti calcis stibiati* R. sulphureti calcis stibiati dr. j coqu. c. aqu. font. dest. libr. V, donec supersint libr. jV. Dosis quotidiana libr. β-jV partitis dosibus cum lacte aut jusculo carnis. Continet haec solutio gr. XjV sulphureti oxyduli stibii hydrogenati. Eadem quantitas sulphureti oxyduli stibii hydrogenati solvitur, dr. j testar. ostrear. ustar. et gr. XVjjj sulphureti oxyduli stibii hydrogenati cum aquae commun. dest. libr. V coctis, ita ut libra una remaneat *(Göttling)*. *Pilulae ex sulphureto calcis stibiato* R. sulphureti calcis stibiat. dr. β mucilag gummi tragacanth. dr. j, f. pilul. 60. Dosis: ter de die nrò. V. *Decomponitur* sulphuretum calcis stibiatum acidis et salibus metallicis.

SULPHURETUM HYDRARGYRI ET STIBII.

AETHIOPS ANTIMONIALIS.

Rec. Sulphureti stibii nativi praeparati partes tres,

Hydrargyri partes quatuor,

Sulphuris depurati partes duas.

Tere in mortario, donec globuli Hydrargyri plane disparuerint.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 440. *Germ.* Spiefsglanz und Quecksilber Hydrothionoxyde, Spiefsglanzmohr, *gall.* Hydrosulfure d'antimoine et de mercure oxidés, Ethiops antimonial. Partes, quae hoc oxydum hydrargyri componunt, ex nomine patent. Sulphureto hydrargyri nigri supra memorato praeire, vix credo. *Dosis* pro infantibus gr. V-X, adult. gr. X-dr. β.

† *MURIAS STIBII.*

ANTIMONIUM MURIATUM. E. et L.

LIQUOR STIBII MURIATICI. E.

BUTYRUM ANTIMONII, seu CAUSTICUM ANTIMONIALE.

Rec. Oxyduli stibii fusci partes duas,
Muriatis sodae sicci partes octo,
Acidi sulphurici partes sex,
Aquae communis partes quatuor.

Oxydulum stibii et murias sodae, in pulverem trita, immitte in retortam, et adde sensim acidum sulphuricum, aqua dilutum. Retortae in balneo arenae locatae applica tubum intermedium et excipulum amplum, aqua frigida immersum. Juncturae firmentur. Ignis applicetur primo lenis, sensim augendus et perpetuandus, donec nihil amplius fluidi prodeat. Liquorem acquisitum protinus effunde in lagenam probe claudendam,

Not. 441. *Germ.* Salzigsaures Spiefsglanzoxydulat, Spiefsglanzbutter, *angl.* muriated Antimony, *gall.* muriate d'antimoine, beuvre d'antimoine. Hoc praeparatum est solutio concentrata oxyduli stibii in acido mu-

riatico. Purissimum atque nullo acido sulphuroso inquinatum prodit, cum solutio stibii puri in acido sulphurico ope caloris peracta et evaporata cum duplo muriatis sodae destillationi submittitur *(Günther)*. Variat ratio stibii et acid. muriatici modo praeparationis. *Wenzelius* consignat, periculis ductus, in uncia dimidia muriatis stibii: acidi muriatici gr. 55. stibii gr. 54 et aquae gr. 131. *Vis* caustica, exedens. *Usus:* externe in exstirpandis excrescentiis, in staphylomate, cui caute penicillo inducitur. Lavatis manibus solutione muriatis stibii dr. jj in aqua fontan. unc. jβ nausea et alvi purgatio oriri dicitur.

† *TARTRIS POTASSAE STIBIATA.*

ANTIMONIUM TARTARISATUM. E. et L.

TARTARUS STIBIATUS. B.

TARTARUS EMETICUS.

℞ *Oxyduli stibii grisei drachmas novem,*
Tartritis acidulae potassae uncias duas cum dimidia,
Aquae depuratae libras quinque.

Coque in vase vitreo per dimidium horae, aut donec pulvis plane solvatur. Liquor colatus lente evaporetur ad pelliculam, et dein igne minuto in calore digestionis teneatur, ut sensim formentur crystalli, exsiccandae, permiscendae omnes et terendae in pulverem subtilem, vase clauso servandum. Ita parata Tartris potassae stibiata sit plane aqua depurata solubilis.

Not. 442. *Germ.* Spiefsglasweinstein, Brechweinstein, *angl.* tartarised Antimony, emetic tartar, *gall.*

Tartrate de Potasse d'antimoine, tartre émetique. Inventor hujus praeparati perutilis esse videtur Hadrianus Mynsichtus (1631). Plura oxydula stibii officinalia tartriti potassae stibiatae parandae possunt inservire. Oxydulum stibii griseum ex omnibus minime eligi poterit, quia acidum muriaticum illi adhaeret, quod ob majorem affinitatem cum oxydulo stibii, quam acidum tartaricum exercet, praeparato acrimoniam immiscet nullo modo innocuam, etsi *Scottus* sibi persuadere velit, acidum muriaticum ad crystallos pellucidas ex tartrite potassae stibiata formandas pernecessarium esse. Omni imitatione digna est methodus, tartarum emeticum conserendi, quae in pharmacopoea Borussica praescripta legitur. Coquuntur tartari depurati triti et stibii oxydulati fusci aequales partes, nempe unciae octo cujuslibet cum aqu. commun. libr. Xjj per horam et amplius. Calida adhuc filtrentur et ad crystallisationis momentum per noctem seponantur. Liquor a crystallisatione residuus evaporet, ut denuo crystallos demittat. Crystalli permiscentur et pulverantur. Coit tartarus emeticus ex tartrite potassae et stibii, quod acido in tartrite potassae exuberante arroditur. Constat ex acidi tartari p. 34, potass. p. 16 et aquae p. 8 aut ex tartrit. potassae p. 34 tartrit. stibii p. 54 et aquae p. 8. Ut 38,0 p. oxyduli stibii saturentur requiruntur tartritis potass. acidul. 70,4. Acidum, aequale scilicet 16,0 in hac tartrite eminens cum oxydulo unitur, atque part. 34 tartrit. potass. acidulae cum stibiata taliter connata, connectuntur; 20,4 in fundo retortae residuis. Tartarus emeticus format crystallos tetraëdra referentes, styptico et metallico sapore. Ad gr. 212 Th. F. solvitur pars eorum una aquae dest. p. tribus; ad gr. 60 ej. Th. part. quindecim *(Duncan)*. Albescunt aëri expositi, et opaci fiunt. *Vis.* Cuti infricatus irritat, atque pustulas elevat, quae, frictione repetita, exaggerantur, et sanguine saepius turgent. Vaccinis non plane absimiles sunt, quoniam margines protuberant, centrumque depressum apparet. Eschara, quae oritur, delapsa, cicatrices sat diu superstites manifesto produnt suppurationem altius proreptam. Interne sumta vomitum progignit tartris potassae stibiata, alvique

excretionem, parva dosi spasmos lenit et diaphoresin auget, quae autem rarius sine angore quodam progresso ea promovetur. *Usus:* in colluvie primarum viarum, variisque morbis, quorum natura evacuationem alvinam inversam exposcit. Perpensâ peculiari vi irritante, quae in cute observatur, periculisque medicorum parisiensium omni fide dignorum consideratis, epicraticus tartari emetici usus in suspicionem quandam cadit damnosi effectus, nec tanti esse videtur, ut in arcanis habendus sit (Schreger krit. Dispensat. der geheim. Heilm. pag. 305). Edocti sunt medici gallici longa experientia, secretionem humorum perversam in canali intestinali continuato usu tartrit. potass. stibiat. non solum oriri, ut patuit ex foetidissimo odore excrementorum iis diebus manifestato, quibus eam adhibuerunt, sed coctionem quoque et crisin in morbis retineri. (Journ. de medec. LVII. p. 274). Methodus tartarum emeticum porrigendi, quam en lavage dicunt, hodie ideo merito negligitur, nam ut taceam, aegros longo cruciatu affici illa non plane innocua putari potest. *Dosis* gr. jj-jV. Maniaci perferunt grana decem et plura, uti ex aliis evacuantibus pariter majorem dosin sine noxa assumunt. *Solutio tartari emetici* R. tartrit. potass. stibiat. gr. jV solv. in aqu. commun. dest. unc. jjj. Dentur omni quadrihorio cochl. jj donec vomitus prorumpit biliosus, potu infusi flor. chamomill. tepidi promovendus. *Solutio tartari emetici pro usu externo.* R. tartrit. potassae stibiatae dr. j spirit. vin. camphorat. unc. β aqu. fervid. libr. j *(Goodwyn)*. *Emplastrum tartritis potass. stibiatae* R. cerat. resin. pini, tartrit. potass. stibiat ana q. s. Cerato liquato et semirefrigerato agitando immisceatur tartris dicta. Hoc emplastrum et peculiare cutis irritamentum et proficuum multifaria experientia comprobatum habeo. Infantibus scarlatina affectis nuchae imponere raro intermitto. Cum opio mixtum et articulis dolentibus circumvolutum aliquoties rheumaticos dolores citissime diminuit. *Unguentum tartritis potassae stibiatae* R. unguent. cerei s. simpl. unc. j tartrit. potass. stibiat. dr. jjβ. *Autenrietlus* optimo jure hoc unguentum loco solutionis tartari emetici infricandum curat.

Ejus assertum, quod eximie in sananda tussi convulsiva infantum prosit, verissimum esse, propria experientia confirmor. Ter de die illineatur unguenti portio magnitudine nucis avellanae scrobiculo cordis, aut potius, ut mihi videtur regioni, qua ultimae costae decurrunt, usque ad progeniem pustularum dolorificam. Oriri solent pustulae non solum in loco fricato, sed etiam ad pudenda; hae autem non peculiari consensu, ut visum est, prosiliunt, sed partibus salis metallici ex unguento inter frictionem separatis et delapsis producuntur. Evitantur igitur in his locis linteamine abdomini tempore inunctionis circumducto, ut ejus ope particulae metallicae segregatae retineantur. *Decomponitur* tartris potassae stibiata acidis, potassa, soda, ammonia, calce, magnesia, aqua calcis et communi, hydrogenio sulphurato, principio scytodephico, variisque metallis.

Bismuthum.

NITRAS BISMUTHI.

BISMUTHUM OXYDATUM ALBUM. B.

NITRAS BISMUTHI BASI OXYDI INCOMPLETI. NITRAS BISMUTHI NEUTER.

MAGISTERIUM BISMUTHI.

Rec. Acidi nitrici puri, pari aquae depuratae quantitate diluti, quantum vis,
Bismuthi, quantum sufficit.

Bismuthum in pulverem crassum contunde, et partitis vicibus in liquorem acidum immitte, donec nihil amplius solvatur. Solutionem colatam sensim immitte in

Aquae depuratae partes triginta duas,

ratione Bismuthi, quod hic solutum est. Praecipitatum album, decantato liquore supernatante in filtrum chartaceum immitte, ut nitras acidulum, quantum fieri possit, separetur: e filtro exemtum, bis aut ter aqua depurata ablutum, exsicca in loco calido umbroso, et vase, charta nigra obtecto, serva.

Not. 443. *Germ.* Salpetersaurer Wismuth, spanisches Weifs, *gall.* Nitrate de bismuth, Blanc d'Espagne, Nitras Bismuthi aqua non solvitur, nisi exuberat acidum nitricum, atque fundum petit, aqua ei adhuc liquido adstillata, nec in verum oxydum hac affusione mutatur, ut plures olim putabant. Nam acido sulphurico praecipitato admixto acidum nitricum separatur. *Vis:* antispastica. *Usus* in cardialgia nervosa. *Dosis* gr. j-Xjj. *Odier* illud dedit brevi ante prandium.

VEGETABILIA INTEGRA.

Vegetabilia integra et Saccharum.

Conservae.

REGULAE PRO PARANDIS CONSERVIS.

1. Pro conservis seligenda Corpora Vegetabilia succosa, et principio volatili gravida; sint recentia, marcidis, corruptis, vel alienis adhaerentibus purgata. Folia quam primum leviter aqua frigida laventur.

2. Concisa in mortario lapideo ope pistilli lignei in pultem tenuem contundantur.

3. Pulti saccharum album, purum, in pulverem tenuissimum redactum, per vices admisceatur, ut massa homogenea appareat, quae vasis clausis in loco frigido servetur. Pro succulentis subtriplum sacchari, ac pro siccioribus sacchari duplum requiritur.

CONSERVA ABSINTHII.

Rec. Summitatum Absinthii recentium, quantum vis, Sacchari duplum pondus.

Summitates depuratae, concisae et contusae, cum saccharo redigantur in conservam juxta regulas, pro parandis conservis datas.

Eodem modo parentur

CONSERVA MENTHAE PIPERITIDIS, E FOLIIS.
CONSERVA RORISMARINI, E FLORIBUS ET CALYCIBUS.
† *CONSERVA ROSARUM RUBRARUM, E PETALIS, REJECTIS UNGUIBUS.*

CONSERVA COCHLEARIAE.

Rec. Foliorum Cochleariae recentium, quantum vis, Sacchari triplum pondus.

Fiat conserva, ut ante dictum.

Not. 444. Omnibus notum est, conservas cita fermentatione corrumpi, atque hanc ob causam earum numerum in officinis potius restringendam quam augendam esse. Conserva rosarum et cochleariae jam sufficiunt. Ut saccharum penitius cum particulis succulentis plantarum commisceatur, suadente Hahnemanno,

pulmentum plantae contusae in mortario lapideo, fervore aquae in lebete calefacto cum duabus partibus sacchari rite inspissati, atque saccharo pulverato ad calorem gr 210 Th. F conteratur. *Conserva cochleariae* in scorbuto laudatur, *conserva rosarum rubrarum* in phthisi. Utriusque exiguae doses parum prodesse possunt, sed unc. jjj-jV ad minimum quotidie propinentur. Aeger tussi cum sputo sanguinolento vexatus usu lactis vaccini cum conserva rosarum mixti, et panis triticei ei injecti valetudinem recuperavit. Consumserat, sanitate restituta, libras viginti conservae rosaceae. Praeparata conservis persimilia, uti *saccharum rosatum tabulatum Ph. Wirtemb.* — *saccharum rosaceum Ph. L.* — *et tabellae rosaceae Ph. Ed* hodie negliguntur, nec injuste, quoniam nimia sacchari quantitate vires plantarum in iis supprimuntur.

SOLUTIONES PLURIUM PRINCIPIORUM ORGANICAE ORIGINIS.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosae Liquidae.

Infusa et Decocta.

REGULAE PRO PARANDIS INFUSIS ET DECOCTIS.

1. Vegetabilia illorumque partes, separatis corruptis, vel alienis adhaerentibus, pro varia indole antea dividantur, conscindantur, contundantur, vel terantur.

2. Duriora, antequam decoquuntur, prius macerationem sive frigidam, sive calidam experian-

tur, quae tamen nimis non est protrahenda, ne fermentatio oriatur.

3. Copia aquae diversa sit pro corporum infundendorum vel decoquendorum indole diversa.

4. Adhibeantur pro infusione seu coctione, vel vasa figulina, vitrea crusta obducta, vel stannea ex stanno puro.

5. Liquoris decoquendi volumini respondeat vasorum magnitudo, sed contractum semper sit eorum orificium, ne nimia superficie liquor sub decoctione vel refrigerio aërem atmosphaericum tangat. Aër enim indolem principiorum aqua solubilium mutat.

6. Fiat decoctio ignis gradu non nimis intenso, caeterum aequabili et non interrupto. Nimius calor plurima solvenda difficilioris solutionis reddit, ac intumescentiae et ambustionis caussa est.

7. Terminus decoctionis, pro varia decoquendorum indole varius, adesse censetur, cum corpora emollita partes suas solubiles aquae tradiderint.

8. Finita coctione, liquor fervidus per colum setosum aut linteum trajiciatur; dein concessa quiete a faecibus sponte demissis effundatur, aut ope panni vel lintei ab illis liberetur, vasisque clausis servetur. Decocta autem medicamentorum resinosorum non diu quiescant, sed calida colentur, ne simul cum faecibus partes resinosae efficaces separentur.

† *DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.*

Rec. Corticis Peruviani fusci pulverati uncias duas,

Aquae ferventis uncias viginti octo.

Decoque in vase tecto, moderato igne, horae quadrantem; liquorem statim per pannum cola, et simul ac paulisper refrigescat, lagenae probe claudendae immitte. Sit colatura unciarum sexdecim.

Eodem modo paratur

† *DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI RUBRI.*

Verum hîc ad corticis uncias duas sumantur aquae unciae triginta duae et colatura sit unciarum viginti.

Not. 445 Decoctum corticis Peruviani fusci post aliquam moram turbidum fit, ex quo patet, gummosas et resinosas partes corticis coctione decompositionem pati, atque praeferendum esse hanc ob causam quibusdam in aegritudinibus infusum aqua frigida factum. Aqua, dum solvit partes gummosas, resinosas ob arctam earum unionem simul subigit. Infundantur corticis Peruvian. unc. j-jj aquae unc. Vjjj per horas Xjj. Vid. pag. 91. *Dosis* infusi et decocti chinati vascul. dimidium vel unum. *Decomponuntur* infusa et decocta cort. Peruviani salibus metallicis, ut: muriate hydrargyri, ferri aliisque, sicuti haec, acido galico eorum praecipitata, in oxyda transformantur vix solubilia. Turbantur porro aqua calcis, potassa, soda et magnesia; hinc fuere, qui addita sub decoctione magnesia usta, decoctum Chinae, si necessarium illis videbatur, principio adstringente privarent.

DECOCTUM HORDEI DECORTICATI.

Rec. Hordei decorticati uncias duas.

Affunde

Aquae circiter libram

et cum ea paulisper coque. Hac aqua abjecta, iterum ferventem adde aquam ea quantitate, ut postquam placida coctione hordeum mollitum sit, remaneat decoctum fere librarum duarum cum semisse, quod absque expressione percolandum.

Not. 446. *Germ.* Gerstengraupendecoct, *gall.* decoction de l'orge mondé. *Vis* nutriens, demulcens, et humectans. *Usus* in qualibet fere febri, in diarrhoea potissimum et dysenteria.

† *DECOCTUM HORDEI INTEGRI.*

AQUA HORDEI.

Rec. Hordei integri, bene maturi, uncias duas.

Cum

Aquae fere sextuplo

paulisper ebulliat, qua rejecta, iterum ferventem, sed majori quantitate, adde, ita ut, leni coctione instituta, post hordei crepitum supersit colatura circiter librarum duarum.

Not. 447. *Germ.* Gerstenwasser, *gall.* Decoction d'orge. Decoctum hordei integri est antiquissimus potus in febribus, sicut antecedens, unde omnes fere potus aegrorum coctione parati nomen *ptisanae* (πτισάνη quod hordeum decorticatum significat) nacti sunt. Antequam hordeum decoquitur, mundetur aqua fervida ali-

quoties affusa. Ut gratior sit aegris ptisana hippocratica, cuilibet librae oxymell. simpl. unc. ß-j addi solent. (*Decoctum hordei acidulatum*). Utiliter quoque rad. graminis simul cum hordeo coqui, nec simplicitatem potus ea diminui apparet. *Ptisana communis* R. Hordei libr. jV coqu. c. aqu. font. mens. 32; hordeo crepito adm. rad. liquirit. conc. unc. jV (Formulaire pharmaceut. à l'usage des hôpitaux Milit. 1804).

Solutiones de Vegetabilibus Aquosae Inspissatae.

Extracta.

REGULAE PRO PARANDIS EXTRACTIS.

1. Solutiones hae inspissatae, seu Extracta, vel fiunt de substantiis siccioribus, vel magis succulentis. De prioribus principia colligenda, aqua addita, adhibita maceratione aut decoctione prius solvantur, et dein separentur; de posterioribus principia haec utpote in aqua, vegetabilibus nativa, probe soluta, exprimantur. Hinc

1. *Extracta per infusionem vel decoctionem.*
2. *Extracta per expressionem,*

habentur.

2. Ut Extracta per infusionem aut decoctionem fiant, paretur de extrahendis solutio aquosa (*a*) juxta regulas, pro parandis Infusis et De-

(*a*) *Rarius antea requiritur praeparatio, qualem opium postulat, de quo prius partes resinosae sunt separandae.*

coctis antea datas, hac tamen lege, ut post coctionem preli ope liquor omnis, residuis partibus non solubilibus adhaerens, premendo eliciatur.

3. Ut Extracta per pressionem fiant, Vegetabilia succulenta, apto tempore collecta, separatis marcidis, corruptis et alienis, adhaerentibus, in mortario lapideo vel ligneo, pistillo ligneo in pultem contundantur. Sub contusione tantum aquae frigidae adjiciatur, quantum requiritur, ut massa mollis et subfluida sit. Hac sacculis, ex linteo forti confectis, immissa, prelo exprimatur omne ejus fluidum, vase figulino vel vitreo excipiendum.

4. Liquor, sive per decoctionem, sive per expressionem solam collectus sit, quieti detur, ut sedimentum ponatur, dein effundatur aut, si opus sit, per pannum coletur; idem vero hic observandum, quod Art. 4. de Decoctis notavimus.

5. Liquor sic faece liber in pelvi stannea leni igne sub crebra agitatione in aëre libero ad syrupi tenuioris spissitudinem redigatur. Qui decoctione antea paratus fuerit, leviter bulliat; qui vero per expressionem collectus, placide tantum evaporetur.

6. Liquor, qualis est syrupus tenuior, decoctione ante paratus, in vas figulinum, vitreum vel porcellaneum effundatur, ac leni igne sub continua agitatione spatula lignea, ne grumi formentur, inspissetur ad Extracti formam. Qui

autem per expressionem separatus est, in massam pilulis formandis idoneam redigatur, addito pulvere plantae siccatae illius, cujus extractum paratur. Uniuscujusque succi expressi evaporatio eo usque protrahatur, donec pulveris massa, quartae parti succi adhibiti respondens, sufficiat, ut huic debita sit Extracti spissitudo.

7. Evaporatio in vasis cupreis prorsus sit interdicta.

8. Extracta vasis clausis serventur.

I. EXTRACTA PER INFUSIONEM VEL DECOCTIONEM.

† *EXTRACTUM ABSINTHII.*

Rec. Herbae seu summitatum Absinthii, recens siccatarum et minutim concisarum, libras duas,
Aquae bullientis libras decem.

In vase tecto calide digerantur per viginti quatuor horas, dein per horam ebulliant. Post refrigerium liquor derivetur, et ex residuo succus exprimatur, priori admiscendus. Liquores hi secundum regulas datas faece liberentur, et evaporentur tandem ad Extracti debitam spissitudinem.

Eodem modo parentur.

† *EXTRACTUM CENTAUREI MINORIS,* EX HERBA ET FLORIBUS RECENTIBUS,

† *EXTRACTUM CHAMAEMELI,* E FLORIBUS.

EXTRACTUM COCHLEARIAE, EX HERBA RECENTE.

† *EXTRACTUM TARAXACI, EX HERBA ET RADICIBUS RECENTIBUS.*

Not. 448. Maceratio vegetabilium ante inspissationem per plures dies continuata jam dudum reprobatur, ob incipientem in infusis fermentationem, nec non clarificatio infusi vel decocti cum albumine ovi, quia hoc partes efficaces secum abripit. Optime extracta in balneo mariae evaporantur. Vasa ferrea saepissime non possunt admitti, cum atramentum in illis formatur cum particulis plantarum, quae principio adstringente, quod non raro accidit, praeditae sunt. Mirum sane, nulla extracta gummi-resinosa spiritu vini et aqua facta, et in praxi comprobata in pharmacopoeam Batavam recepta esse. Videantur extracta angelicae, arnicae, calami aromat. colocynth. columbo, cort. aurant, enulae, hellebori nigri, levistici, pimpinellae, senegae et valerianae Ph. Bor. Concidantur libr. jj, radicum atque affund. spirit. vini rectificati libr. jjj aquae commun. libr. jX. Digerantur in balneo aquae et exprimantur. Eliciatur dein ex liquore colato destillatione in balneo aquae spiritus, atque residuum evaporetur. In parvis portionibus extractorum gummi-resinosorum parandis, vasa vitrea cum excipulo ad Juchii exemplum adhiberi possunt. Spiritus cum aqua mixtus ad gr. 75 Th. R. transit et loco tincturarum ex plantis esse potest, affatim partibus volatilibus impraegnatus. Rectius adhuc judico esse praeceptum hujus autoris, ex extracto aquoso oleum aethereum in apparatu destillatorio evocare, residuo spiritum vini infundere, utrumque extractum evaporare atque demum cum oleo aethereo prius educto commiscere. Infusa semivinosa autem, illo suadente, loco extractorum gummi-resinosorum (*solutiones gummi-resinoso-oleosae*) in officinis parata tenere, ob celerem, quam subeunt, corruptelam, non concederem, etsi eorum efficaciam per se detrectare nollem.

In *extracto absinthii* sola amarities superest, nec multum discrepat ab extracto centaurei minoris.

Extracto chamaemeli ex tota planta, radice non excepta, parato, quidam plasticam virtutem tribuunt, sit interne aut externe adhibitum. Dantur quotidie cochl. Vj-Vjjj ex solutione dr. jjj hujus extracti in aqu. flor. chamaemeli unc. Vj. Externe applicantur linteum carptum et splenia hac solutione madida.

Extractum cochleariae principio acri privatum superfluum censetur.

Extractum taraxaci maxime celebratur in obstructionibus viscerum reserandis. Liquidum (*mellago taraxaci*) pluries de die datur cochleatim.

EXTRACTUM ALOËS.

EXTRACTUM ALOES AQUOSUM.

Rec. Aloës succotrinae, in pulverem redactae, libram unam,
Aquae libras duas.

Digerantur calide in vase vitreo clauso per tres dies, effundatur liquor refrigeratus, qui, concessa antea quiete, ut sedimentum ponatur, per chartam filtretur, ac lenissimo igne in vase vitreo evaporetur ad Extracti spissitudinem.

Not. 449. *Extractum aloës* aloae ipsi postponendum est. Vid. not. 54. *Dosis.* Ut purget dantur gr. V-XX, ut leniter evacuationem promoveat, gr. j-jj.

EXTRACTUM ANGUSTURAE.

EXTRACTUM CORTICIS ANGUSTURAE.

Rec. Corticis Angusturae, in pulverem crassum redacti, libram unam,
Aquae bullientis libras decem.

Post digestionem calidam per viginti quatuor horas in vase clauso coquantur per duas horas. Liquor calens coletur et seponatur. Residuo iterum addantur aquae bullientis librae octo, iterumque coquantur per duas horas, et liquor calens exprimendo coletur. Liquores mixti tandem ad Extracti formam inspissentur.

Eodem modo parentur

EXTRACTUM BARDANAE, E RADICE.

EXTRACTUM CASCARILLAE, E CORTICE.

EXTRACTUM DULCAMARAE, E STIPITIBUS.

† *EXTRACTUM GENTIANAE, E RADICE.*

EXTRACTUM GEOFFROYAE, E CORTICE.

† *EXTRACTUM GRAMINIS, E RADICIBUS RECENTIBUS.*

† *EXTRACTUM HELENII, E RADICE.*

EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI, E RADICE.

EXTRACTUM SALICIS ALBAE, E CORTICE RECENTE.

EXTRACTUM SARSAPARILLAE, E RADICE.

† *EXTRACTUM TORMENTILLAE, E RADICE.*

EXTRACTUM VALERIANAE, E RADICE.

Not. 450. *Extr. angusturae aquosum* minus amarum est spirituosa. *Extr. bardanae* superfluum duco, itidemque *extr. sarsaparillae.* Laudatur in diarrhoeis *extr. cascarillae aquosum* spirituoso amaritudine cedens. Quarta pars extr. aquosi inesse solet cortici. *Extr dulcamarae et geoffroyae* volatilioribus partibus privata sunt. *Extr. gentianae* peramarum optime loco extract. quassiae carioris in usum vocatur. *Extr. gramin.*, quod

liquidiori forma *mellago graminis* dicitur, detur cochleatim, ut mite solvens et diureticum. *Extr. helenii* decocto radicis inferius. *Extr. salicis albae* in praxi pauperum loco extr. cortic. peruviani commendatur. *Extr. tormentillae* adstringit. Vid. not. 174. *Extr. valerianae* parum virtutis ex radice retinet.

† *EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.*

Rec. Corticis Peruviani fusci, in pulverem redacti, libram unam,
Aquae bullientis libras duodecim.

Ebulliant per quartam horae partem; vas ab igne remotum quiescat, donec partes non solutae fundum petant; humor calens effundatur ac seponatur; residuum cum duodecim libris aquae fervidae iterum per dimidiam horam ebulliat, ac ut ante parum quiescat, et fervidum per pannum trajiciatur, tandemque de residuo exprimatur. Liquores commixti sub continua agitatione per evaporationem in Extractum reducantur.

Paretur duplex, alterum MOLLE, *ad pilulas formandas aptum, alterum* DURUM, *quod leni igne de priori exsiccato in pulverem teri possit.*

Not. 451. Partes aromaticae et volatiles in parando extracto cort. peruviani fusci avolant, ut jam vapor singulari odore prodit, qui laboratorium replet, ubi evaporatur decoctum. Reprobandum est quorundam artificium, potassam cum cortice divino coquendi. Vid. not. 445. Aestimatur in Hispania extractum corticis pe-

ruviani ex America adportatum, quod odorem corticis diffundit, et ex infuso recentis ad solem inspissato parari videtur.

Simili modo paretur

† *EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI RUBRI* cum *MOLLE*, tum *DURUM.*

† *EXTRACTUM LIQUIRITIAE.*

SUCCUS LIQUIRITIAE DEPURATUS.

Rec. *Succi Liquiritiae inspissati venalis, quantum velis.*

In frustula concisum in aqua fervida macera, donec solvatur. Solutum per pannum lineum cola, ac dein leni igne evapora ad Extracti durioris crassitudinem.

Not. 452. Liberatur nova solutione succus liquiritiae quisquiliis ei immixtis. Vid. not. 154.

EXTRACTUM OPII.

EXTRACTUM OPII GUMMOSUM.

Rec. Opii crudi uncias duas,
Alcoholis uncias quatuor,
Aquae uncias quatuor.

Digere biduum Opium cum Alcohole in phiala leni calore, dein exprime et per chartam cola. Quod in linteo et charta remanet, solve in aqua lento igne in pultem. Dein per linteum exprimendo cola et lenissimo calore evapora ad Opii crudi duritiem.

Not. 453. Opium crudum omnis generis ex eo praeparatis praeferri meretur. Vid. not. 211. Certissimum enim est, opii vaporosam partem, qua inprimis vires continentur, quacunque praeparatione dissipari. Ceteroquin hoc extractum mere aquoso et resinoso antecellit. *Dosis* gr. jj-jV.

PULPA CASSIAE.

Rec. Fistularum Cassiae, quantum velis.

Medulla e siliquis diffractis exemta, aqua fervida in mortario sensim affusa, redigatur in pultem, quae demtis seminibus, et, quantum fieri possit, dissepimentis, per cribrum setosum terendo, depuretur, et, si opus sit, blando calore ad crassitudinem Extracti mollioris inspissetur.

Eodem modo paretur

PULPA TAMARINDORUM, e medulla fructuum tamarindi orientalis.

Not. 454. Sufficit ex his pulpis in praxi pulpa tamarindorum.

2. extracta per expressionem.

EXTRACTUM ACONITI.

Rec. Herbae Aconiti recentis, ante efflorescentiam abscissae, quantum velis.

Herbam contusam, sacco linteo immissam, prelo subjice. Succum lenissimo igne inspissa, donec quarta pars pulveris herbae Aconiti sufficiat, ut Extracti habeat mollitiem. Hic pulvis liquori refrigerato est admiscendus, ut fiat Ex-

tractum, vase clauso servandum, secundum regulas pro parandis Extractis.

Eodem modo parentur.

EXTRACTUM ATROPAE BELLADONAE.
EXTRACTUM CHELIDONII MAJORIS.
† *EXTRACTUM CICUTAE.*
EXTRACTUM STRAMONII.
EXTRACTUM FUMARIAE.
EXTRACTUM HYOSCYAMI.
EXTRACTUM TRIFOLII AQUATICI.

Not. 455. In inspissandis extractis plantarum narcoticarum earumque, quae aromate donatae sunt, saepissime omnis vis incauto ignis moderamine dilapidatur, ita ut extracta a roob sambuci adusto vix differant. Teneamus, succum plantarum usque ad dimidium evaporatum transgredi posse gradum caloris aquae fervidae, quamvis non effervescat. Oborietur igitur ex inopinato in balneo arenae succi excandescentia supra gradum 212 Th. F. nisi hic exploretur thermometri intromissione. — Inspissatio extractorum aëre libero facta, omni laude digna est. Ne transeat autem succus in pateris, quibus continetur, digiti dimidii altitudinem. Evaporetur saltim extractum in mariae balneo, nisi aëre solo illud condensare velimus.

Extracta frigida garayana inspissabantur super balneo vaporis, postquam vegetabilia in aqua frigida rudicula fuerunt comminuta. Melius autem reserantur particulae plantarum resinosae aqua fervida. — Reddantur extracta hoc loco consignata, quae omnes fere principio narcotico scatent, efficaciora, pulveris plantae extrahendae admixtione.

Extractum aconiti praeeunte *Stoerckio* praesertim in affectibus arthriticis datur. *Dosis* gr. ʃ cum saccharo sensim augenda. *Solutio extr. aconiti stibiata* R. Extr. aconiti dr. β solv. in vin. stibiat. unc. j. Dosis gutt. XXX et plures (*A. G. Richter*). Vid. not. 49.

Extractum chelidonii acritate praeditum est. *Dosis* gr. V-scr j. Vel aqua solvitur vel pilulis, quas resolventes dicunt, admiscetur. Vid. not 106.

Extractum cicutae. Pilulae ex eo formantur cum herba cicutae. *Dosis* pil. j et gradatim plures. Praeferunt quidam extractum ex semine cicutae. (*Medic. comment. of Edinb. I).*

Extractum stramonii. Praeferrem huic extracto tincturam stramonii. Vid. not. 286. *Dosis* extracti gr. j et sensim plures.

Extractum fumariae leniter amarum. *Dosis* scr. j. Vid. not. 145.

Extractum hyoscyami. Dosis gr. j et sensim plures. Linctibus admisceri solet hoc extractum in tussi catarrhali mera pulmonum sensibilitate protracta. *Linctus ex extr. hyoscyami* R. pulv. gummi arab. aqu. fl. chamom. ana unc. β extr. hyoscyam. scr. 6 syrup. althaeae unc. j. Omni hora cochlearculum *(Wollkopf).* Vid. not. 166.

Extractum trifolii fibrini peramarum. *Dosis* gr. X-XX.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosae et Saccharum Fluidae.

Syrupi.

REGULAE PRO PARANDIS SYRUPIS.

1. Fiant solutiones aquosae de vegetabilibus secundum regulas, pro parandis Infusis, Decoctis ac Succis expressis, antea datas.

2. Sint hae solutiones concentratae et pro varia indole limpidae, ac saccharo saturentur puro crystallisato, albo, in pulverem tenuem redacto.

3. Solutio cum saccharo fiat sub leni liquoris ebullitione. Nonnulli Syrupi hunc calorem non ferunt, ut ad singulos indicabitur.

4. Terminus ebullitionis seu mixtionis calidae sit, si gutta liquoris calidi juxta vas porcellaneum inclinatum cum lentore diffluat, nec post refrigerium crystallos sacchari deponat.

5. Syrupi praeparatio in vasis, ex stanno puro confectis, fiat.

6. Syrupi, potissimum qui ex Succis expressis parantur, non satis limpidi, per pannum colentur, et vasis clausis vitreis vel porcellaneis in loco frigidiori serventur.

Not. 456. Modus aquas destillatas ex tempore componendi infra in introitu ad sectionem de aquis destillatis nro. 13 commendatus, et in syrupis, qui oleo aethereo plantarum efficaciam debent, locum habet. Misceatur scilicet oleum quodvis aethereum cum syrupo de althaea aut simili mucilaginoso, qui unioni favet.

† *SYRUPUS ALTHAEAE.*

Rec. Radicis Althaeae, minutim concisae, uncias sex,
Sacchari albi libras tres,
Aquae bullientis libras octo.

Radix cum aqua bulliat, donec hujus pars dimidia avolaverit. Liquori colato ac per subsidentiam faece liberato admisce saccharum, adhibita brevi ebullitione solvendum, Syrupumque per pannum laneum cola.

Not. 457. Syrupus althaeae resinas aut gummi resinas cum eo tritas, cum aqua copulat, atque in emulsionem quandam mixtum convertit. *Linctus leniens* (Lohoch laevigans Fulleri) R. syrup. althaeae ovi conquassati ana unc. j sacchar. penidii unc. β; m. Febricitantibus contra linguae, faucium et gutturis aestum, siccitatem, scabritiem et excoriationem solatio est. *Syrupus de althaea Fernelii* quondam usitatus secundum genium aevi ex decocto rad. althaeae gramin. et aliarum atque uvarum passarum parabatur.

SYRUPUS CINNAMOMI.

Rec. Cinnamomi corticis, in pulverem redacti, uncias quatuor,
Aquae libram unam cum dimidia.

Digere in vase clauso per triduum, liquorem dein exprime, faece libera ac cola; admisce tandem

Aquae Cinnamomi libram unam cum dimidia,
Sacchari albi libras tres.

Fiat blando calore Syrupus.

† *SYRUPUS CORTICIS AURANTIORUM.*

Rec. Corticum aurantiorum recentium, a substantia alba mundatorum, uncias decem,
Aquae libras quatuor,
Sacchari albi libras tres.

Digeratur cortex concisus in aqua vase clauso per viginti quatuor horas, dein destillando abstrahe liquoris uncias tres, in quibus blando

calore liquentur sacchari unciae sex. Residuum porro exprimatur et liquori expresso ac colato reliquum sacchari admisceatur, quo facto leni calore Syrupus fiat, qui frigefactus priori addatur.

Eodem modo parentur

SYRUPUS MENTHAE CRISPAE.

SYRUPUS MENTHAE PIPERITIDIS, EX HERBA, RECENS SICCATA.

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

REC. Corticis Peruviani fusci uncias duas,
Aquae ferventis uncias viginti octo.

Decoque ad colaturam unciarum duodecim; adde

Sacchari puri uncias sex,

et coque in Syrupum.

Eodem modo paretur

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI RUBRI.

SYRUPUS CYDONIORUM.

REC. Succi expressi fructuum Cydoniorum, per subsidentiam faece liberati et colati, uncias sedecim,
Sacchari albi libras duas cum dimidia.

Leni calore in Syrupum redige.

Not. 458. Syrupus cydoniorum supervacaneus est, cum à syrupo succi citri non multum differat, atque numerus syruporum in pharmacopoeis potius diminuendus quam augendus sit.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI.

Rec. Capitum Papaveris albi, leniter siccatorum et seminibus privatorum, libram unam,
Sacchari albi libras tres,
Aquae bullientis libras triginta.

Capita concisa et contusa per viginti quatuor horas calide digerantur cum aqua, dein coquantur, donec octo librae supersint. Liquor exprimatur ac coletur, quo facto iterum coquatur ad dimidium, cui tandem per subsidentiam defaecato saccharum adde ac coque in Syrupum.

Not. 459. Exulet syrupus papaveris albi ex pharmacopoeis, quoniam ejus vires nunquam exacte dijudicari possunt. Misceri queunt ejus loco statim guttulae decem vini opii cum syrupo quodam simplici. Simili modo *syrupus opiatus Ph. Boruss.* componitur ex extr. opii gr. XXV vin. malacens. unc. j et syrup. liquirit. unc. XXjV ita ut unc. j syrupi granum unum extracti opii contineat. Quod si vero syrupus opiatus pro officinis necessarius videatur, hi aut similis syrupo papaveris albi praeponendus est.

SYRUPUS PAPAVERIS RHOEADOS.

Rec. Petalorum recentium florum Papaveris Rhoeados libram unam,
Sacchari albi libras tres,
Aquae bullientis libras duas.

Petala in aqua calida digere per duodecim horas, liquorem expressum cola, ac, saccharo addito, leni ebullitione in Syrupum redige.

SYRUPUS RHEI.

Rec. Rhei concisi uncias tres,
Sacchari puri,
Aquae bullientis, utriusque libras duas.

Macera Rheum in aqua horas duodecim et post lenem ebullitionem exprime. Liquori colato et defaecato adde saccharum, ut leni calore fiat Syrupus.

Not. 460. Non vituperandum esse puto, cum syrupus rhei sine potassa fit, haec enim pro lubitu et necessitate addi potest.

† *SYRUPUS RUBI IDAEI.*

Rec. Succi expressi baccarum Rubi Idaei, colati, et per subsidentiam depurati, uncias sedecim,
Sacchari albi libras duas cum dimidia.

Mixta leni calore in Syrupum redige.

Eodem modo paretur

SYRUPUS SUCCI CITRI.

Not. 461. Optime unciae quaedam syrupi succi citri potibus febricitantium immiscentur, ut fiat limonada extemporanea.

SYRUPUS SENNAE.

Rec. Foliorum Sennae mundatorum uncias octo,
Sacchari albi libras tres,
Aquae bullientis libras quatuor.

Macera folia Sennae in aqua horas duas et exprime. Liquori colato et defaecato adde saccharum et leni igne redige in Syrupum.

Not. 462. Syrupum sennae rejiciendum esse puto, cum folia sennae coctione viribus exuantur.

† *SYRUPUS SIMPLEX.*

Rec. Sacchari puri libras octo,
Aquae bullientis libras quatuor.

Leni calore fiat Syrupus.

Not. 463. Syrupus simplex, si dicam quod sentio, loco plurium syruporum medicis sufficit. Eadem simplicitate commendatur *syrupus liquiritiae Ph. Boruss.* Concidantur rad. liquirit. unc. Vjjj infund. aqu. commun. fervid. libr. Vjjj. Post macerationem leniter coquantur per horae quadrantem. Liquor expressus evaporetur, donec supersint unc. XIV, quibus addantur sacchar. albi mell. despum. ana libr. jj. Ebullitione unica fiat syrupus.

† *SYRUPUS VIOLARUM.*

Rec. Petalorum recentium florum Violae odoratae uncias octo,
Sacchari albi libras tres,
Aquae bullientis uncias viginti.

Macera quam lenissimo calore petala in aqua horas sex in vase vitreo clauso, dein liquori leviter expresso et colato adde saccharum et redige in Syrupum.

SYRUPUS ZINGIBERIS.

Rec. Zingiberis albi, in pulverem redacti, uncias duas,
Sacchari albi libras sex,
Aquae bullientis libras tres.

Digeratur Zingiber in aqua calida in vase clauso horas viginti quatuor. Liquori colato et defaecato admisce saccharum et redige in Syrupum.

Not. 464. Syrupus zingiberis optime admiscetur decoctis amaris et decocto cort. peruviani.

Solutiones Aquosae et Saccharum Inspissatae.

Rob et Gelatinae.

REGULAE PRO PARANDO ROB.

1. Fructus succulenti, maturi, ab alienis adhaerentibus antea liberati, e quibus Rob paratur, in mortario lapideo pistilli ope in pultem contundantur.

2. Pro varia indole cum parca aquae copia leniter ebulliant in vase, stanno probe obducto.

3. Triturando ad cribrum humor primum separetur, ac dein prelo eliciatur succi reliquum, priori admiscendum.

4. Humor addito saccharo ebulliat, continuo agitetur ac despumetur, donec debitam spissitu-

dinem acquisiverit, ut refrigeratus in Rob concrescat.

† *ROB JUNIPERI.*

Rec. Baccarum Juniperi maturarum, quantum volueris.

Baccae in pultem contusae, addita aquae debita quantitate, coquantur per horam dimidiam. Succus triturando per cibrum separetur, et quod in cribro restat prelo exprimatur. Succi hujus partibus quatuor admisce

Sacchari albi partem unam

ac leni igne evaporetur ad debitam spissitudinem.

Not. 465. Non necesse est, ut roobi juniperi saccharum addatur, quo fermentatio in eo excitatur citius. Ex residuo roobis destillatione oleum aethereum evocatur. *Vis* diuretica. *Solutio roobis juniperi* R. roob. juniperi unc. jV dilue eas cum aqu juniperi dest. libr. jj adm. tinct. juniperi unc. jj spirit. nitrico-aether. unc. ß. Dent. omni trihorio unc. j-jj. Laudatur in ascite (*v. Swieten*).

ROB RIBESIORUM NIGRORUM.

Rec. Baccarum Ribesiorum nigrorum, quantum volueris.

Baccae contusae cum parca aquae copia per horam dimidiam sub continua agitatione leniter coquantur. Massam adhuc calidam cribra, et quod remanet fortiter exprime. Succi collecti partibus decem adde

Saechari albi partes quatuor,

dein coque citissime, probe despumans, ad debitam spissitudinem.

Not. 466. Roob ribesiorum nigrorum laudatur in angina catarrhali, atque gargarismatibus utiliter admiscetur (*Rosenstein*).

Eodem modo paretur

ROB RIBESIORUM RUBRORUM.

Not. 467. Roob ribesiorum rubrorum pergratas reddit ptisanas in febribus communes.

† *ROB SAMBUCI.*

Rec. Baccarum Sambuci, quantum velis.

Succus eliciatur, ut ab Rob ribesiorum nigrorum dictum fuit. Succi autem hujus partibus quindecim

Sacchari albi partes tres

admisceantur, et coquendo fiat Rob, ut ante.

Not. 468. Tempore pluvioso libr. 30 baccarum sambuci erogabant roob. libr. jV-V (*Baumé*). *Vis.* Roob sambuci blande sudorem movet. *Usus.* Ingerantur de die aliquot unciae in diversis affectibus a refrigerio sine insigni motu febrili.

GELATINA CORNU CERVI.

Rec. Cornu cervi rasi uncias quatuor,
Aquae purae libras quatuor,
Sacchari albi unciam unam,
Vini Rhenani,
Succi Citri, utriusque unciam dimidiam.

Coque cornu cervi, prius aqua tepida affusa mundatum, cum aqua lento igne, vase semper

tecto, donec liquoris unciae sex supersint. Colato liquori admisce saccharum; dein, additis vino et succo, leniter ebulliat, iterumque colatus seponatur loco frigido, ut fiat Gelatina.

Not. 469. *Germ.* Hirschhorngelée, *gall.* Gelée de corn de cerf. Ex centenis partibus cornu cervi eruuntur gelatinae p. 27, phosphatis calcis 57,5 carbonat. calcis 1, atque dissipantur p. 14,5. Quam maxime discrepat quantitas gelatinae in ossibus variorum animalium. Jusculo ex carne bubula cocto ex libr. jj ossium quae supererant, extrahebantur axungiae unc. Vjβ; gelatinae sicc. unc. jjj et dr. jVβ (*Schrader*). *Vis* gelatina cornu cervi nutrit et reficit. *Usus* in tabe cum vel sine viscerum depravatione, suppuratione ulcerum enormi, macie febres insecuta et profluviis sanguinis nimiis. Aliquando gratum aroma, ut cinnamomum, cortex citri, similesque gelatinae cornu cervi addi possunt. — Vid. gelatinam ex ichthyocolla in not. 327. — *Tabulae pro jusculis carnis* (Bouillontafeln). R. quadrantem bovis et vitulae. Caro lavata prius dissecetur. Addantur corn. cerv. libr. 20 et aquae situlae quatuor. Vase tecto coquatur caro, donec ab ossibus secedat, atque dein concisa prelo ferreo committatur. Sevo a succo carnis, qui cribro capillari defaecatur, separato, sal additur et piper, atque ipse succus usque ad gelatinam inspissatur. Calore ex dimidio diminuto, effunditur gelatina in vasa altitudine trium vel quatuor digitorum, atque ex refrigerata et in furno modice calefacto exsiccata formentur tabulae unc. j et jj in cadis asservandae. Fit jusculum tenue pro singulis aegris ex tabula una, et magis nutribile ex tabulis duabus pro sanis et convalescentibus (*Colombier*). *Tabulae pro jusculis carnis aliae* R. pedum vitulin. libr. Xjj carnis femor. bubul. libr jj carn. vitulin. libr. X carn. vervecin. libr. jX; caro concisa coqu. modico igne c. aqu. q. s. Rite despumetur decoctum, atque cum expressione coletur. Residuo iterum cocto liquores colati misceantur. Sevo ablato, refrigeratum decoctum albumine sex ovorum clarificetur, et filtratum

usque ad gelatinam evaporetur. Tabulae siccatae, quae ex massa formantur, immittantur capsulis ex laminis ferreis, aut vitris *(Parmentier)*. Juscula ex carne recenti quidem gratitudine refocillante pollent prae jusculis ex his tabulis, nihilominus hae eorum vices supplent in castris et itineribus, minoris tamen pretii in nosocomiis, in quibus carne a jusculis superstite opus est aegrorum curatoribus et convalescentibus. Condensant Sinenses gelatinam in tabulas sub nomine *Hockiac* (colle de peau d'âne) et Japanenses gelatinam ex pernis et perdicibus in syrupum sub nomine *Soui*. *Ploucquetus* proponit in caritate annonae panem conficere ex farinae secalinae et farinae ossium ana libra una, atque tot particulas nutritias ei inesse putat, quot panis contineret ex libr. jV farinae secalinae compositus. *Colla scriniariorum depurata* R. glutin. animal. indurat. vulgo venalis libr. j aqu. libr. Vj coqu. ut f. solutio, cui adjice album. ovi q. s. dein massae probe despumatae adde sacchar. alb. libr. j, coqu. leni igne ad libr. jjj. Gelat. sic paratam effund. ut concrescat. Dos. inf. dr. jj-jV med. aetatis dr. jV-Xjj adult. dr. Xjj-XL. Prima dosis exhibenda est mox incipiente paroxysmo et tempore apyrexiae ter de die continuando per aliquot dies postquam febris cessavit. (*Swediaur pharm. univ.* p. 459). Vid. pag. 93.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

Rec. Lichenis Islandici unciam unam cum semisse,
Aquae libras duas,
Sacchari albi uncias quatuor.

Coque Lichenem cum aqua leni igne vase tecto, donec post debitam expressionem per linteum liquoris unciae sex supersint; dein adde saccharum et coque in Syrupum, qui despumatus et colatus refrigerando in Gelatinam coaguletur.

Not. 470. Gelatina lichenis Islandici sine saccharo minus proclivis est ad fermentationem, ut taceam, quod saccharatum nimia dulcedine aegris interdum displiceat. *Gelatina lichen. Island. Disp. Fuld.* R. lichen. Island. unc. jjj hb. cynomorei coccinei unc. j aqu. commun. libr. jV coqu. donec supersit tertia pars, quae cum expressione colata in gelatinam inspissatur. Gelatinae nondum refrigeratae addantur syrup. communis unc. jjj. Mixta reponantur in loco frigido. *Vis* nutriens. *Usus* in tabe, et tussi pertinaci. *Dosis* cochl. jj et plura.

Solutio Aquosa et Mel.

Mel Medicatum.

MEL ROSARUM.

Rec. Petalorum Rosarum rubrarum siccatorum uncias decem,
Aquae bullientis libras sex,
Mellis despumati libras quatuor.

Macerentur petala in aqua per noctem, dein igne leni coquantur, et liquor exprimatur, cui colato ac defaecato admisce mel, et tandem blando calore ad Syrupi lenitudinem inspissa.

Not. 471. *Germ.* Rosenhonig, *gall* Mel rosat. Mel rosarum merito unice superest ex inumeris mellibus medicatis, quibus olim officinae onerabantur, ut melle aquilegiae, m. violato, et passularum aliisque. *Vis.* Solum differt mel rosarum a communi particulis adstringentibus ex rosis acceptis.

Solutiones Acetosae.

Aceta Infusa.

ACETUM AROMATICUM.

ACETUM ANTISEPTICUM.

Rec. Radicis Calami aromatici,
Radicis Angelicae, utriusque drachmas sex,
Summitatum Absinthii vulgaris uncias duas cum dimidia,
Foliorum Salviae uncias tres cum dimidia,
Herbae Rutae uncias duas,
Macis drachmas duas,
Aceti vini libras octo.

Macera leni calore in vase vitreo, cono chartaceo clauso, per aliquot dies. Liquori per colum fortiter expresso, et dein per chartam filtrato adde

Tincturae Camphorae unciam dimidiam.

Serva vase clauso.

Not. 472. Acetum aromaticum tenet locum acetorum variorum bezoardicorum, quae medicis praeteriti aevi in usu fuere ne aceto quatuor latronum (vinaigre de quatre voleurs) excepto. Tinctura camphorae aut pluribus molesta, aut non semper necessaria, aptius a medico additur, quotiescunque eam utilem esse sibi persuadeat. *Vis:* excitans, diaphoretica. *Usus:* in typho, aliisque febribus aeque malignis. *Dosis* cochl. j.

ACETUM COLCHICI.

Rec. Radicis Colchici autumnalis partem unam,
Aceti vini partes duodecim.

Radicem in taleolas sectam vase clauso in aceto frigido sub crebra agitatione digere per quatriduum. Humori limpido decantato adde

Spiritus vini partem unam,

et vase clauso serva.

Not. 473 *Germ.* Zeitlosenessig, *gall.* vinaigre colchique. Acetum colchici raro per se interne datur. Non dubito autem, illud simili modo quam scilliticum, quod sequitur, utilitatem esse allaturum. *Vis:* diuretica. *Usus* in vario hydrope. *Dosis:* guttulae 30 et sensim plures. *Externe* tumores, quos frigidos dicunt, eo discussi sunt.

† *ACETUM SCILLAE.*

ACETUM SCILLITICUM.

Rec. Radicis Scillae, leviter siccatae et minutim incisae, uncias quatuor,
Aceti vini uncias viginti quatuor.

Digerantur in vase clauso leni calore per octiduum: liquori dein probe expresso adde

Spiritus vini uncias duas.

Postquam subsederit, liquor limpidus decantetur, ac servetur usui.

Not. 474. *Germ.* Meerzwiebelessig, *gall.* Vinaigre de l'oignon marin *Vis:* diuretica, emetica. *Usus* in hydrope. Usus protractus aceti scillitici ventriculi vires infringere solet, quam ob rem addita amara illas adminiculentur. *Mixtura ex aceto scillitico amara* R. Extr. trifol. fibr. unc. ß solv. in acet. scillit. unc. jj adm.

tinct. aurant. aut juniperi unc. β, m. D. ter de die gutt. 50 addendo alternis diebus gutt. V usque dum nausea augmentum prohibet. Saepius hanc mixturam exoptatum effectum edidisse in hydrothorace observavi *(Piderit)*.

Solutiones Acetosae et Mel.

Oxymella.

OXYMEL COLCHICI.

Rec. Aceti colchici libram unam,
Mellis despumati libras duas.

Mixta et sedula tritura in mortario vitreo unita decoque, in vase stanneo vel figulino, ad mellis liquidi consistentiam.

Not. 475. *Vis:* diuretica. *Usus* in affectibus hydropicis. *Dosis:* omni trihorio dr. jj-unc. β ita ut unc. jV de die sensim porrigantur *(Collin)*.

† *OXYMEL SCILLAE.*

OXYMEL SCILLITICUM.

Rec. Aceti scillitici libram unam,
Mellis despumati libras duas.

Mixta et per debitam agitationem vel triturum in mortario vitreo probe unita, leni igne in vase stanneo vel figulino, decoque ad mellis liquidi consistentiam.

Not. 476. *Vis:* diuretica, emetica. *Usus* in catarrho, hydrope. *Dosis* cochlearculum omni trihorio. Monendum esse credo, oxymel scilliticum saepius incauta manu infantulis tanquam remedium domesticum propinari.

† *OXYMEL SIMPLEX.*

Rec. Aceti vini libram unam,
Mellis despumati libras duas.

Misce et in vase stanneo vel figulino leni igne ad mellis liquidi consistentiam coque.

Not. 477. Oxymel simplex meliori et breviori modo ex mell. libr. j et acet. concentrat dr. jj-jjj sub agitatione cum spatula lignea misceantur, cum decoctione partes aceti dispergantur. *Vis* ex melle et aceto composita, stimulans, diaphoretica. *Usus* in morbis acutis, et tussi catarrhali. In praxi pauperum praecipuum additamentum est oxymel simplex, quo potus aegrorum edulcorentur.

Solutiones Vinosae,
Vina Medicata, vel Infusa Vinosa.

† *VINUM AMARUM.*

ELIXIR VISCERALE HOFFMANNI.

Rec. Corticum Aurantiorum recentium sescunciam,
Extracti Cardui benedicti,
Extracti Cascarillae,
Extracti Centaurei minoris,
Extracti Gentianae,
Extracti Myrrhae aquosi, singulorum drachmas duas,
Vini Hispani libras duas.

Cortices cum vino digere biduum et exprimendo cola; dein adde Extracta, ut solvantur. Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 478. Desumta est haec formula ex Kleinii selectu ration. medicaminum pag. 71 - 72 omissa tantum acetite potassae, a dr. jjj - jV libr. jj addita. *Elixir balsamicum temperatum* ab autore dicitur. *Elixir viscerale balsam. temperatum Hoffmanni simplicius* R. cort. aurant. recent. unc. j kal. carbonic. dr. jj inf. vin. hisp. vel tocaviens. unc. Xjj. Diger. per biduum. In tinctura decantata solvantur extr. gent. rubr. — cent. min. — card. bened. ana dr. jj. Filtr. (Hoffm. consult. med. P. III). *Dosis* gutt. 60 - 100. Brevissima via fit elixir amarum solutione dr. j extracti amari in aquae aromaticae cum vel sine vino unc. j de qua datur cochl. dimidium. *Friedericus Hoffmannus* in usu habuit praeter elixir paulo ante descriptum *elixir viscerale aquosum.* Digeri jubet succini unc. ß, carbonat. potass. unc. ß-j, cort. chinae fusc. unc. jj, cort. cascarill. unc. jß, rad. gentian. rubr. unc. ß, — galangae dr. jjj, myrrhae dr. j, cum aquae caryophyll. unc. V — meliss. unc. jjj ß — menth. crispae unc. jjj per hor. 24. (*Nicolai Recepte u. Curarten IV. pag.* 264). *Elixir aurantiorum compositum Ph. Boruss.* R. cort. aurant. a parenchymate interno mundat. unc. jV, fruct. aurant. immatur, cass. cinnamom. ana unc. jj, kali carbonici sicc. unc. j vin. malacens. libr. jV. Post digestionem sufficientem exprime. In colatura solve extr. absinth. — cascarill. — gentian. — trifol. ana unc. j olei de cedro dr. jj in spirit. sulphurico-aether. unc. jj solutas. Est hoc elixir antacidum, et stomachicum. Dosis cochl. j.

VINUM AMARUM CUM SPIRITU VINI.

VINUM AMARUM. E. INFUSUM AMARUM VINOSUM A.

Rec. Radicis Gentianae semunciam,
Corticis Peruviani fusci unciam unam,
Corticis Aurantiorum siccati drachmas duas,
Corticis Canellae albae drachmam unam,

Spiritus vini uncias quatuor,
Vini albi Hispani libras duas.

Conscissis radici et corticibus affunde primo spiritum vini, digere per viginti quatuor horas, tum adde vinum, macera per dies quatuor et cola.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 479. Compositum est hoc vinum amarum secundum elixir roborans Whyttii. Dosis cochl. j. Omni dubio caret vini mixtionem digestione cum plantis mutari, atque ad decompositionem proclivius reddi. Hanc ob causam spiritus vini admiscetur, qui retardat vinorum medicatorum disjunctionem vitiosam. *Bayenus* addere suadet partem 32dam spirit. vini gr. 20 araeom. B. Etiam componi possunt *vina medicata extemporanea* ex parte una tincturae cujuslibet plantarum cum vini parte 8va aut 16ta *(Parmentier)*. Dantur cochleatim. *Elixir roborans Whyttii* R. pulv. cort. chinae unc. jV, rad. gentian. rubr., cort. aurant. ana unc. jß misc. et infund. in spirit. vini gallici libr. jV in balneo mariae per dies sex et cola. Interdum autor cuilibet libraе unc. j et plures spirit. vini lavendul. composit. addidit. Dosis cochl. j cum aquae cochl. jV. *Tinctura chinae composita Ph. Boruss.* R. cort. chinae pulver. unc. jjj rad. gentian., cort. aurant. ana unc. j spirit. vin. rectificat. unc. XVj aqu. cinnamom. simpl. unc. jjj. Digere et col. Dosis: cochl. dimid. Volatilior sed non plane absimilis est Whyttianae *tinctura Huxhami* R. cort. Peruvian. unc. jj flaved. cort. aurant. unc. jjß rad. serpent. Virgin. dr. jjj croc. Anglic. scr. jV coccionell. scr. jj spirit. vin. unc. XX f. l. a. infusio per dies jjj-jV Col. Dosis: dr. j-unc. ß ex vino aut aqua aromatica destill. quavis quarta hora cum decem gutt. elix. vitrioli. Conf. infusa amara Pharmac. anglican. in not. 151.

VINUM IPECACUANHAE.

VINUM, SEU TINCTURA IPECACUANHAE. E.

INFUSUM IPECACUANHAE VINOSUM. A.

Rec. Radicis Ipecacuanhae contusae unciam unam,
Vini albi Gallici uncias quindecim.
Macera triduum et per chartam cola.
Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 480. Pharmacopoea Edinburgensis digerit unc. j radicis Ipecacuanhae cum vin. libr. j. *Vinum ipecacuanhae Parmentier* R. rad. ipecacuanh. unc. jV sacchar. alb. unc. jj alcohol. gr. 32 araeom. Baum. libr. jj diger. in balneo arenae per octo dies. Dein adde vin. albi gallici libr. Vjjj anisi stellat. unc. j sacchar. alb. unc. jV. Post sex dies filtra. Unc. j aequiparatur rad. ipecacuanh. gr. XVjjj. *(Code pharmaceutique par Parmentier).*

† *VINUM OPII AROMATICUM.*

TINCTURA OPII CROCATA. B.

LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI.

Rec. Opii crudi, e mundissima massae parte desumti, uncias duas,
Croci unciam unam,
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum, singulorum drachmam unam,
Vini Hispani libram unam.

Digere subinde agitans quatriduum, et exprimendo cola.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 481. Quamvis mihi nullo modo persuadeam, opium additione aromatum indigere, immo in hac sim sententia, congestionem sanguinis versus caput aliquantisper augeri, hanc formulam tam ob celebritatem laudani liquidi, quam ob famam autoris indelebilem non rejiciendam esse puto. Dicit quidem immortalis constitutionis epidemicae perscrutator maxima cum ingenuitate, „hanc nostram praeparationem laudani officinarum solido anteferendam virtutibus quidem non censeo sed ob formam saltim commodiorem et majorem dosis certitudinem eidem antepono." Pace igitur manum viri laudanum liquidum suum mutari posset et supponi, quod illemetipse, cum inter nos adhuc viveret, nec hoc nec solidum cum aromatibus permixturus esset. Drachma una vini opii aromatici continet solutum granorum decem opii. *Dosis* gutt. X-XX. Ut accuratius misceatur cum unguento quodam, conteri debet pauxillum gummi arabici aut olei unguinosi cum vino opii.

VINUM OPII FORTIUS.

TINCTURA OPII VINOSA.

Rec. Opii depurati uncias duas,
Vini Hispani uncias sedecim,
Spiritus vini graduum quindecim uncias quatuor.

Digere biduum et cola. Opii granum unum continetur in vini scrupulo dimidio.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 482. Menstruorum connubium in hoc vino opii fortiori largitur opii tincturam summe efficacem et simplicem. Drachm. j continet solutum ex gran. Vj opii. *Dosis* gr XX-XXX. Cognomen non plane adaequatum esse videtur. Est vinum opii concentratum. Dolendum sane, plures opii tincturas in pharmacopoeis variis ratione opii additi differre. *Tinctura opii Eccardi.* R. Opii optimi unc. jj caryophyll. dr. j aqu. cinnamom.

une. Vjjj alcohol. vin. unc. jV; opio et caryophyllis in pulverem tritis aqua cinnamomi cum alcohole permixta affunditur, et vitrum bene clauditur. Digestione per Vj dies in loco calido continuata, tinctura exprimitur et clarificatur. Dr. j hujus tincturae continet solutum ex opii gr. X. Omissis caryophyllis haec tinctura vix cedit Batavae. Fuit per aliquot tempus sacra anchora assectatorum Brownii fanaticorum.

VINUM RHEI.

INFUSUM RHEI VINOSUM. A.

Rec. Rhei conscissi uncias duas,
Canellae albae drachmam unam,
Spiritus vini uncias duas,
Vini albi Hispani libram unam.

Macera dies septem et cola.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 483. *Dosis* hujus vini rhei simplicis cochl. j-jj. *Vinum rhabarbari pharm. Lond.* 1788. R. rhabarb. incisi unc. jj ß, sem. cardamom. minor. cont. unc. ß croci dr. jj vin. alb. Hispan. libr. jj spirit. vinos. tenuior. unc. Vjjj; diger. per dies decem et col. *Dosis* cochl. j-jj. Minus gratum est priori. Editio pharm. Lond. anni 1762 non addit spiritum vini, qui tincturam conservat. Pharmacopoea Danica 1805 loco croci adjicit rad. gentian. rubr. dr. Vj sine spiritu vini. *Tinctura rhei vinosa Darelii.* R. rad. rhei elect. unc. jj uvar. passar. unc. j cort. citri, rad. liquirit. ana unc. ß cardamom. minor. dr. jj vin. hispan. libr. jj c. c. m. diger. per dies quat.; colat. express. adde extr. enul. spirituos. unc. ß sacchar. alb. unc. jjj. *Dosis* pro infant. gutt. 30-60; adultis cochlear j usque ad cochlearia jj. Convenit egregie hypochondriacis et hystericis ut leniter laxans. Est proficua infantibus, qui scrophulis obstruuntur, nec non iis, qui mesenterii laxitate ejusque pedissequa glandularum obstipatione infestantur.

Solutiones Spirituosae.

Tincturae. Essentiae. Elixiria.

REGULAE PRO PARANDIS TINCTURIS.

1. Corpora, ad Tincturas adhibenda, sint antea pro diversa eorum indole concisa, contusa vel in pulverem redacta.

2. Digestio cum spiritu vini fiat vel FRIGIDA, vel CALIDA.

3. Digestio frigida in lagenis vitreis, epistomio vitreo clausis, instituatur; calida vero in cucurbitis vitreis, ita amplis, ut digerenda dimidiam earum capacitatem solummodo repleant et claudantur vesica madefacta, acu saepius perforata. *)

4. Spiritus vini adhibendi gradus ejusque quantitas, tempus digestionis et caloris temperatura pro diversa digerendorum indole differunt: cavendum tamen, ne gradus caloris gradum nonagesimum sextum Thermometri Fahrenheitiani superet.

---

*) *Satis liquet, foramina quam parvula sint, per aliquot dies non parum spiritus vini emittere. Itaque adaptetur phiolae ope lutei excipulum ut hoc recipiat partes spirituosas, quae sursum petunt, aut digerantur corpora ad tincturas adhibenda in lagena phiolae simili crassitie dodrantis digiti, quae libras duas aquae retinet, et epistomio vitreo scabro bene clauditur, postquam menstruum instillatum quinque capacitatis lagenae sextantes complet. Annot. edit.*

5. Sub digestione crebra mixtorum agitatio conducit.

6. Digestione peracta, liquor a residuo non soluto per pannum linteum leni pressione separetur, et dein per chartam bibulam filtretur ac lagenis clausis servetur.

Tincturae vel de singulari corpore parantur, dictae SIMPLICES; vel de pluribus junctis, dictae COMPOSITAE.

I. SOLUTIONES SPIRITUOSAE SIMPLICES.

TINCTURAE SIMPLICES.

Harum praeparandarum ratio sequentibus Tabulis exhibetur.

TINCTURAE SIMPLICES DIGESTIONE FRIGIDA PARANDAE.

NOMINA.	RECIPIATUR PARS UNA.	DIGERATUR CUM SPIRITUS VINI		
		grad	part.	dies
Tinctura Absinthii	Summitatum Absinthii siccatarum	15	6	3
† *Tinctura Aurantiorum*	*Corticis Aurantiorum contusi* . .	15	6	6
Tinctura Benzoës	Benzoës	20	8	6
† *Tinctura Camphorae* (a)	*Camphorae tritae*	20	12	

(a) *Spiritus vini Camphoratus.*

NOMINA.	RECIPIATUR PARS UNA.	DIGERAT. CUM SPIRITUS VINI.		
		grad	part.	dies
† *Tinctura Cantharidum* . . .	*Cantharidum* . . .	20	8	6
† *Tinctura Castorei*	*Castorei Siberini concisi*	20	8	6
Tinctura Cinnamomi	Corticis Cinnamomi contusi . . .	20	8	6
Tinctura Croci .	Croci	15	3	8
† *Tinctura Rhei*	*Radicis Rhei contusae*	15	8	6
Tincturae Serpentariae	Radicis Serpentariae contusae .	15	6	6
Tinctura Tolutani balsami	Tolutani balsami	20	8	6

TINCTURAE SIMPLICES DIGESTIONE CALIDA PARANDAE.

NOMINA.	RECIPIATUR PARS UNA.	DIGERAT. CUM SPIRITUS VINI.		
		grad	part.	dies
Tinctura Aloës .	Aloës Succotrinae tritae	15	8	3
Tincturae Angusturae	Corticis Angusturae contusi . . .	20	8	6
Tinctura Asae foetidae	Asae foetidae . .	20	8	6
Tincturae Cascarillae	Corticis Cascarillae contusi	20	8	6

NOMINA.	RECIPIATUR PARS UNA.	DIGERATUR CUM SPIRITUS VINI.		
		grad	part	dies
† *Tinctura Catechu*	*Catechu Contusi* .	15	6	3
Tinctura Contrajervae	Radicis Contrajervae contusae . .	15	6	3
Tinctura Corticis Peruviani fusci	Corticis Peruviani fusci, contusi .	20	8	6
Tinctura Corticis Peruviani rubri	Corticis Peruviani rubri, contusi .	20	8	6
Tinctura Galangae	Radicis Galangae contusae	15	6	3
† *Tinctura Gentianae*	*Radicis Gentianae contusae*	15	6	3
Tinctura Geoffroyae	Corticis Geoffroyae Surinamensis contusi	20	8	6
Tinctura Guajaci	Ligni Guajaci contusi	20	8	6
Tinctura Helenii	Radicis Helenii contusae	15	6	3
Tinctura Jalappae	Radicis Jalappae contusae	20	8	6
Tinctura Mastiches	Mastiches	20	8	6
† *Tinctura Myrrhae*	*Myrrhae*	20	8	6
Tinctura Quassiae	Corticis ligni Quassiae contusi . .	15	6	3
† *Tinctura Succini*	*Succini albi pulverati*	32	8	10
Tinctura Tormentillae	Radicis Tormentillae contusae . .	15	8	6
Tinctura Valerianae	Radicis Valerianae officinalis pulveratae	15	6	3

Not. 484. Ut fiant tincturae, adduntur vulgo herbis spiritus vini p. jjj radic. et cortic. p. V et resinis atque gummiresinis succisque inspissatis p. Vj. Quomodo parantur tincturae cum aetheribus alcoholicis summa efficacia docebitur in sectione secunda additament. Vid. not. 134.

TINCTURAE SIMPLICES DIGESTIONE FRIGIDA PARANDAE.

Tinctura absinthii est vulgare stomachicum et vermifugum. *Dosis* gutt. 60-80 in vino, optimo tincturarum vehiculo.

Tinctura aurantiorum aromatica est et carminativa. *Dosis* gutt. 60-80.

Tinctura benzoës. In catarrhis chronicis quandoque salutaris. *Dosis* gutt. X-XX. Vid. de tinct. Benzoës composita sect. II additam. *Aqua cosmetica ex tinct. benzoës* (lac virginis). R. tinct. benzoës dr. j misc. cum aqua commun. destill. unc. jV. Puellae hac aqua cutis nitorem sibi conciliare sperant.

Tinctura camphorae, diaphoretica, antispastica, nervina. *Dosis* gutt. 20-60. Externe discutit et roborat. Diluit e. g. cutis laxitatem et morbosam irritabilitatem a pernionibus superstitem. Causat autem interdum nocivum regressum morbi, articulis ab arthritide et rheumatismo afflictis temere infricata.

Tinctura cantharidum. Minus violenter pulvere cantharidum agit, quo fortior est spiritus vini. Vid. not. 321. In votis est, ut hoc et simile praeparatum drastica natura insigne aequali proportione menstrui et soluti variis in officinis congruat. Pharmacopoea Borussica digerere jubet cum spiritu vini rectificati cantharidum $\frac{1}{24}$ Edinburgensis et Londinensis cum spirit. vinoso tenuiori $\frac{1}{30}$, rossica et suecica $\frac{1}{12}$. *Vis*: diuretica, pustulas in cute proritans. *Dosis* gutt. X-XX in emulsione aut potu mucilaginoso. *Externe* membris paralyticis infricatur, et linimentis diureticis admiscetur. Vid. sect. III additam. Spleniis instillata citius quam emplastrum cantharidum cutim inflammat, et pustulam propellit.

Tinctura castorei. Castorei vires egregie spiritu vini augentur. Consopit optime haec tinctura constrictiones ventriculi spasticas. (*Wedel*). *Dosis* gutt. 30-60.

Tinctura cinnamomi, nervina, adstringens paululum. Laudatur in haemorrhagiis uteri passivis. *Dosis* gutt. 30-60. Vid. not. 355.

Tinctura croci. Supervacaneum esse puto, cum tanta quantitate porrigi vix queat, ut necessariam croci dosin suppeditet. *Dosis* gutt. 30-60.

Tinctura rhei ut diuretica non spernenda. *Dosis* gutt. 60.

Tinctura serpentariae summe nervina, et diaphoretica. *Dosis* gutt. 30-60.

Tinctura tolutani balsami, diuretica. Cum syrupo simplici *syrupum balsamicum* diureticum extemporaneum componere potest.

TINCTURAE SIMPLICES DIGESTIONE CALIDA PARANDAE.

Tinctura aloës. Vis: Motum intestinorum peristalticum retardatum accelerat, potissimum in inferiori ventre, et bili stimulum addit. *Dosis:* gutt. 10-20 aliquoties de die. Pars quarta tincturae aloës tincturis amaris utiliter additur. Laudat *Hufelandus* mixturam ex tinct. cort. aurant. uncβ — Aloës — castor. ana dr. jj (ter de die gutt. 50) in vomitu chronico a ventriculi debilitate et hysterica affectione oborto.

Tinctura angusturae egregie stomachica. *Dosis* gutt 60.

Tinctura asae foetidae antispastica et anthelmintica. Mixtura ex tinct. asae foetid. dr. Vj et petrolei uncß (quater de die gutt. 40) taeniam ejecit.

Tinctura cascarillae grate amara, stomachica, post febres intermittentes perutilis. *Dosis:* gutt. 40-60. Tincturam ex part. aequalib. tinct. cascarill. et — pimpinell. gutt. X-Xjj pro dosi insigniter in asthmate pectorisq. oppletione prodesse veteres affirmant.

Tinctura catechu mere adstringens. *Usus* in diarrhoeis chronicis, externe in gingivarum laxitate. *Dosis* gutt. 30-40.

Tinctura contrajervae diaphoretica, hodie inter nos saltem obsoleta. *Dosis* gutt. 30-40.

Tinctura cort. Peruviani fusci et rubri. Utraque corroborat, et principio chinae adstringente praedita. Non magni habenda est tinctura hujus corticis, cum plerumque tantae ejus doses dari nequeant, ut sufficientes effectus edat.

Tinctura galangae carminativa. *Dosis:* gutt. 60.

Tincturae gentianae peramara in anorexia proficua, anthelmintica. *Dosis* gutt. 60.

Tinctura geoffroyae, anthelmintica, infantibus parum accommodata ob exaestuantem vehiculi indolem, quare decoctis ex cortice adjicitur. *Dosis:* gutt. 10-60. Vid. not. 153.

Tinctura guajaci peracris, antarthritica. *Dosis:* gutt. 30-50. Differt ab hac tinctura, *tinctura guajaci Emiregonis* solo vehiculo minus concentrato. Paratur haec digestione ex resinae guajaci unc. jj et spirit. taffiae s. saccharat. libr. jV. Dosis: cochl. j quovis mane, atque statim superbibatur lac aut decoctum avenae. *Tinctura guajaci ammoniata Ph. Boruss.* (tinctura guajaci volatilis) R. resin. guajaci nativ. tritae unc. j liqu. ammon. vinos. unc. Vj. Frigida digestione in vitro clauso, saepius movendo, extrahatur tinctura. *Dosis:* gutt. 30-60. Eandem quantitatem tincturae valerianae aethereae hucusque addidi, atque tincturam compositam in morbis arthriticis eamque utiliter adhibui (ter de die gutt. 40-60).

Tinctura helenii aromatica, carminativa, diaphoretica. *Dosis* gutt. 60.

Tinctura jalappae. Est in genere inconcinna purgantis formula. Dosis: dr. β-j. Paratur melius ex tempore solutione resinae Jalappae. Solvuntur pro dosi in adultorum usum resinae jalappae gr. X in spirit. vin. tenuioris dr. j atque addi possunt dr. jj syrup. althaeae aut amygdalini.

Tinctura mastiches. Olim fluxus alvinos ea cohibere tentarant medici. Hodie superflua.

Tinctura myrrhae emmenagoga, anthelmintica. *Dosis:* gutt. 30-50. Externe sordes delet in ulceribus, atque proritat in eis carunculas carnis. Olim ante extractionem liquore nitri fixi myrrha irrorari consuevit.

Tinctura quassiae compensatur fere tinctura gentianae rubrae. *Dosis:* gutt. 60.

Tinctura succini olim in catarrhis aestimata hodie obsoleta. *Dosis* gutt. 30-60. Vulgo quoque ut de tinctura myrrhae dictum est, ante extractionem cum spiritu vini veteres succinum liquore nitri fixi irrorare soliti sunt. *Externe* ingrediebatur balsama vulneraria.

Tinctura tormentillae tincturae catechu fere similis. *Dosis:* gutt. 30-60.

Tinctura valerianae antispastica, nervina, diaphoretica. *Dosis:* gutt. 30-60. Paratur ex rad. valerianae cum aethere sulphurico-alcoholico tinctura egregia, de qua vid. Sect. II additament.

II. SOLUTIONES SPIRITUOSAE COMPOSITAE.

TINCTURAE COMPOSITAE.

† *TINCTURA ACIDA AROMATICA.*

ELIXIR ACIDUM AROMATICUM.

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM.

Rec. Aetheris sulphurici acidi uncias quatuor,
Spiritus vini graduum viginti uncias octo,
Corticis Cinnamomi,
Radicis Zingiberis, utriusque unciam dimidiam.

Mixti ante liquores addantur aromatibus contusis, digerantur per octiduum vase clauso frigide, dein per chartam colentur, et Tinctura servetur usui.

Not. 485. Imitantur hae tincturae et similes elixir vitrioli Mynsichti, ex variis aromatibus digestione cum spirit. vin. rectificat. paratum et spirit. vitriol. decima tertia parte mixtum. *Dosis:* gutt. 30-50 cum vino. *Elixir vitrioli acidum Ph. Ed.* 1784 R. spirit. vin. rectificat. libr jj; instill. paulatim acidi vitriolici unc. Vj diger. calore lenissimo in vase clauso per triduum, dein adde cinnamom. unc. jß Zingiber. unc. j fol. menth. piper. unc. ß diger. rursus in vase clauso sex dies. Dein per chartam col. adhibito infundibulo vitreo. Ex tempore parari potest ex tincturae aromatic. Ph. Boruss. part. j et acid. sulphuric. concentr. part. $\frac{1}{24}$ (*Tinctura aromatica acida Ph. Boruss.*)

TINCTURA ALOËS AQUOSA.

TINCTURA ALOES.

Rec. Aloës Succotrinae, in pulverem redactae, unciam dimidiam,
Extracti Liquiritiae unciam unam cum dimidia,
Aquae depuratae,
Spiritus vini graduum quindecim, utriusque uncias octo.

Digerantur leni calore subinde agitanda, donec solvatur Extractum, dein per chartam cola. Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 486. Elucet hanc tincturam aloës a tinctura aloës simplici aquae et extr. liquirit. admixtione et mi-

nore aloës quantitate ($\frac{1}{32}$) differre, atque facili negotio ex tempore parari posse.

TINCTURA ALOËS COMPOSITA.

ELIXIR APERITIVUM. TINCTURA ALOES CUM MYRRHA, loco ELIXIRIS PROPRIETATIS.

ELIXIR PROPRIETATIS.

Rec. Myrrhae,
Aloës Succotrinae,
Croci, singulorum unciam unam,
Spiritus vini graduum viginti uncias triginta.

Crocum tenuiter incisum cum spiritu vini leni calore in cucurbita alta viginti quatuór horas digere: tincturam post croci expressionem collectam defunde in aliam cucurbitam, vel phialam chemicam, Aloën et Myrrham tritas continentem; deinde triduum, subinde agitans, iterum digere; postquam subsedit materies, qui supernatat liquor, a faece caute separetur, vel etiam per chartam bibulam colatur.

Not. 487. Elixiriis proprietatis prisci medici nimium confidebant, rarissime indicatis, a Paracelso primum procacibus suis scriptis diffamatis. Est tinctura aloës composita pharmacopoeae Batavae ad formulam Paracelsi mixta, omisso acido sulphurico diluto. *Elixir proprietatis cum acido Paracelsi* R. aloës succotr. myrrh. ana unc. jj croci unc. j. affund. spirit. vin. rectificat. per octid. cum spirit. sulphur. unc. jjj digesti libr. jβ; stent in digestione per aliquot dies; liquorem tinctum effunde atque specieb. denuo adde spirit. ejusmodi libr. β.

Post digestionem extractiones misc. et filtr. Dosis gr. 20-30. *Elixir proprietatis cum acido Boerhaavii* R. myrrh.; aloës, croci, ana unc. j affund. acet. vini libr. jV. Immittantur cucurbitae vitreae, ebulliant lenissimo igne per aliquot horas. Frigefacta requiescant, ut faeces subsideant; liquorem clarum per inclinationem a faecibus effunde, residuo adde acet. vini libr. jj ebull. iterum. Frigesc. quiesc. effund. clarum et cum priori extractione per telam raram col. Tincturas mixtas leni igne ex cucurbita vitrea destilla, ut unc. X restent, quibus adde spirit. vin. rectificatiss. unc. X; diger. filtr. et serv. Dosis dr. ß - dr. jj. Laudatur ab autore in febre intermittente, scorbuto, hypochondriaco malo, ictero, et cachexia, externe in depurandis ulceribus saniosis et putridis. Ex tempore parari possunt elixiria similia ex tinctura aloës simplici cum acidi sulphurici dilut. part. septima, aut aetheris aceti alcoholici part. aequalibus.

† *TINCTURA AMARA COMPOSITA.*

ELIXIR STOMACHICUM.

R. *Radicis Gentianae uncias duas,*
Corticis Aurantiorum Hispalensium siccati unciam unam,
Canellae albae semunciam,
Spiritus vini graduum quindecim libras duas.
Macera dies quatuor, et per chartam cola.

Not. 488. Variant in pharmacopoeis tincturae amarae compositae, nec operae pretium esse videtur, plures enumerare. *Dosis:* gutt. 60-80. Ex tempore ex variis tincturis simplicibus componi possunt, e. g. ex tinctura gentianae cum tinctura galangae s. aliis.

PRINCIPIA SOLITARIA ORGANICAE ORIGINIS ET EX ILLIS PRAEPARATA.

Mucilago.

MUCILAGO ARABICI GUMMI.

Rec. Gummi Arabici, in pulverem redacti,
Aquae fervidae, pondera paria.

Solve gummi terendo cum aqua, per vices affusa, ut fiat Mucilago.

Not. 489. Variat proportio gummi et aquae in mucilagine arabici gummi pharmacopoearum. Optima est praescripta. Vid. not. 63. *Vis:* nutriens, involvens. *Usus* interne et externe. Ad formandas pilulas, nec illis exceptis, quae metalla continent, utilissima. Ut subigantur dr. jj olei unguinosi cum aquae unc. j requiritur dr. j hujus mucilaginis.

MUCILAGO CYDONIORUM SEMINUM.

Rec. Seminum Cydoniorum drachmas duas,
Aquae, quantum sufficit.

Sub lenissima ebullitione Mucilaginis consistentiam acquirant; dein per linteum cola.

Not. 490. *Germ.* Quittenschleim, *angl.* mucilage of quince seed, *gall.* mucilage de pepins de coings. Notandum acetitem plumbi ex mucilagine seminum cydoniorum praecipitatum copiosum separare, flocculentum, praealbum in acido nitrico non solubile. Murias ferri mutat colorem mucilaginis in coeruleo-viridem. *Vis:* involvens, leniter adstringens. *Usus* praecipuus externe

in ophthalmiis. Nonne in his inflammationibus antecedit mucilaginibus gummi arabici et tragacanthae principio scytodephico, quantulumcunque ei inhaereat? Vid. not. 131.

MUCILAGO TRAGACANTHAE GUMMI.

Rec. Gummi Tragacanthae, in pulverem redacti, partem unam,
Aquae ferventis partes quatuordecim.

Gummi pulveratum, sub continua, at leni, affusione aquae fervidae, tamdiu teratur, donec soluta sit in mollem et aequabilem Mucilaginem.

Not. 491. Mucilago gummi tragacanthae, quam pharmacopoea Batava parari jubet, nimis spissa fit. *Vis:* nutriens. Digesta difficilior mucilagine gummi arabici. *Usus.* Miscentur ejus auxilio resinae, gummi-resinae et olea cum aqua. Pilulae autem cum ea compositae ob citam indurationem non copiose praescribi debent; alias enim non facile solvuntur, adeoque sine effectu excernuntur.

Pingue Fixum Vegetabile.

Oleum Expressum.

OLEUM AMYGDALARUM.

Rec. Amygdalarum recentium, quantum velis.

Contusas ope pistilli lignei in mortario lapideo, pannoque cannabino inclusas, prelo committe et absque calore oleum exprime.

Eodem modo parentur

OLEUM HYOSCYAMI, ex seminibus Hyoscyami nigri, et

OLEUM RICINI, ex seminibus Ricini communis, exteriore tegumento probe liberatis.

Not. 492. *Germ.* Mandeloel, *angl.* oil of amond, *gall.* huile d'amandes. Amygdalae dulces sine calore expressae porrigunt $\frac{3}{10}$ olei, vapore autem aquae fervidae emollitae, laminisque aqua calida tepefactis sub compressione inclusae $\frac{2}{5}$. Oleum sit pellucidum, flaviusculum et fluidum. Pondus specificum olei amygdalarum est 0,917. Nondum congelascit oleum ad gr. † 12 Th. F. Alcohol calidus solvit $\frac{1}{6}$. Ad rancorem quam maxime proclive est. *Vis:* demulcens, nutriens, laxans. *Usus* in colica, verminosa et spastica, obstructione alvina. *Dosis:* unc. j-jj. *Emulsio oleosa* R. olei amygdalar. unc. j mucilag. gummi arabic. unc. ß aqu. commun. unc. jjj. *Linctus leniens pharm. suec.* R. gummat. arab. pulver. dr. jj aqu. ceras. unc. ß; in mortario vitreo triturando adm. olei amygdal. recent. syrup. amygdal. ana dr. Vjj. Dent. cochlearcula plura.

Oleum hyoscyami anodynum est, plurimumque externe eo utuntur medici. Vid. not. 503. Pluries nutrimento lampadum sine damno inservivit.

Oleum Ricini. Condensatur ad gr.° Th. F. solvitur quadam ex parte in alcohole et aethere sulphurico. Pondus specificum est 0,954. Si semina ante expressionem non comminuuntur, oleum educitur minus mucilaginosum et acre. Venale ob rudem modum, quo exprimitur, et acredinem nimiam e cortice admixtam, rejiciendum est. *Vis:* laxans. *Usus* in obstipatione alvina. *Dosis:* unc. j. *Oleum ricini artificiale* R. resin. jalappae gr. jX sapon. venet. gr. jjj conter. cum olei olivarum aut pro ditioribus cum olei amygdal. unc. jß. Dosis adultis omni hora aut bihorio cochl. j. *Voglerus* (pharmac. select.) proscribere suadet oleum ricini ex officinis et ejus loco

hoc artificiale in usum vocare. Discrimen autem sat magnum inter utrumque facile perspicitur. Vid. not. 246.

OLEUM CACAO.

BUTYRUM CACAO.

Rec. Seminum Cacao, inprimis Surinamensium, quantum velis.

Haec leni igne torreantur, ut ita facilius cortice nudari possint. Dein in pulverem comminuantur, saccoque linteo inclusa, vapori aquae ebullientis exponantur, et postquam ita totam massam intime penetravit vapor, saccus prelo moderate calido committatur. Oleum butyraceum hac ratione expressum, leni igne liquatum, per linteum trajiciatur; aqua dein calida digeratur per aliquot horas et refrigeratum eximatur.

Not. 493. *Germ.* Cacaobutter, *gall.* Beurre de cacao. Sit oleum cacao consistentia sevi bubuli, minus tamen unguinosum, nec inquinat taliter digitos. Recens subflavum est atque sensim album colorem contrahit, odore et sapore seminum praeditum. Pinguedine quadam animali adulteratum butyrum cacao mox rancorem prodit, atque saporem ingratum. *Vis:* nutriens, demulcens. *Usus.* Laudatur interne ut eximium in cardialgia a ventriculi excoriatione producta. Detur ter in die dr. j cum jusculo carnis vitulini aut vitello ovi (*Lentin*).

Pingue Fixum Animale.

Pinguedo Animalis.

AXUNGIA PORCI DEPURATA.

Rec. Axungiae porci, quantum placet.

Ablatis membranis, concide in frustula, ac aqua tamdiu ablue, donec limpida et colore privata inde redeat. Haec in cacabo ferreo mundissimo modico igne, dum cochleari ligneo subinde subigatur, liquefiat: axungia fluida quam primum auferatur, dein per linteum colata ac vasi figulino commissa in loco frigido servetur.

Eodem modo depurentur

SEVUM OVILLUM, aliorumque animalium Adeps.

Not. 494. Funditur axungia porci ad gr. 97 Th. F. Vid. not. 332.

Pingue Fixum et Oxygenium.

AXUNGIA OXYGENATA.

Rec. Axungiae porci depuratae partes sedecim,
Acidi nitrici partem unam.

Leni igne liquefactae axungiae addatur acidum, et sub continua cum bacillo vitreo agitatione tamdiu moderato calore liquida servetur, donec chartam coeruleam, succo Lakmoes coloratam, non amplius tingat.

Erit albissima, omni, quantum fieri possit, acido adhaerente liberata, vase clauso in loco obscuro servanda.

Not. 495. *Germ.* Sauerstoffhaltiges Schweinefett, *gall.* Axonge de porc oxigené, *ital.* pomata ossigenata (unguento

termossigenato). Insipida est axungia oxygenata odore quodam axungiae rancidae et colore flaviusculo, duritie cerati. Producta nimium exaestuatione in axungia decompositio incipit. Color flavus in fuscum vergit, carbonio cum oxygenio in gas mutato, quod avolat. *Vis:* cathaeretica. *Usus* singularis in tinea capitis, scabie variaque herpete. Errat autem sane *Brugnatelli* cum contendit „questa specie d'unguento puo supplire a „tutte le specie di grascie, e di oli resi consistenti dal „tempo collo loro combinazione al termossigeno chia„mati olji balsamici, o termossigenati ad arte per mezzo „di termossidi metallici" (*Farmacopea ad uso degli spedali* 1803 *pag.* 188 *et* 193). Nominat *Wylieus* axungiam oxygenatam *unguentum nitricatum.* Pertinet ad axungias oxygenatas *sapo acidus Achardi,* qui paratur ex acidi sulphurici p. jj et olei unguinosi p. jjj, et a *Carminati* in hydrope et ictero adhibitus est (gr. XX-XXX).

OLEUM OLIVARUM OXYGENATUM.

Rec. Olei olivarum uncias sedecim.

Inmitte in excipulum amplum, in aqua frigida, aut nive, si praesto sit, locatum. Applica huic retortam tubulatam longioris rostri, in quam immitte

Muriatis sodae libram unam,
Oxydi magnesii nigri uncias quatuor,
Acidi sulphurici depurati, dimidia parte aquae diluti, libram dimidiam.

Vasa luto non jungantur propter vapores acidi muriatici, qui continuo erumpunt. Ignem jam suppone sub camino adeo lenem, ut oleum vix incalescat, et acidum oxygenatum larga superficie excipiat et decomponat in hunc modum,

ut naribus, ad vasorum commissuras admotis, vix percipi queat. Ignis ita per biduum aut triduum, et aestuosis diebus, per quatriduum saltem sustinendus. Excipuli, praesertim matutino tempore refrigerati, concussio, qua identidem mutetur olei superficies, commendanda; praesertim si major sit quantitas, propter quam hic labor suscipitur. Hac ratione praeparatum oleum oxygenio, et, quod semper cum illo est conjunctum, calorico ita sit saturatum, ut spissioris syrupi habeat consistentiam. Hoc tandem, aqua frigida affusa, a pauco adhaerente acido muriatico liberetur, vasisque exacte clausis in loco frigido et obscuro servetur.

Not. 496. Non multum discrepat oleum olivarum oxygenatum ab antecedenti, nec video, quare hoc non sufficiat in officinis. Laudatur pariter a *Deimanno* in tinea capitis et ulceribus herpeticis.

Pingue Fixum et Sulphur.

Balsamum.

OLEUM LINI SULPHURATUM.

OLEUM SULPHURATUM. E.

BALSAMUM SULPHURIS SIMPLEX.

Rec. Olei lini uncias octo,
Sulphuris depurati uncias duas.

Sulphur prudenter coque lenissimo igne cum oleo, donec solutio obtineatur.

Not. 497. Olea pinguia difficilius solvunt sulphur quam aetherea; recipiunt enim quartam ponderis partem. Prorumpit sub solutione gas hydrogenium. Caute igitur et partitim addatur sulphur oleo ferventi. Excandescentia forsan exorta, licet accuratissime omnia a pharmaceuta sint peracta, operculum vasi ab igne remoto immittatur, bene delutandum. *Usus:* internus hodie rarissimus. *Dosis:* gutt. 12-20. Laudabatur ut digestivum externe. *Oleum lini sulphuratum anisatum* R. olei lini sulphurat. dr. V olei anisi aetherei dr. j. Dosis: ter et quater de die gutt. 10 cum saccharo. Laudatur in raucedine catarrhali (*Marryat*); sed cauti simus in ejus usu, periculis nondum satis probato.

Pingue Fixum et Alcali.

Sapo.

† *SAPO ALBUS.*

SAPO MEDICATUS.

R. C. *Carbonatis sodae alcalini,*
Calcis ustae, utriusque libras quatuor,
Aquae libras viginti.

Ebulliant simul. Liquor causticus per linteum colatus, et in vase clauso subsidendo depuratus, evaporetur, donec ejus unciae octo compleant vas, quod caperet uncias sex aquae communis. Liquori frigefacto in vase figulino admisce

Olei olivarum optimi duplum.

Seponatur vas loco temperato, et agitetur massa per vices spatula lignea, donec homogenea ap-

pareat, et spissescere incipiat. Effundatur tum in cistas ligneas planas. Indurata scindatur in taleolas, loco temperato exsiccandas.

Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Simili modo paretur

SAPO DE CACAO.

Sed leni adhibito calore, quantum sufficit, ut liquefiat Butyrum Cacao.

Not. 498. *Germ.* Gemeine Seife, *angl.* common Soap, *gall.* Savon par soude. Continet sapo recens olei 60,94, natr. 8,56 et aquae 30,50. Solvitur aqua et alcohole. *Vis:* antacida, incidens. Decomponit sapo salia metallica, eaque obtundit, calculum urinae solvit. Vid. not. 356. *Usus* in obstructione viscerum abdominalium, calculo vesicae urinariae, veneficiis a salibus metallicis, et in soda. Immoderatus ventriculum languefacit. Dosis: gr. X-XX. *Pilulae saponaceae* R. sapon. medicat. unc. jV, in mortario lapideo c. s. q. olei olivar. emollitis adm. pulv. rad. alth. dr. jj℥; f. pilul. pond. gr. V. Dent. pil. j-jV per diem. (*Parmentier cod. ph.*) Loco rad. althaeae cum spirit. vin. statim solvi potest sapo, ut. f. pilul. *Lohoch saponaceum Ph. Ed.* 1768 R. sapon. hisp. (melius medicat.) dr. j olei amygd. unc. j syrup. e succo limon. unc. jß (melius syrup. de alth.) Infantibus non ingratum. Dosis dr. jj-unc. ß. *Spirit. saponatus Ph. Boruss.* R. sapon. hispan. s. medic. libr. j spirit. vini rectificat. libr. jjj aquae rosar. libr. j. Sugillationes leviores optime discutit. — Cum oleo terebinthinae et potassa fit *sapo terebinthinatus* (sapo Starkeyanus), cum resinis varii sapones resinosi, ut: sapo guajaci et alii. Prior olim ut diureticum commendatur, et externe ut discutiens. *Decomponitur* sapo medicatus acidis, alumine, muriate barytae, muriat. hydrarg. acetite plumbi, sulphate zinci. Vid. not. 265.

SAPO AMMONIAE.

LINIMENTUM VOLATILE. LINIMENTUM AMMONIAE.

Rec. Carbonatis ammoniae alcalini liquidi unciam dimidiam,

Olei olivarum unciam unam cum dimidia.

Solve agitando in phiala.

Not. 499. Loco saponis ammoniae sequens sine dubio sufficiet, in quo ammonium verum saponem cum oleo componit.

SAPO AMMONIAE FORTIOR.

LINIMENTUM VOLATILE FORTIUS. LINIMENTUM AMMONIAE FORTIUS.

Rec. Ammoniae purae liquidae unciam unam,

Olei olivarum uncias duas.

Solve agitando in phiala.

Not. 500. *Germ.* Flüchtiges Liniment, *angl.* ointment of ammonia, *gall.* Liniment volatil. Eximie discutit, nec irritat non solum cutim loco, quo inungitur, sed consensu concitat totum systema coriaceum, quod interdum mador in tota superficie corporis repetitos illinitus locales secutus est. Addita decimâ sexta parte camphorae nuncupatur *linimentum ammoniatum camphoratum*, et tincturae cantharidum quarta, linimentum fit nervinum in membris paralyticis stimulandis probatum.

† *SAPO JALAPPINUS.*

Rec. Resinae Jalappae,

Saponis albi, utriusque uncias duas,

Spiritus vini rectificati graduum viginti, quantum sufficit, ut solvantur leni digestione.

Tum ad massae pilularis consistentiam evaporentur.

Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 501. Requiruntur circiter unc. XVj spiritus vini, ut solvatur mixtum ex resinae jalappae et saponis. Evadit sapo jalappinus vilioris pretii, si resina jalappae cum sapone in catina depressa terrea et vitreata auxilio agitationis cum pistillo ligneo exacte unitur. Bonus praeditus est colore brunneo-cinereo sub trituratione vividiore, atque sapore jalappino nauseoso, in sextuplo aquae destillatae calidae penitus solubilis.

Tinctura saponis jalapp. R. sapon. jalapp. syrup. de Alth. ana gr. X. tinct. cinnamom. gr. XX. D. adultis una vice.

Tinctura sapon. jalappin. alia R. sapon. Jalappin. unc. XVj spirit. vin, rectificat. unc. XXXjj. adm. syrup. simpl. alb. unc. XVj tinct. kalinae, olei menth. piperit. ana dr. j. Dosis dr. β-dr. j adultis. In officinis Wittenbergensibus usualis habetur (*Dörffurt*).

Pingue Fixum et Partes Extractivae.

Olea Infusa.

OLEUM CHAMAEMELI INFUSUM.

Rec. Florum Chamaemeli vulgaris, recens siccatorum, uncias sex.

Abjectis flosculis radii albis, flosculis disci flavis affundantur

Olei olivarum librae duae.

Digere in vase clauso per plures horas balneo maris, postea oleum exprime. Sepone, ut partes crassiores subsidant; tandem oleum limpidum effunde, et vase clauso serva.

Eodem modo parentur

OLEUM ABSINTHII, EX SUMMITATIBUS SICCATIS.

OLEUM HYOSCYAMI NIGRI, EX HERBA RECENTI.

OLEUM HYPERICI, EX SUMMITATIBUS SICCATIS.

OLEUM LILIORUM ALBORUM, E PETALIS RECENTIBUS.

Not 502. Olea infusa cito rancescunt, atque numerus eorum in officinis non est multiplicandus. Simili modo conficiunt unguentarii olea olfactoria, quae sub nomine Pommaden divenduntur. Immittuntur flores plantarum grate olentes ut flores naphae, — hyacinthi, tiliae, rosarum, convallariae, narcissi, polyanthis tuberosae aliarumque et gossypium oleo behen, vel oleo amygdalarum madefactum per strata cystis bracteatis super crates intersertas. Leni digestione per triduum continuata olea prelo stanneo exprimuntur. Inter olea infusa in pharmacopoea Batava consignata sufficiunt oleum chamaemeli infusum et oleum hyoscyami nigri infusione pronatum Externe adhibentur ut anodyna. *Buschius* paravit oleum hyoscyami ex herb. hyoscyami recent. unc. jj cum olei olivarum vel amygdal. unc. Vjjj coct. atque commendat mixturam ex parte una hujus olei cocti cum partibus olei amygdalarum jj ter de die in haemoptysi et quidem cochlearcula tria aut quatuor prò dosi. *(Busch über die Lungensucht p.* 72).

Pingue Fixum et Metallica.

Unguenta, Emplastra potissimum Saturnina.

Unguenta et Emplastra, quae maximam partem ad composita, in Sectione tertia relata, pertinent, eo referantur cuncta, etiam quae proprie hujus loci forent.

Pingue Volatile seu Aroma Minerale.

OLEUM SUCCINI DEPURATUM.

Rec. Olei succini, sub praeparatione Acidi succini collecti, quantum velis.

Oleum hoc cum sextuplo aquae ex retorta vitrea, apposito excipulo et firmatis juncturis, destilla leni igne, donec duae tertiae partes aquae transierint. Prudenter dein oleum separa et vasis clausis serva.

Not. 503. Oleum succini pellucidum est et subflavum odore non ingrato, sapore aromatico. Secundum dispensat. Lippiacum id destillatur ex libr. jj ciner. lignor. et olei succini empyreumatici libr. j cucurbitae vitreae immissis. *Vis* antispastica. *Usus* in hysteria. *Dosis* gutt. V-XV cum saccharo aut aethere aut aethere alcoholico.

Pingue Volatile, seu Aroma, Vegetabile.

Oleum Aethereum, sive Destillatum.

REGULAE PRO PARANDIS OLEIS AETHEREIS.

1. Corpora, e quibus oleum aethereum per destillationem est separandum, sint recens siccata, nisi contrarium expressis verbis praecipiatur. Exsiccatio autem optime fiat leni furni calore super laminam metallicam. Si autem modo ordinario fiat, locus umbrosus eligatur.

2. Probe curandum, ut haec corpora colligantur eo tempore, quo maximarum esse virium deprehenduntur.

3. Debent pro varia indole ante destillationem conscindi, contundi, in pulverem teri.

4. Maceratio aliquot dierum pro durioribus, addito aquae sale communi, hîc commendanda.

5. Destillatio ope aquae additae fiat ex vesica cuprea, intus probe stanno obducta, cui alembicus imponatur ex stanno puro confectus, cum adnexo vase frigidario amplo, hujusque canali, itidem ex stanno puro confecto, ne ulla ratione vapores ex indole acida, quae in multis manifesta est, venenatam qualitatem contrahant.

6. Vesica quantumpote replenda est, ita tamen, ut ne turgens sub operatione materies in

alembicum adscendat. Quo enim majus spatium supra destillanda detur, eo difficilius oleum adscendit. Parcior etiam aquae copia est adjicienda, modo haec sufficiat pro vehiculo olei, et simul empyreuma evitetur.

7. Ignis mox ab initio operationis ita augendus, ut aqua ebulliat. Quo citius operatio absolvatur, eo minus calori exponitur oleum, et hinc minus patitur fragrantiae detrimentum.

8. Continuetur destillatio, donec duae tertiae partes aquae adhibitae transierint, aut potius eo usque, donec nullum amplius oleum transeat. In corporibus durioris compagis aqua prolicita, oleo separato, residuo affundatur, quum saepe secunda, quin imo tertia cohobatione olei quicquam transeat.

9. Aquam abstractam, quum multum olei solutum habeat, et eo quasi sit saturata, recentibus corporibus affusam, destillatione plus olei elicere, quam si utaris aqua simplici, facile intelligitur.

10. Potest etiam magna olei pars, quam aqua in hac operatione suscipit, inde separari destillatione: oleum quippe volatilius aquae connubium relinquit et cum primis aquae libris transit.

11. Olea ab aquis separanda 1°. infundibulo vitreo, aut 2°. filis gossypinis, quae altero apice in oleum, altero in lagenulam, excipuli collo appensam, demergunt. Haec et alia multa Pharmacopoei judicio sint relinquenda.

12. Olea aetherea, cum saccharo trita, Elaeosacchara constituunt. Drachma dimidia olei in hunc finem cum uncia una cum dimidia sacchari albi teratur.

Ad has regulas ergo parentur

OLEUM ANISI, E SEMINIBUS.

OLEUM AURANTIORUM, E CORTICE FRUCTUUM.

OLEUM CARVI, E SEMINIBUS.

OLEUM CITREORUM, E CORTICE FRUCTUUM.

OLEUM FOENICULI, E SEMINIBUS.

OLEUM JUNIPERI, E BACCIS.

OLEUM LAVENDULAE, E SPICIS FLORENTIBUS.

OLEUM MENTHAE CRISPAE, EX HERBA.

OLEUM MENTHAE PIPERITIDIS, EX HERBA.

OLEUM RORISMARINI, EX HERBA.

OLEUM RUTAE, EX HERBA CUM SUMMITATIBUS.

OLEUM TANACETI, EX SUMMITATIBUS.

Not. 504. Fiunt ex oleis aethereis cum saccharo *elaeosacchara*, quae per se dantur, aut pulveribus adteruntur. Adstillantur gutt. 24 sacchar. alb. unc. uni.

Oleum anisi aethereum. Ex omnibus oleis aetheriis blandissimum. Saccharo ad aliquot guttulas inspersum contra flatus datur et colicam flatulentam. Guttulae Vj-X spiritus vini unc. β solutae et enemati additae aeque utiles in his affectibus canalis intestinalis observantur. Capillis injectum pediculos necat.

Oleum aurantiorum aethereum. Obtinetur et destillatione et expressione; fit aetate fuscum. Mora aliquot

annorum deponit hoc oleum concrementum nondum satis notum. Dentur aliquot guttulae cum saccharo in spasticis constrictionibus ventriculi et intestinorum. Vid. not. 70.

Oleum carvi aethereum insigniter exaestuans et penetrans. Datur interne et externe contra flatus.

Oleum citri aethereum absque sola expressione e cortice fructuum eductum *(oleum del cedro)* suavioris odoris est, et crassius destillato, sed degenerat citius ob mucilaginem immixtam. Parvulis lagenis vitreis inclusum ex Italia ad nos transfertur. *Oleum Syrae* vel *Zierae* tenacius ex Belgia transmissum cum eo convenire videtur. *Vis* carminativa, analeptica.

Oleum foeniculi aethereum flavum blandum et subdulce. Frigore coit in spissitudinem butyraceam. *Dosis* gutt. jj-Vj.

Oleum juniperi aethereum acre et exaestuans, subviride. *Vis* stomachica et diuretica. Dosis gutt. jj-X. Externe linimentis diureticis et nervinis utiliter additur.

Oleum lavendulae aethereum acre, colore laete flavido. *Vis* nervina. *Dosis* gutt. jj.

Oleum menthae crispae aethereum pallide flavum sensim profunde rubrum. *Vis* carminativa. *Dosis* gutt. jj-V.

Oleum menthae piperitid. aethereum colore ex viridi luteo aetate profundiori, sapore fervido, atque odore forti. *Vis* carminativa, nervina. *Dosis* gutt j-jj. *Rotulae menthae piperitidis* R. sacchar. Canariens. subtiliss. trit. dr. XjVβ immitt. cacabo minori et supra prunas leni igne eo usque calefiant, donec manus inversa calorem sacchari non amplius poterit tolerare; tunc illico admisceatur sequens jam praeparatum elaeosaccharum: sacchar. canariensis dr. jβ instill. olei aetherei menth. piperit. dr. β et gr. XV. postea celeriter cum bacillo longiori agitetur et aeque celeriter guttatim in laminam metallicam mundam et prius oleo amygdalarum illitam effunditur. Rotulae refrigeratae vitro cylindrico claudendo immissae, tempore hyemali fornacis calori leni et

aestivo radiis solis exponantur, ut lente exsiccentur et durae ac albae evadant. Dosis tres vel quatuor rotulae. Minus operose hae rotulae fiunt, si libr. ß tabularum, quas pistores cupediarum Tabulas manûs Christi nominant, et ex sacchar. canariens. et aqua rosarum componunt, commiscetur cum olei menth. piperit. dr. ß in spirit. vin. rectificatiss. dr. jß soluta in patina sinensi, donec tabulae imbiberunt spiritum menth.

Oleum rorismarini aethereum vel flavidum vel subviride tenue, insigniter fragrans. Aetate odorem camphorae spirat, et hanc deponit in collo retortae super calcariam ustam destillatum. *Vis* nervina. *Dosis* gutt. jj.

Oleum rutae aethereum sapore moderate acri, odore vel flavido vel subbrunneo. *Vis* nervina. *Dosis* gutt. jj.

Oleum tanacetum aethereum colore ex viridi luteo, odore herbae. *Vis* anthelmintica. *Dosis* gutt. jj. Linimentis anthelminticis admiscetur. Vid. not. 548.

Pingue Volatile, seu Aroma, Animale.

OLEUM PYRO-ANIMALE.

OLEUM EMPYREUMATICUM ANIMALE.

OLEUM CORNU CERVI FOETIDUM.

Rec. Ramenta Cornu Cervi, vel mammalium ossa omni pinguedine accurate liberata, et in frustula redacta, quantum velis.

Immitte in retortam ferream vel terream furno impositam, ut ignem possit experiri apertum; applica cum tubo vitreo intermedio excipulum amplum, foramine in ventris parte superiore instructum; juncturas omnes accurate claude, re-

licto foramine, pro lubitu aperiendo, ut vaporibus valde elasticis concedatur exitus. Ignem instrue initio lenem, dein sensim augendum, donec retortae fundus candeat.

Ubi apparatus ad refrigerium rediit, seorsim collige sublimatum sal, liquorem alcalinum et oleum, quae excipulum continet.

Oleum aqua calida ita ablue, ut salini nihil adhaereat, de aqua iterum separa, et serva.

Not. 505. Germ. Brennzlichtes Thieroel, *angl.* Oil of horns, *gall.* Huile animale empyreumatique. Sane virtute saepius praestat depurato. *Vis* anthelmintica, antihysterica, sedativa, diaphoretica, externe discutiens et resolvens. *Usus* in hysteria, epilepsia et multis aliis morbis, in quibus nervi turbantur. Mane et vesperi gutt. 30-40 datis per mensem epilepsia sanata est *(Werlhoff)*. In foemina, hystericae colicae frequenter obnoxia insultus illico sedati sunt quatuor olei pyro-animalis guttulis, saccharo pulverato exceptis *(Schulz)*. Tumores glandularum scirrhosas saepius dissipavit. *Medicina veterinaria.* Oleum pyro-animale foetidum acaris, qui in ulcusculis scabiosis ovium nidulantur, infestissimum est. *Lotio antiscabiosa in scabie ovium* R. calcis ust. p. jV aqu. q. s. ut in pulmentum redigatur carbonat. potass. p. V (aut cineris fagi p. 60) liquoris stercorei (Mistgauche) q. s. ut unguenti forma oriatur, olei pyro-animalis p. Vj pic. liquid. p. jjj. denuo adm. liquor. stercorei p. 200 et aquae p. 800. Componitur in hac mixtione carbonas ammoniae cum sapone piceo, qua oves 500 scabiosi madefieri possunt. Intra sedecim dies grex dicta ter hac lotione purgata nec pluviae exposita plane sanatur. (*Walz Natur u. Behandl. der Schaaf-Räude*).

OLEUM PYRO-ANIMALE DEPURATUM.

OLEUM ANIMALE DIPPELII. OLEUM CORNU CERVI RECTIFICATUM.

Rec. Olei pyro-animalis, quantum velis,
Pulveris Carbonis vegetabilis quartam partem ponderis olei adhibiti.

In retortam vitream, collo amplo instructam, prudenter haec immitte; cave ne parietes oleo inficiantur; appone excipulum vitreum, ac juncturas accurate claude. Destilla porro ex balneo arenae igne lenissimo, quamdiu oleum decolor prodit, quod lagenis vitreis exiguis, accurate replendis, epistomio vitreo probe firmandis, ac sub aqua collocandis, serva.

Not. 506. Oleum pyro-animale depuratum, pellucidum, odore non ingrato, sapore amariusculo, accessu aëris in oleum pyro-animale foetidum transmutatur. Hanc ob causam probe servandum est. *Vis* eadem ut in antecedente nota dictum est, forsan minor. *Dosis* eadem, cum saccharo aut aethere alcoholico soluta.

Pingue Volatile, seu Aroma, et Aqua.

Aquae Destillatae Aromaticae.

REGULAE PRO PARANDIS AQUIS DESTILLATIS AROMATICIS.

1. Corpora, huic operationi subjicienda, sint recenter siccata, nisi contrarium expressis ver-

bis praecipiatur. Eximendae hinc herbae antiscorbuticae, et in universum illae, quarum principium volatilissimum siccando nimium avolat; ut sunt flores Rosae, Aurantiorum, Liliorum convallium, cet.

Exsiccatio autem optime fiat leni furni calore super laminam metallicam. Si autem modo ordinario fiat, locus umbrosus eligatur.

2. Debent pro varia indole ante destillationem conscindi, contundi, in pulverem teri. Si duriora fuerint, maceratio per unum aut plures dies requiritur, sive lenis ignis per horas aliquot sub operationis initium applicandus, ut ita facilius particulae activae expellantur et aqua suscipiantur. Cave autem ne flores, volatilissimo principio donatos, hac ratione tractes; hi enim contusi omni fragrantia orbantur.

In universum maceratio viginti quatuor horarum commendanda.

3. Vesica cuprea, ad destillationem adhibenda, intus probe stanno sit obducta, et alembicus semper ex stanno puro sit confectus, ne ulla ratione, quae continetur aqua, propter indolem acidam, quae in multis manifesta est, possit veneno cupri inquinari.

4. Vesica non ultra duas tertias partes repleatur, ne durante ebullitione materia attollatur, in alembicum elevetur et ita operationem turbet.

5. Aquae tantum debet addi, ut, postquam prolicita inde fuerit debita quantitas, sufficiens in vesica relinquatur copia ad praecavendum empyreuma.

6. Ignis, si debita praegressa fuerit maceratio, ad lenem ebullitionem augendus, ut rivuli in modum liquor in excipulum defluat, et curandum, ne in dolio refrigeratorio aqua nimis incalescat, ut omnis vapor condensetur, antequam in excipulum perveniat.

7. Pro illis corporibus, quorum oleum est admodum ponderosum, tam pro olei, quam pro olei, quam pro aquae destillatione vesica humilior et minor, quam vulgaris, est sumenda; aut in retorta vitrea, adnexo excipulo, operatio est instituenda. Illud valet de Lauroceraso, etiam de Cinnamomo. Praeterea hoc valet de substantiis admodum praetiosis, quae raro, nisi parca quantitate, huic operationi subjiciuntur. Vitrea etiam vasa pro corporibus acidis eligenda.

8. Si oleum in superficie aquae destillatae conspiciatur, inde separandum exacte.

9. Aquae abstrahendae quantitas vix potest determinari. In universum, quando aquae destillantis odor et sapor insigniter imminui deprehenduntur, sistenda operatio. Ut tamen minus in hac re expertis succurratur, sequentes adduximus proportiones, quae, si corpora sint

pro cujusvis varia indole omni dote efficacia, hîc possunt observari.

10. Ingratus aquarum recentium odor sponte perit, et frigore multum corrigitur.

11. Aquae ordinariae quotannis saltem recentes in officinis praeparentur.

12. Quod in vesica relinquitur, pro parando extracto potest inservire; modo salia non sint addita, quorum usus in universum hîc nequit commendari.

13. Olea aetherea ad guttas quasdam cum pauxillo sacchari trita, aut alcohole mixta, et aqua destillata soluta, aquarum medicinalium vices, si praesto non sint, commodo supplere poterunt.

Ad has regulas parentur aquae destillatae aromaticae sequentes, ea lege, ut ex adscripta unicuique corpori destillando quantitate decem librae aquae obtineantur.

AQUA CORTICUM AURANTIORUM, EX CORTICIS FRUCTUUM RECENTIS LIBRIS TRIBUS.

AQUA FLORUM AURANTIORUM, SEU NAPHAE, EX FLORUM RECENTIUM LIBRIS TRIBUS.

AQUA FOLIORUM AURANTIORUM, EX FOLIORUM LIBRIS TRIBUS.

AQUA CEREFOLII, EX HERBAE RECENTIS LIBRIS DUABUS.

AQUA CHAMAEMELI, EX FLORUM LIBRIS TRIBUS.

† *AQUA CINNAMOMI, EX CORTICIS LIBRA UNA.*

AQUA COCHLEARIAE, EX HERBAE FLORENTIS LIBRIS QUATUOR.

† *AQUA FOENICULI, EX SEMINUM LIBRA UNA.*

AQUA MAJORANAE, EX HERBAE LIBRIS DUABUS.

AQUA MENTHAE CRISPAE, EX HERBAE LIBRIS DUABUS.

† *AQUA MENTHAE PIPERITIDIS, EX HERBAE LIBRIS DUABUS.*

AQUA PETROSELINI, EX SEMINUM LIBRA UNA CUM DIMIDIA.

AQUA PIMENTAE, EX FRUCTUUM LIBRA DIMIDIA.

AQUA RORISMARINI, EX HERBAE LIBRIS DUABUS.

AQUA ROSARUM PALLIDARUM, EX PETALORUM RECENTIUM LIBRIS QUATUOR.

AQUA RUTAE, EX HERBAE RECENTIS CUM CAPSULIS SEMINALIBUS LIBRIS QUINQUE.

AQUA SAMBUCI, EX FLORUM LIBRIS TRIBUS.

Not. 507. Aquae destillatae vim medicam exercere possunt, quatenus e plantis prodeunt, quae volatiles partes complectuntur. Hoc non raro obliti sunt medici anterioris aevi. Itaque plane in efficaces sunt aqua acetosae, — lactucae — centaurei, — cardui benedicti —

similesque oblivioni traditae. Ejusdem prosapiae sunt magna ex parte *aquae quatuor cordiales* ex anchusa, borragine, fol. rosar. et viol. *aquae quatuor catarrhales* ex tussilagine, farfara, taraxaco, et veronica, *aquae quatuor pleuriticae* ex carduo benedicto, carduo mariae, scabiosa et taraxaco. His forsan annumerandam esse *aquam foliorum aurantiorum*, non dubito. Loco *aquae cerefolii, rorismarini* et *majoranae*, etsi efficacitate non destituantur *aquam cerasorum* et *rubi idaei* tam ob gratum saporem quam ob opportunitatem cum eis julapia componendi, nec non aquam salviae praeferrem. Abstrahantur ex cerasorum una cum nucleis contus. sicuti ex fructib. rub. id. libr. X librae viginti aquae *(Ph. Borussi.)* Aquae cerasorum similis putatur aqua amygdal. amar. quae fit ex amygd. amar. libr. j cum aquae mens. Xjj *Trommsdorff)*. Hic non omittendum esse puto, aquam cerasorum interdum convulsiones in infantibus provocasse, atque hac ex causa ab autoribus pharmacop. Londinensis rejectam esse. *Aqua cochleariae* non plane absimilis aestimatur aquae armoraciae. Si medicus igitur incidit prorsus in penuriam herbae cochleariae, hanc destillandam curet ex libr. jj rad. armoraciae autumno effossae cum aqu. libr. X. *Aqua pimentae* grate aromatica praeclarum menstruum est extractorum amarorum, fervore superata *aqua nucis moschatae* ex unciis duabus nucis dictae cum aquae congio uno elicita, nec autem suavitate. Quoniam *aqua sambuci* aestate saepius vapidum saporem contrahit, iterato destillatio fieri potest ex floribus sambuci cum sale mixtis, nisi infusum praeferatur. *Aqua liliorum alborum, — tiliae, — taraxaci* per fermentationem sunt parvi momenti atque jure neglectae. — In pharmacopoeis castrensibus et nosocomialibus modum aquas destillatas parandi nro. 13 pag. 493 edoctum potissimum esse recipiendum apparet.

AQUA LAUROCERASI.

Rec. Foliorum Laurocerasi recentium uncias sedecim,
Aquae communis libras tres.

Folia Laurocerasi minutim conscissa in retortam vitream immitte, iisque aquam affunde, et post debitam digestionem calidam viginti quatuor horarum destilla uncias sedecim leni igne.

Not. 508. *Van Mons* destillare docet hanc aquam magna vehementia praeditam ex solis foliis recentibus in mortario lapideo contusis. Non transibit autem sat magna aquae quantitas, nisi duplum aquae addita fuerit foliis. *Vis.* Aquae laurocerasi effectus fit acido borussico atque pariter deleteria esse potest. Vid. not. 177. Adaequata dosis irritabilitatem diminuit, dum sensibilitatem enormiter auget. Uncia dimidia produxit oppressionem, et frigoris sensum in universo corpore cum plenaria anaestesia *(Thilenius)*. Cochlearia duo, ex inscitia effectus deglutita, promtissime vitam exstinxerunt. *(Penchienati)*. *Usus:* in obstructione viscerum abdominalium, et stasi sanguinis, quam atrabilariam dicunt (*Kameron, Thilenius*). *Dosis* gr. 30-80 sensim augenda. Quaeritur an acidum borussicum non huic aquae in officinis praeferendum sit, ob virtutem et vim semper in eo aequales? Infundantur in retorta borussat. ferri et potassae p. jj acid. sulphurici concentrat. p. jj cum aquae part. jV dilutae. Excipulo cum alcohol. p. Vj applicato destillatio fiat continuanda fere usque ad siccitatem mixti. Liquor in excipulo denuo super magnesiam ustam destillatione transeat. Dein excipulo adhuc alcohol. p. jj immissis tam diu iterata destillatione pergat pharmaceuta, ut partes octo in excipulo contineantur. *Dosis* acidi borussi. initio gutt. Vj-Vjjj per nycthemerum *(Ittner)*. Vid. not. 177. *Medicina veterinaria.* Assertum Browne Langrish, aqua laurocerosi coryzam equorum pestiferam sanari posse, periculis in scholis veterinariis gallicis institutis non est comprobatum. Forsan symptomata quaedam morbi ut suffimigationes cum auripigmento mitigavit, at non multo post clandestinae corruptiones viscera bestiae, quae consanescere putatur, subvertere solent. *Antidota.* Potassa pura et ammonia.

Pingue Volatile, seu Aroma et Spiritus Vini

Spiritus Simplices et Compositi.

REGULAE PRO PARANDIS SPIRITIBUS.

1. Regulae pro parandis Aquis destillatis et Oleis aethereis datae, quae spectant corporum destillationi subjiciendorum collectionem eorumque praeparationem, instrumenta dein adhibenda, ipsamque destillationem instituendam, hîc in universum sunt observandae, nisi aliter praecipiatur.

2. Pro diversa corporum, destillationi committendorum, indole, spiritus vini sumatur diversorum graduum, prout ad unamquamque formulam indicabitur. Plerumque Spiritus vini graduum decem sufficit.

3. Spiritus destillati, potissimum simplices, qui de singulari corpore aromatico fiunt, sint in universum graduum novendecim, nisi oleum aethereum adeo ponderosum sit, ut spiritus ebullientis calore non transeat, ut in Cinnamomo; destillatio in tali casu erit protrahenda, ut Spiritus decimum gradum indicet. Talium etiam destillatio fiat in retorta aut vesica humiliore.

4. Ad destillationem Spirituum e corporibus, quorum principium activum admodum volatile est, balneum mariae commendatur.

5. In universum maceratio per unum alterumve diem ante destillationem vasis clausis convenit.

6. Affundatur destillandis aquae sufficiens quantitas ad empyreuma evitandum.

Ad has regulas parentur cum SIMPLICES, tum COMPOSITI.

I. SPIRITUS SIMPLICES.

SPIRITUS CARVI.

Rec. Seminum Carvi contusorum libram dimidiam,

Spiritus Vini graduum decem libras octo.

Post debitam macerationem destilla, ut Spiritus provocatus sit graduum novendecim.

Eodem modo parentur

† *SPIRITUS LAVENDULAE, EX SPICARUM LAVENDULAE FLORENTIUM LIBRIS DUABUS.*

SPIRITUS MENTHAE CRISPAE, EX HERBAE MENTHAE CRISPAE LIBRIS DUABUS.

SPIRITUS MENTHAE PIPERITIDIS, EX HERBAE MENTHAE PIPERITIDIS LIBRIS DUABUS.

SPIRITUS PIMENTAE, EX FRUCTUUM PIMENTAE TUSORUM LIBRA DIMIDIA.

† *SPIRITUS RORISMARINI, EX SUMMITATUM FLORENTIUM RORISMARINI RECENTIUM LIBRIS DUABUS.*

Not. 509. Spiritus, quorum praeparatio in ph. Bat. docetur, a tincturis potissimum eo differunt, quod fere

oleum aethereum plantae solummodo continent. Itaque patet, tantum ea corpora destillationi cum spiritu vini subjicienda esse, quae oleo aethereo prae aliis scatent. *Vis* a planta adhibita et spiritus vini gradu pendet. *Spiritus pimentae* praeclarum additamentum est ut tincturae amarae gratiores fiant. *Dosis* gutt. 60 - cochl. j cum vino.

SPIRITUS CINNAMOMI.

Rec. Corticis Cinnamomi contusi sesquilibram,
Spiritus Vini graduum decem libras octo.

Macera per quatriduum, et destilla, donec Spiritus provocatus sit graduum decem.

† *SPIRITUS COCHLEARIAE.*

Rec. Herbae recentis Cochleariae florentis libras qutatuor,
Spiritus Vini graduum quindecim libras quinque,
Destilla ut ante.

Not. 510. Parum de usu interno spirit. cochleariae sperari poterit, cum menstruum non concedat tantam dosin, quae in herba recenti requiritur. *Dosis* gutt. 60-80. *Externe* cum mell. rosar. mixtus in laxitate gingivarum scorbutica longo usu commendatus cochleariae spiritus.

SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Corticum Aurantiorum recentium libras duas,
Spiritus Vini graduum decem libras quatuor.

Post macerationem per biduum, destilla ut ante.

Eodem modo paretur

SPIRITUS CORTICUM CITRI.

II. SPIRITUS COMPOSITI.

SPIRITUS AROMATICUS.

loco SPIRITUS CARMINATIVI SYLVII.

Rec. Herbae Majoranae,
Cinnamomi,
Nucis Moschatae,
Caryophyllorum Aromaticorum, singulorum unciam dimidiam,
Seminum Coriandri unciam unam,
Spiritus Vini graduum decem uncias triginta duas,
Aquae pluvialis uncias sex.

Post macerationem per biduum eliciantur inde Spiritus unciae viginti.

Not. 511. Abundant pharmacopoeae majorum spiritibus similibus aromaticis, inter se parum diversis, illis exceptis, quae ammoniam continent. Spiritus aromaticus ph. Batav. simplicior est primordiali Sylvii, qui loco aquae vinum adjecit. *Vis* carminativa, nervina. *Usus* in colica flatulenta interne et externe. *Dosis* cochl. dimid. cum vino.

SPIRITUS AROMATICUS AMMONIACALIS.

loco SPIRITUS SALIS VOLATILIS OLEOSI ET AROMATICI.

Rec. Corticum Citri recentium sesquiunciam,

Cinnamomi,
Nucis moschatae,
Caryophyllorum aromaticorum, singulorum drachmas duas,
Muriatis ammoniae unciam unam,
Carbonatis potassae alcalini uncias duas,
Spiritus vini graduum decem libras duas.

Post macerationem per biduum ex retorta vitrea destillatione eliciantur unciae quatuordecim.

Not. 512. Tenuior est spiritu volatili aromatico ph. L. et Ed. Vid. not. 358. Ex tempore quoque similis spiritus misceri potest ex spiritibus aromaticis simplicibus cum liqu. ammon. vinos. *Vis* nervina, diaphoretica. *Usus* in febribus nervosis, rheumatismo chronico. *Dosis* gutt. 40 cum aqua dilutae. Cum spiritu saponato mixtus praeclarum liquorem componit ad membra siderata incitanda.

SPIRITUS COCHLEARIAE CONPOSITUS.

AQUA SEU CEREVISIA ANTISCORBUTICA SYDENHAMI.

Rec. Herbae florentis recentis Cochleariae uncias quadraginta,
Herbae siccatae Salviae,
Herbae Menthae crispae, utriusque uncias tres,
Corticum recentium Aurantiorum libram dimidiam,
Nucis Moschatae unciam dimidiam,
Spiritus frumenti libras tres,
Aquae purae libras novem,

Scissa et contusa macera triduum, dein destilla libras sex.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 513. *Sydenhamus* pro potu ordinario in scorbuto commendat sequentem cerevisiam (ej. opera ed. Genev. p. 527) R. rad. raphani rustic. rec. inc. dr. jj fol. cochl. hort. nro. Xjj passul. enucl. nro. Vj aurant. cum toto incisi dimidium in lagenam vitream libr. jj cerevisiae tenuis capacem, subere mox probe obturandam immittantur. In hunc modum parentur eodem tempore lagenae sex pro usu, et post aliquot dies sex aliae, antequam priores exhauriantur, et sic deinceps. *Sylvester* laudat sequentem: R. tartar. crud. unc. jjj bacc. juniperi contus. unc. jj rad. zingib. pulver. dr. jj caryophyll. dr. j sacchar. crud. libr. V aquae pott. 24 coqu. per hor. dimid. dein infund. sino; liquor in eo frigefactus cado immitt. satis amplo. Fermentatione intra duos aut tres dies nondum exorta, additur hemina cerevisiae, quam Porter nominant (Clark's Beobacht. über die Krankh. auf langen Reisen nach heifsen Gegenden pag. 289). Praeter cerevisiam ante dictam Sydenhamus aegris scorbuticis porrexit vinum sequens, ad quod spiritus cochleariae compositus commixtus esse videtur. R. rad. raphani rustic. rasp. libr. jj rad. ari libr. j fol. cochl. hort. manip. 12 fol. menth. — salv. — nasturt. aquat. et beccabungae ana manip. j sem. cochl. hort. parum contus. libr. ß nuc. moschat. unc. ß vin. alb. libr. Xjj; destillent. organis communib. et eliciantur solummodo libr. Vj pro usu. Dosis cochl. Vj. Cum spiritu cochleariae composito fere congruit *spiritus raphani compositus ph. Lond.* R. rad. raphan. rustic. recent. cort. exter. aurant. Hispalens. exsiccat. singul. libr. jj herb. cochl. hort. rec. libr. jV nuc. moschat. contus. unc. j spirit. vinos. tenuior. cong. jj aquae quod satis sit ad praecavendum empyreuma. Destill. congii duo. *Dosis* spirit raphan. compos. ph. Lond. et spirit. cochl. composit. ph. Batav. cochl. j ter vel quater de die.

SPIRITUS JUNIPERI COMPOSITUS.

Rec. Baccarum Juniperi, bene contusarum, libram unam,
Seminum Carvi,
Seminum Foeniculi dulcis, utriusque sesquilibram,
Spiritus Vini graduum decem libras novem.

Macera biduum, et addito aquae, quantum sufficit, ad evitandum empyreuma, destillatione eliciantur librae novem.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 514. Spiritus juniper. compositus diureticus est et carminativus. *Dosis* cochl. j cum vino.

SPIRITUS MELISSAE COMPOSITUS.

AQUA MELISSAE MAGISTRALIS.

Rec. Foliorum Melissae, modice siccatorum, uncias quatuor,
Corticum recentium Citri,
Nucis Moschatae,
Seminum Coriandri, singulorum unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi, utriusque unciam dimidiam,
Spiritus vini graduum decem libras quinque.

Scissa et tusa macera triduum, dein destilla libras tres.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 515. Spiritus melissae compositus carminativus. *Dosis* cochl. j cum vino.

Pingue Volatile, seu Aroma et Sulphur.

Balsamum.

OLEUM TEREBINTHINAE SULPHURATUM.

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

Rec. Olei lini sulphurati uncias duas,
Olei Terebinthinae uncias sex.

Misce, ut solvantur.

Not 516. Oleum terebinthinae sulphuratum est *balsamus vitae Rulandi* olim ut diureticus aestimatus. *Dosis* fuit gutt. Vj-Xjj. *Empl. diasulphuris Rulandi* R. balsam. sulphur., cerae citrinae, colophon. ana unc. Vj pulv. myrrh. unc. XVjjj. m. Laudatur inprimis ad resolvendas strumas. Vid. not. 497.

Resinae.

RESINA CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

Rec. Corticis Peruviani Fusci, in pulverem grossum contusi, libras quatuor,

Cucurbitae vitreae vel phialae altae immittantur, et affundantur,

Spiritus vini graduum triginta librae decem.

Digerantur sub crebra versatione in balneo arenae per tres dies, postea spiritus decantetur, ejusque eadem quantitas, ac ante, residuo denuo affundatur et post digestionem debitam in balneo arenae iterum decantetur. Residuum preli ope exprimatur, quo facto tres hi liquores misceantur, et ad subsidendum seponantur. Post decantationem adde

Aquae communis libras octo,

et destillando modico igne omnem spiritum abstrahe. Resina, fundo vesicae adhaerens, eximatur et aqua depurata frigida tamdiu abluatur, donec resina omnis saporis sit expers. Liquor remanens magnam adhuc resinae quantitatem continet, quae sub evaporatione forma grumosa fundum petit, aqua frigida probe abluta priori admiscenda.

Omnis resina, quam tibi comparaveris, spiritu vini graduum viginti emollita et in massam redacta, calore leni exsiccetur et servetur.

Eodem modo parentur

RESINA CORTICIS PERUVIANI RUBRI

et

RESINA JALAPPAE.

Not. 517. Resinae corticis Peruviani fusei inhaeret principium adstringens. Luculenter autem apparet, divinum remedium hoc et simili tractandi modo decompositum iri et jacturam facere virium, minusque valere pulvere, aut alio simpliciori praeparato, ignis vehementia non producto.

Resina jalappae est laudabile praeparatum, pulveri radicis praeferendum, cum medici de dosi incerti esse nequeant. Spiritus vini, qui e cortice Peruviano et radice jalappae evocatus est, aut cohobatione super carbonem et pauxillum acidi sulphurici ad priorem puritatem reduci potest, aut retineri ad similem usum. *Vis* purgans. *Dosis* gr. V-X. Vel in pulverem redigitur cum pari quantitate amygdalarum *(resina jalappae praeparata)* adigitur, vel cum spirit. vin. solvitur vel emulsio ex ea fit aut pilulis admiscetur.

ALCOHOL ET EX ALCOHOLE PRAEPARATA.

Alcohol.

Spiritus Vini et Alcohol.

† *SPIRITUS VINI DEPURATUS.*

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS GRADUUM VIGINTI, ET

SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS GRADUUM TRIGINTA.

Rec. Spiritum vini venalem bonae notae, in quo ad minimum Aërometrum ad duodecimum gradum descendit.

Destilla apto apparatu, ut graduum fiat viginti, ac serva titulo SPIRITUS VINI GRADUUM VIGINTI.

Quem obtinueris spiritum iterum tamdiu destilla, ut ante, donec graduum fiat triginta, ac serva titulo SPIRITUS VINI GRADUUM TRIGINTA.

Not. 518. Transit spiritus vini ad gradum caloris 165 Th. F. quem igitur, quantum fieri potest, non multum excedat ignis destillationi adhibitus. Innotuit maxime spiritus vini initio seculi decimi tertii. *Raimundus Lullius* eum jam nominat ultimam consolationem corporis humani. Damna autem, quae abusus infert, legi possunt in nota 282. *Vis* excitans, vasa sanguifera exagitans, diaphoretica, nutriens. *Usus* spiritus vini depurati per se interne rarus. *Josephus Frankius*, venerabilis Petri Frankii filius, potum composuit loco vini in febribus nervosis pro aegris a fortuna desertis ex spirit. vini rectificat. unc. j mell. despum. unc. jj et aqu. fontanae libr. jj. *Zapa aurum suum potabile* commiscet ex spiritu vini rectificatissimo saccharo temperato. *Essentia dulcis Halensis*, ut *Kleinfeldus*, medicus Regiomontanus eruit, est spiritus vini gallicus rectificatus saccharo edulcoratus. Solvantur sacchar. alb. unc. Xjj leni igne in aqua fontana iterato sub rita agitatione adjecta, donec syrupus nigriusculus prodeat, qui in lagenam latam pro conditis servandis et calefactam effunditur. Injiciuntur huic syrupo spiritus vini gallici unc. Vj per horae quadrantem, ut tingantur. Dein decantentur, atque quater eadem spiritus quantitas superfundatur. Tincturae hoc modo factae commisceantur. — *Albumen spirituosum* R. albumin. ovi q. v. Alcoholis vini q. s. m. inspissentur in linimentum. Ad praeveniendum decubitum in aegris obesis salutare *(De Haen)*.

ALCOHOL.

ALCOHOL ALCALISATUM GRADUUM TRIGINTA DUORUM ET TRIGINTA QUATUOR.

Rec. Spiritus vini graduum viginti, libras quinque,

Carbonatis potassae alcalini, bene siccati, libram unam.

Misce et sepone viginti quatuor horas in vase vitreo probe clauso, subinde agitans. Sale in liquorem resoluto decanta Spiritum, cui denuo affunde,

Carbonatis ejusdem potassae libram unam, ut ante, liquoremque separa; idque opus repete, donec sal non amplius humectetur. Decanta tum Spiritum, et addita adhuc ejusdem

Carbonatis potassae siccissimi et calidi libra una,

leni igne vasis vitreis siccissimis destilla fere ad siccitatem. In eo, quem obtinueris, Alcohole Aërometrum notabit, in calore sexaginta sex graduum juxta scalam Thermometri Fahrenheitiani, gradum trigesimum secundum.

Si tali Spiritui, in quo Carbonas potassae siccissimum persistit, tandem admisceatur

Muriatis calcis siccissimi et calidi libra una,

ac dein leni igne vasisque vitreis, ut ante, fere ad siccitatem usque destillatio instituatur, notabit Aërometrum, in calore sexaginta sex graduum, ad scalam Thermometri Fahrenheitiani gradum trigesimum quartum seu gradum Alcoholis purissimi.

Not. 519. Pondus specificum alcoholis concentratissimi est ad pondus aquae destillatae ut 0,791 ad 1,000.

Vis muriatis calcis alcoholem concentrandi, dependet ab ejus aviditate, qua aquam attrahit. Praeparatis pharmaceuticis praestantissimis componendis alcohol inservit, quae mox enarrantur.

Alcohol et Acida.

Acida Dulcificata.

AETHER SULPHURICUS ACIDUS.

ELIXIR ACIDUM HALLERI.

Rec. Acidi sulphurici depurati,
Spiritus vini depurati graduum triginta
, pondera paria.

In phialam vitream probe claudendam ac refrigeratam immitte Spiritum vini, instilla dein cauta manu per vices acidum, ac post digestionem per triduum, humorem mixtum vase clauso serva.

Not. 520. Mixtura ex acido sulphurico et spiritu vini longo usu consecrata est. *Rabelius* miscuit partem unam acidi sulphurici cum partibus tribus spiritus vini (*aqua Rabelii*), *Dippelius* partem unam acidi cum sex partibus spiritus vini (*Elixir acidum Dippelii*). Rationi liquorum ab Hallero approbatae plures ex medicis hodiernis assentiunt. Temperatur paululum aciditas sulphurica spiritu vini. Simili modo jam ingeniose adstillavit Martinus Rulandus vini malvatici unc. Vj acidi sulphurici concentr. gutt. Vj, atque compescuit vomitum chronicum pertinacem, uncia j hujus mixtionis quotidie tempore matutino data (V. ej. curat. empiric. Cent. I. p. 22). *Vis* antiseptica, analeptica, adstringens. *Usus* in febribus nervosis et putridis, erethismo

nervorum, et aestu sanguinis, haemorrhagiis variis tam activis quam passivis, et crasi sanguinis scorbutica. *Dosis* gutt. V cum aquae unc. j. — Non approbare possum, *Wylieum* loco elixirii Halleri acidi acidum sulphuricum aromaticum commemorare, quod infusione fit ex cort. Lauri Cassiae unc. β et rad. zingiber. unc. jβ cum alcohole p. jV et acid. sulphurici p. j, quoniam potius elixirio vitrioli Mynsichti aequiparandum esse puto, atque virtute non parum ab Halleriano differt.

AETHER SULPHURICUS.

AETHER VITRIOLI.

Rec. Alcoholis,
Acidi sulphurici depurati, utriusque libras quatuor.

Alcoholi quantum fieri possit frigido acidum admisce caute agitans, dein lagena vitrea bene clausa contentum in locum frigidum sepone per aliquot dies; tum in retortam tubulatam ope infundibuli, cauda longiori instructi, immitte, excipulum parte inferiori foramine instructum epistomio suberino clauso admove; commissuras luto et vesica duplici muniendas probe firma, et ex balneo arenae, eo calore, ut liquor protinus ebulliat, destilla. Destillando abstrahe liquoris uncias sex, de excipulo per foramen, in fundo factum, eximendas, ac dein iterum liquori in retorta admiscendas: tum destillando perge, donec in retortae collo guttae quasi oleosae, non amplius cohaerentes, striarum ramosarum instar observentur. Liquori destillato adde

Aquae depuratae dimidium,

et post debitam agitationem Aetherem supernatantem lagenis accurate replendis, bene munitis, et inversis sub aqua positis, ad usum serva. Si Aether odorem sulphurosum adhuc spargat,

Oxydi magnesii nigri et

Magnesiae ustae partes aequales

ei adjiciendae ad saturitatem usque, et destillatio de novo instituenda.

Not. 521. *Germ.* Schwefelaether, *gall.* Éther sulfurique, *ross.* НЕФТЬ КУПОРОСНАЯ. Ut liquores citius permisceantur, et periculosa effervescentia evitetur, lente defluat acidum ad marginem lagenae, atque sensim alcoholi accedat. Primum transit destillatione merus alcohol, qui removendus est. Finis ei imponitur, cum massa in fundo retortae crassescit, et bullas eructat, ne aether acido sulphuroso conspurcetur. Solvitur aether sulphuricus in octo partibus aquae, atque ebullit ad gr. 32 Th. R. Non oritur sola miscela alcoholis cum acido sulphurico, sed peculiari vi attractiva componitur ex oxygenio, hydrogenio, carbonio. Aether sulphuricus non solum ut praestantissimum remedium aestimari debet, sed etiam ut menstruum eximium considerari. Solvit e. g. ambram, camphoram, Caoutchouc, acidum Borussicum etc. Pondus specificum aeth. sulphuric. est 0,748-0,732; odore reficienti forti instructus et sapore, qui primum frigoris sensum in lingua excitat, dein penetrans fit et ardens. *Vis* nervina, antispastica, et anthelmintica. Cuti admotus sensum frigoris aether progignit, atque continuato nimio usu bilem degenerare videtur. Observabatur saltim colore rosaceo tincta in cadavere *Bucqueti* chemici clarissimi, qui, dum vivebat, immoderate aethere usus fuerat (*Tourtelle*). *Usus:* in febribus nervosis, spasmis, lipothymia, similibusque affectibus. Singulis in casibus turbas nervorum augmentare visus est (*Alibert*). Contra taeniam data est

matutino tempore drachma una in decocto concentrato radicis filicis maris. Hora praeter ipsa, propinabantur unciae duae olei ricini cum syrupo quodam. Repetebatur sequenti et tertia die eadem ratione remediorum usus; taenia nondum eliminata, atque cum enemate ex decocto radicis filicis maris aetheris dr. jj simul injiciebantur (*Bourdier*). Licet quaerere, an doses aetheris non fuerint nimiae, et an aether forsan fuerit mitioris indolis? Confiteor, me hucusque a tanta dosi aetheris abstinuisse, etsi vim ejus anthelminticam propria experientia persuasus nolim negare, nec ignorem ad avertendum febris intermittentis paroxysmum unciam dimidiam pro una dosi datam esse. Ad hoc accedit, quod minores et repetitae doses aeque utiles in expellenda taenia esse videntur quam majores. Linctus ex aetheris sulphurici dr. jj et olei ricini unc. j, de quo cochlearculum unum saepius datum est, taenia fragmenta propulit (*Alibert*). — *Externe* utiliter instillabatur aether sulphuricus herniae incarceratae (*Schmalz*). Ut fomentum lenimen in angina membranacea produxit (*Pinel*). Aliquoties miscelam ex partibus aequalibus aetheris sulphurici et ammonia liquida cum oleo caryophyllorum aethereo manibus instillari, hasque ante oculos in visus hebetudine volutari, non sine effectu jussi.

† *AETHER SULPHURICUS ALCOHOLICUS.*

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI.

Rec. Alcoholis,

Aetheris sulphurici partes aequales.

Misce.

Not. 522. *Germ.* Versüfster Schwefelgeist, Hoffmanns schmerzstillende Tropfen, *gall* Éther sulphurique alkoolisé, Liqueur d'Hoffmann, *ross.* ГОФМАННОВЫ КАПЛИ УСЛАЖДЕННАЯ КУПОРОСНАЯ. Aetheres alcoholici facilius aetheribus aqua miscentur, nec ab his differunt, nisi mitiori effectu. *Dosis* gutt. 10-50.

AETHER NITRICUS.

Rec. Acidi nitrosi uncias decem,
Aquae depuratae uncias quinque,
Alcoholis uncias duodecim.

Acidum nitrosum in lagenam ampliorem, in balneo frigido, si fieri possit, glaciali positam, immitte; affunde cauta manu Aquam per tubum vitreum ità inclinatum, ut juxta parietem internum lagenae lente defluat, tum eodem modo Alcoholem adde; sic triplici strato incumbet Acido Aqua, Aquae Alcohol. Lagenam accurate clausam in locum frigidum per plures dies sepone, nec vero agita. Quiescant hi liquores, donec spontanea illorum unio ita obtineat, ut stratum liquidum ex flavo aurantium, quod Aether nitricus est, formatum sit.

Tandem Aetherem separa ac retorta vitrea leni igne destilla, et lagenis vitreis accurate clausis, inversis sub aqua, in loco admodum frigido caute serva.

Not. 523. *Germ.* Salpeteraether, *gall.* éther nitroux, *ross.* УСЛАЖДЕННАЯ СЕЛИТРЕННАЯ КИСЛОТА. Methodus *Blackiana* jure hic adoptatur loco destillationis ex nitro cum acido sulphurico et alcohole. Miscuit *Blackius* acid. nitrici p. V aquae p. jjß et alcohol. p. V. Acidum nitricum, quod hunc aetherem cum alcohole componit, facile in gas nitrosum convertitur, quod autem oxygenio ex aëre atmosphaerico, si superficiei aetheris afflat, naturam acidi recuperat. Hanc ob causam conquassatione cum carbonate potassae ad aliquod tempus solummodo acido denuo orto liberabitur. Aether nitricus maxima exhalationis celeritate in-

ter aetheres insignitur, nec sine explosionis metu, lagena, qua servatur, improvide aperta. Decuplo aquae solvitur. Pondus specificum aetheris est 0,760 - 0,740. Ad gr. 90° Th. F. aether nitricus in vaporem mutatur sensum frigoris excitantem et inflammabilem. Sapore pergrato amariusculo praeditus est, odore quasi e pomis Borstorffianis. *Vis* nervina, carminativa, diuretica. Nisi fallor vis diuretica ab acido nitrico dependet, quod nunquam non in illo ad pristinam indolem redire annititur. *Usus* in lipothymia, colica flatulenta, singultu etc. *Dosis* gutt. X-XL. Aethere cum syrupo mixto (dr. j aeth. ad unc. j syrupi) optime evaporationem liquoris volatilis ipso deglutitionis momento evitari credidit *Boullay* (Alibert). *Decomponitur* aether nitricus potassa pura et acido sulphurico.

† *AETHER NITRICUS ALCOHOLICUS.*

SPIRITUS NITRI DULCIS.

Rec. Spiritus vini graduum triginta libras duas cum semisse,
Acidi nitrosi concentrati libram unam.

In retortam tubulatam, spiritum rectificatissimum continentem, et ante in balneo arenae firmatam et cum excipulo junctam, partitis vicibus, per tubum vitreum acidum cauta manu adjice; relinquatur per aliquot dies mixtum; tum leni calore destillando tantum liquoris abstrahe, quantum valent duae circiter partes Spiritus vini adhibiti. Si acidum abundet, oxydo magnesii nigro fiat rectificatio.

Not. 524. *Germ.* Versüfster Salpetergeist, *gall.* Esprit de nitre dulcifié. Differt aether nitricus alcoholicus ab ipso aethere solo gradu efficaciae. *Dosis* gutt. 20-40.

AETHER MURIATICUS ALCOHOLICUS.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

Rec. Muriatis sodae siccissimi et decrepitati uncias octo,
Oxydi magnesii nigri nativi, pulverati, unciam unam.

Retortae vitreae tubulatae immissis affunde miscelam ex
Alcoholis unciis duodecim, et
Acidi sulphurici unciis quatuor.

Retorta balneo arenae imposita et excipulo rite adglutinato, leni igne duas tertias circiter partes Aetheris muriatici alcoholici abstrahe.

Not. 525. *Germ.* Versüfster Salzgeist, *gall.* Esprit de sel dulcifié, Alcohol éthereux par acide muriatique. Aether muriaticus, ex muriate stanni cum alcohole destillatus, oleum referens maximam similitudinem cum aethere sulphurico manifestat, atque cum alcohole mutata ratione partium aetherem muriaticum alcoholicum componit. Aether muriaticus alcoholicus odorem grate aromaticum diffundit, et sapore amariusculo penetranti caryophyllaceo praeditus est. *Vis* nervina, diuretica. *Usus* in morbis a refrigerio, catarrho, spasmis, febribus nervosis et similibus. *Dosis* gutt. 30-40. *Linctus Werlhoffii e spirit. sal. dulc. in catarrho.* R. dr. j syrup. papav. rhoead. unc. j Dosis cochlearc.

AETHER ACETICUS.

Rec. Acetitis potassae,
Alcoholis, utriusque uncias sedecim,
Acidi sulphurici depurati uncias sex,
immitte Acetitim potassae in retortam

vitream tubulatam, balneo arenae commissam, et cum amplo excipulo probe junctam, dein per tubum retortae affunde acidum, antea cum Alcohole debite mixtum; quo facto et tubo bene clauso, destilla leni igne ad siccitatem usque. Liquori destillato admisce

Aquam calcis,

et Aetherem supernatantem separa, quem in lagena vitrea, obturamento vitreo rite munita, serva.

Not. 526. *Germ.* Essigäther, *gall.* Éther acéteux. Methodus hunc aetherem ex acetite plumbi simili ratione, atque in pharmacopoea Batava docetur, eliciendi, etsi pretii vilitas remedii ita educti ad eam invitet, a pharmacopolis ob damnosam immixtionem metalli, quae fieri possit, nunquam eligi debet. Construitur aether aceticus ut quilibet aether ex carbonio, hydrogenio et oxygenio, continet autem acetum, oxygenio, ut videtur, non prorsus saturatum. Solvitur aquae partibus septem. Odor ut ex vino rhenano eo exhalatur, sapor refrigerans est, aromaticus, paululum amarus. Pondus specificum 0,848 *(Schrader)*. Minus cito evaporatur aetheribus sulphurico et nitrico. Notari debet, ex residuo aetheris acetici methodo in Pharmacopoea Batava praescripta praeparati, alcohole affuso *aetherem aceticum alcoholicum* nova destillatione evocari posse, qui alias ex aetheris acetici p. j et alcoholis p. jV commiscetur. *Vis:* nervina, analeptica, excitans, diaphoretica. *Usus:* in variis nervorum morbis, in rheumatismo, catarrho. *Dosis:* gutt. 30. *Mixtura antispastica cum aethere acetico alcoholico.* R. aether. acetic. alcoholici, tinct. castor. ana unc. ß olei aeth. valerian. Vin. Opii aromat. ana dr. β. m. *Dosis:* gutt. 30. In cardialgia hysterica perutilis. *Decomponitur* aether aceticus et aether aceticus alcoholicus, acido sulphurico et potassa.

SECTIO TERTIA.

MEDICAMENTA OFFICINALIA COMPOSITA, NULLA HABITA RATIONE EFFICACIAE CHEMICAE, QUAM EORUM PRINCIPIA IN SE INVICEM EXERCENT.

MEDICAMENTA OFFICINALIA COMPOSITA, NULLA HABITA RATIONE EFFICACIAE CHEMICAE, QUAM EORUM PRINCIPIA IN SE INVICEM EXERCENT.

Pulveres.

PULVIS AROMATICUS.

SPECIES AROMATICAE.

Rec. Corticis Cinnamomi,
Seminum Cardamomi minoris,
Radicis Zingiberis, singulorum uncias duas.

Misce. Fiat Pulvis, in vase vitreo bene obturato servandus.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 527. Est hic pulvis stomachica virtute praeditus, atque pipere albo excepto fere idem cum pulvere aromatico Ph. Boruss. et Lond., quod constat ex sem. cardam. minor. zingib. piper. alb. ana $\frac{1}{3}$ et cinnamom. $\frac{2}{3}$. Additis gr. XXjV carbonatis potassae non plane abhorret a *pulvere stomachico Birkmanni*, ex rad. ari praeparat. — acori vulg. — pimpinell. ana uncβ ocul. cancr. unc. β cinnamom. dr. jjj sal. absinth. — juniper. ana dr. j sacchar. rosat. ad. p. omn. Cum syrupo cort.

aurant. converti potest hic pulvis in *electuarium aromaticum* s. *stomachicum* quod. Ph. Boruss. componit ex pulv. herb. menth. piperit. unc. jj rad. calam. cass. cinnamom. ana unc. j rad. zedoar. caryophyll. ana unc. ß mell. desp. unc. XV.

PULVIS FUMALIS.

Rec. Benzoës,
Succini,
Mastiches,
Olibani, singulorum drachmas sex,
Cascarillae semunciam.

In pulverem crassum trita misce.

Not. 528. Fumo, qui ex pulveribus fumalibus incensis exsurgit, nasis tantum satisfieri, nec aërem corrigi, omnes consentiunt. Guttula olei rhodii fornaci calefactae inspersa per totum conclave suavissimum odorem dispergit. Ne obliviscamur tamen, halitus foetidos melius ab hystericis perferri, quam gratos. *Pulvis fumalis regius.* R. Oliban. mastich. ana unc. jjj, succini unc. j, storac. in granis, benzoës, anime ana unc ß, lign. Rhodii unc. jß rad. irid. florentin. unc. ß caryophyll cort. cascarill. ana dr. jj flor. lavendul. — rosar. ana unc. j cont. atque resinae alcohole aspergantur, ut niteant. (*Trommsdorff.*) Vid. not. 239.

† *PULVIS GUMMOSUS.*

PULVIS DIATRAGACANTHAE.

Rec. *Gummi Arabici,*
Gummi Tragacanthae,
Sacchari puri, singulorum unciam unam.

In pulverem trita misce.

Not. 529. Veteres, farraginibus remediorum delectati semina quatuor frigida, amylum, et liquiritiam addidere. *Dosis:* cochlearculum omni bihorio in tussi catarrhali sicca, gonorrhoea, diarrhoea, aliisque morbis, in quibus a membranarum intestinorum superficie omnem stimulum retinere velimus. Persuasus autem sum, nimium confisos esse veteres in his aegritudinibus mucilaginosis et viscidis remediis.

† *PULVIS IPECACUANHAE CUM OPIO.*

PULVIS DOVERI. PULVIS SUDORIFICUS.

Rec. Pulveris radicis Ipecacuanhae,
Opii puri, utriusque scrupulum unum,
Sulphatis potassae drachmas tres.

Misce, et vase probe clauso serva.

Not. 530. Pulvis Doweri statim componi potest ex opii et rad. ipecacuanh. ana gr. j sulphat. potass. gr. Vjjj. Angli, qui vario modo hunc pulverem componi perhibent, primi utilitatem connubii opii et ipecacuanhae periculis comprobarunt. *Pulvis Doweri* ad mentem autoris. R. kal. nitric. — sulphuric. ana unc. jV. In crucibulum candens injecta agita, donec deflagratio et scintillatio desinat; adde opii concis. unc. j et in pulverem redige adjiciendo pulv. rad. glycyrrh. — ipecacuanh. ana unc. j. m. *Dosis:* gr. X - dr. ß. Pulvis recenter mixtus non raro nauseam excitat et vomitum. Sudor eo provocatus stragulis in lecto, et potu diluente calido foveri debet.

PULVIS MYRRHAE COMPOSITUS.

Rec. Myrrhae semunciam,
Opoponacis,
Sagapeni,
Castorei, singulorum drachmas duas,
Olei Menthae,
Olei Rutae, utriusque guttas quatuor.

In pulverem redacta misce, et vase bene clauso serva.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 531. Non intelligo, quare hic pulvis myrrhae compositus in officinis coram esse debeat, etsi concedam, eum, opopanace et sagapeno omissis, forsan menstruis promovendis inservire posse. Sed ex tempore pro arbitrio medici commisceri poterit.

† *PULVIS SALINUS COMPOSITUS.*

PULVIS ANTISPASMODICUS. PULVIS NITROSUS CINNABARINUS.

Rec. Nitratis potassae unciam unam,
Sulphatis potassae semunciam,
Sulphureti Hydrargyri rubri factitii drachmas duas.

In pulverem trita misce.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 532. Pulvis salinus compositus est ad formulam celeberrimi Stahlii mixtus, qui *pulverem temperantem album* conterit ex partibus aequalibus sulphatis potassae et nitratis potassae et *pulverem temperantem rubrum* ex iisdem salibus neutris cum sulphureti hydrargyr. rubr. factit. p. $21\frac{1}{3}$. Similes sunt his pulveribus *pulvis digestivus Junkeri* ex sulphat. potass. et conch. praeparat. aut citrat. aequal. part. et *pulvis digestivus Unzeri* (Unzersches Freſspulver) ex unc. β sulphat. potass. nitrat. potass. et conchis.

† *PULVIS STERNUTATORIUS.*

PULVIS ASARI COMPOSITUS. E.

Rec. Foliorum exsiccatorum Asari,
Foliorum exsiccatorum Majoranae,

Florum siccatorum Lavendulae, pondera paria.

Omnia simul in pulverem trita vase clauso serventur.

Not. 533. Foliis mari syriaci exceptis hic pulvis cum *pulvere asari composito Ph. Lond.* idem est. *Pulvis sternutatorius* sive cephalicus Ph. Ed. constat ex fol. asari et hb. majoran. part. aequal. cujusque dr. ß. *Cullenus* addere solebat rad. hellebori alb. gr. j. Euphorbium admixtum jam minima dosi vehementissime nares ferit. Vid. not. 139. *Pulvis sternutatorius Warei.* R. turpethi miner. gr. X, sacch. alb. rad. iridis Florent. ana dr. β. Progignit sensum ardoris in cavitate nasi, mucum proritat, saepius striis sanguinis permixtum, ut ipse aliquoties observavi. Autor affirmat amaurosin esse hoc pulvere sternutatorio sanatam, et electricitate, cui quidem lubenter maximam auxilii partem tribuo, licet nollem utilitatem sternutationis et auctae secretionis muci in naso in variis oculorum et cerebri morbis plane denegare.

PULVIS TERRESTRIS.

PULVIS ANTACIDUS.

Rec. Pulveris lapidum cancrorum uncias duas,
Carbonatis magnesiae unciam unam.

Misce.

Not. 534. Sufficeret una terra in hoc pulvere; nam recte monente symbolo magni Boerhavii simplex est sigillum veri, cui, quantum fieri potest, in formulis medicis componendis semper obsequamur.

Electuaria. *)

ELECTUARIUM CATECHU.

CONFECTIO JAPONICA, loco DIASCORDII FRACASTORII.

Rec. Succi, seu Extracti, Catechu uncias quatuor,
Gummi Kino, uncias tres,
Corticis Cinnamomi,
Nucis Moschatae, utriusque unciam unam,
Opii, in Vini albi Hispani quantitate sufficiente diffusi, drachmam unam et dimidiam,
Syrupi rosarum rubrarum, ad mellis spissitudinem cocti, libras duas et quadrantem.

Misce. Fiat Electuarium.
Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 535. Electuarium catechu secundum diascordium Fracastorii, quod quidem ex pluribus remediis simplicibus coacervatur, compositum est. Unc. β continet circiter gr. j opii. Facile apparet sequens electuarium opiatum ut officinale sufficere.

† *ELECTUARIUM OPIATUM.*

ELECTUARIUM THEBAICUM, loco *THERIACAE ANDROMACHI.*

Rec. *Pulveris aromatici uncias sex,*

*) *Pars una pulveris sicci vegetabilium in electuarium redigitur partibus tribus mellis, quod aquae duabus partibus fuit dilutum.*

ANNOT. EDIT.

Radicis Serpentariae Virginianae, in pulverem tenuem tritae, uncias tres,
Opii depurati, in Vini albi Hispani quantitate sufficiente diffusi, semunciam,
Mellis despumati libram unam.

Misce. Fiat Electuarium.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 536. Scr. jj electuarii opiati continent circiter granum unum opii. In genere notandum, electuaria, quae opium abscondunt, si aruerint, vino ad debitam consistentiam esse reducenda, ne dosis opii dubia fiat, mellis aut syrupi admixtione. Scatent pharmacopoeae et scripta medicorum electuariis opiatis. Antiquissimum est illud, quod *Theriaca Andromachi* dicitur, compositio absurda ex simplicibus et aliis compositis pariter absurdis. Non tempus teramus in hac exscribenda, in variis pharmacopoeis obvia. Ut dicam quod sentio, electuarium cum opio, si quis eo carere nequeat, statim componi poterit, nec opus erit, ut in officinis prostet. Non omnia electuaria in veterum dispensatoriis cognomine theriaca notata opium continent. *Philonium romanum et requies Nicolai* tam fama et compositione, quam effectu nocivo ex abusu pronato, invicem cum theriaca Andromachi potissimum certarunt. *Confectio opiata Ph. L.* R. opii purificati duri in pulverem triti dr. Vj piper. long. zingiber. sem. carvi ana unc. jj syrup. papav. alb. ad mell. crassitudinem decoct. triplum omnium pondus. Opium purificatum syrupo calefacto diligenter immisce, tum adde caetera in pulverem trita. Grana 36 continent opii gr. j. *Electuarium Theriaca Ph. Boruss.* R. rad angelic. unc. Vj — serpentar. Virginian. unc. jV Valerian. minor. — scillae — zedoar. cass. cinnamom. ana unc jj cardam. minor., myrrh., croci, caryophyll. ferr. sulphuric. opii ana unc. j mell. desp. libr. Vj. Melli paululum calefacto addatur opium in vini malacensis quantitate sufficiente dilutum; dein admisc. caetera in

pulverem trita. Serva. Unc. j hujus theriacae continet opii grana circiter quinque. Comparatio veteris compositionis et Borussicae docet, autores pharmacopoeae Berolinensis nimium adhuc indulsisse praejudiciis plebis medicae.

† *ELECTUARIUM SENNAE CUM PULPIS.*

ELECTUARIUM LENITIVUM.

Rec. Foliorum Sennae uncias octo,
Seminum Coriandri uncias quatuor,
Radicis Glycyrrhizae uncias tres,
Fructus Caricarum libram unam,
Pulpae Tamarindorum,
Pulpae Cassiae fistularis,
Pulpae Prunorum gallicorum, singularum libram dimidiam,
Sacchari purissimi libras duas cum dimidia.

Sennam cum seminibus Coriandri tere, et per cribrum separa pulveris mixti uncias decem. Residuum cum Caricis et Glycyrrhiza in
Aquae libris quatuor
decoque ad dimidium, dein exprime et cola. Liquorem colatum per evaporationem absume ad libram circiter cum semisse. Postea adde saccharum, ut fiat Syrupus. Hunc Syrupum adde gradatim pulpis et postremo immisce pulverem.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 537. Electuarium sennae cum pulpis, quod, ut hic ad pharm. Londin. componitur, pergratum

quidem est, ast cito fermentationi obnoxium, sicuti Elect. lenitiv. Ph. Boruss. (vid. not. 276). Omni tempore ex foliis sennis pulveratis cum tartrite potassae acidula, semine foenicul. roob tamarind. aut roob prunor. et syrup. cujusdam q. s. eadem efficacitate commisceri potest. *Electuarium lenitivum Ph. Ed.* 1784. R. fol. senn. unc. Vjjj sem. coriandr. unc. jV pulp. prunor. gallicor. libr. jj. Syrup. rosar. pallid. q. s. f. elect. Dosis cochlearcula duo. Hoc pariter simplex est.

Trochisci.

TROCHISCI BECHICI ALBI.

Rec. Gummi Arabici,
Sacchari purissimi, utriusque uncias octo.

Misceantur et solvantur in
Parva aquae depuratae quantitate.

Solutionem colatam leni igne sub continua agitatione evapora, et sub finem evaporationis admisce

Albuminis ovorum, Aqua Naphae subacti, uncias quatuor,

et in formam Trochiscorum redige.

Not. 538. Hi trochisci et sequentes parum a pulvere gummoso differunt, forma excepta. Masticantur ab aegrotis, tussi catarrhali affectis, solaminis causa. Van Mons (pharmacopée manuelle) *trochiscos albos* (trochisques de blanc Rhazis) miscet ex p. j opii et gummi tragacanth. amyl. p. jj et sarcocoll. p. jjj et ceruss. p. X et *trochiscos de minio lentiformes* (trochisques rouges) ex minii p. j muriat. hydrargyr. p. jj atque mic. panis siliginei p. Vjjj, quorum usum quam maxime limitandum esse satis liquet.

TROCHISCI BECHICI NIGRI.

TROCHISCI GLYCYRRHIZAE. E. ET L.

Rec. Succi Liquiritiae depurati,
Gummi Arabici, utriusque uncias duas,
Sacchari purissimi uncias quatuor.

Misce et solve in
Aquae depuratae quantitate sufficiente, solutionem colatam leni igne evapora in massam, formandis Trochiscis aptam.

TROCHISCI CATECHU.

Rec. Succi Catechu depurati,
Gummi Arabici, singulorum uncias tres,
Sacchari purissimi uncias decem.

Exactissime mixta cum
Aquae rosarum debita quantitate,
fiant Trochisci.

Not. 539. Quondam in sputo cruento sunt commendati. Forsan non inutiles sunt in laxitate gingivarum, et odoriferis additis, ut ambra, balsam Peruvian. *(Muscerda de terra catechu, placentae gittambir)* in habitu oris foetido. Vid. not. 98.

Pilulae.

† *PILULAE ALOËTICAE.*

Rec. *Aloës succotrinae in pulverem tritae,*
Extracti Gentianae, pondera paria,

Misce et cum

Syrupo simplici
in massam pilularem redige.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 540. Alvi torporem minuunt, atque digestionem simul promovent. *Dosis* gr. jV-XV. *Pharmacopoea Dublin.* rad. zingiberis addit.

PILULAE ALOËS CUM MYRRHA.

PILULAE RUFI.

Rec. Aloës succotrinae uncias duas,
Myrrhae,
Croci, utriusque unciam dimidiam,
Syrupi simplicis, quantum sufficit, ut fiat massa, pilulis formandis idonea.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 541. *Pilulae pestilentiales Ruffi* componuntur ex aloës, gumm. ammon. depur. ana unc. ¾ myrrh. elect. unc. β cum succ. limon. Hic designatae plane congruunt cum *pilul. pestilent. Avicennae.* Ad menstrua provocanda et lochia suppressa revocanda a recentioribus commendantur. Non opus est, ut officinales fiant. *Dosis* gr. X-XX.

PILULAE ALOËS CUM COLOCYNTHIDE.

PILULAE COCHIAE.

Rec. Aloës succotrinae,
Scammonii praeparati, utriusque uncias duas,
Sulphatis potassae sulphurosi drachmas duas,

Colocynthidis unciam unam,
Olei Caryophyllorum aromaticorum drachmas duas.

Aloë Scammonio, sale et Colocynthide, in pulverem subtilissimum redactis, et invicem tritis, adde Oleum, ac

Mucilagine gummi Arabici

fac massam pilularem.

Juxta Pharmacopoeam Edinburgensem.

Not. 542. Olim *pilulae cochiae Rhasis* nominatae sunt pilulae aloës cum colocynthide, ex aliis superfluis et drasticis praeter enumerata compositae. Exulent ex officinis et medici judicio relinquatur, an singulis in casibus eis uti velit, atque praeparationem consignet.

† *PILULAE HYDRARGYRI JALAPPINAE.*

PILULAE EX RESINA JALAPPAE. PILULAE PURGANTES.

Rec. Saponis Jalappini partes tres,
Muriatis hydrargyri oxydulati partem unam.

Misce. Fiat massa pilularis.

Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 543. Incongruum esse puto, saponi jalappino murias hydrargyri oxydulati addere, quoniam sapone commixtum decompositioni traditur. Loco pilul. hydrarg. jalappinar. praeferrem pilul. ex part. aequalibus rad. rhei et sapon. jalappin. quibus, si lubet, apta quantitas extracti aloës aquosi additur. Evaporari etiam potest saponis jalappini solutio cum spiritu vin. ut f. pilul. pond. gr. jj pulv. rad. liquirit. conspergend. *Dosis* gr. X-XX.

Liquores.

† *LIQUOR ACETITIS PLUMBI.*

AQUA VEGETO-MINERALIS. AQUA SATURNINA.

Rec, Acetitis plumbi liquidae, concentratae, unciam dimidiam,
Spiritus vini graduum decem uncias duas,
Aquae depuratae libras duas.

Misce.

Not. 544. *Goulardus*, qui huic liquori saturnino maximam celebritatem conciliavit, variam acetitis plumbi liquidae quantitatem aquae addidit, prout morbi natura illam expostulare visa est. Externe ut fomentum adpositit, aut micam panis ea humectatam. *Bellius*, summus Anglorum chirurgus, liquorem ex acetite plumbi parare docet, ex acetit. plumb. solid. unc. β acet. crud. optim. unc. jV aqu. commun. dest. libr. jj, ob tenorem nunquam variatum commendabilem. Eligantur lintea rara pro fomentatione, cum hic liquor densa minus facile permeat.

LIQUOR CUPRI AMMONIACI.

AQUA SAPPHIRINA. AQUA OPHTHALMICA COERULEA. AQUA COELESTIS.

Rec. Oxydi cupri per acidum vegetabile grana quatuor,
Carbonatis ammoniae alcalini liquidi grana duodecim.

Solutionem dilue
Aquae depuratae unciis octo.
Serva.

Not. 545. Olim modo sequenti minus constans evadit hic liquor cupri ammoniaci. Reponebatur aquae calcis libr. j cum muriat. ammon. dr. j in vase cupreo vel cum bracteis cupreis aliquot, donec aqua colorem sapphirinum manifestabat. *Vis* exsiccans, sedativa. *Usus.* Instillantur aliquot guttulae angulo interno oculi inflammati, aut phlyctaenis obnubilati.

† *LIQUOR MURIATIS HYDRARGYRI.*

LIQUOR MERCURIALIS. AQUA DIVINA FERNELII, loco *AQUAE PHAGADAENICAE.*

Rec. Muriatis hydrargyri drachmam unam,
Aquae depuratae libras duas.

Solve.

LIQUOR MURIATIS HYDRARGYRO-AMMONIACALIS.

Rec. Muriatis hydrargyri,
Muriatis ammoniae, utriusque drachmam unam,
Aquae depuratae libras duas.

Solve.

Not. 546. Aqua phagadaenica olim usitata miscebatur ex mercurii sublimat. corrosivi dr. j cum aquae calcis vivae libr. j et spirit. vini non rectificat. unc. jV. Quae cum autem calce viva praecipitationem salis mercurialis perpeti debeat, hodie his liquoribus jure postponitur. Murias ammoniae additur, ubi licet, ut dissolutio muriatis hydrargyri constantior fiat. *Vis* cathaeretica, in primis in ulceribus venereis, et scabie. Tenendum autem, solutionem muriatis hydrargyri concentratam externe audaciter, et diu impositam salivationem aliquoties produxisse. *Petrus Andreas Mathiolus*

(aphrodisiac. p. 257) dissolvebat uncias binas mercur. sublimat. corrosiv. in sex circiter aquarum stillatitiarum libris, hacque solutione egelida omnes corporis compages lavabat, brachiaque cum tibiis a genu et cubito, donec omnes dolores cum ceteris symptomatibus evanescerent. Accedebat vero salivatio. *Lotio ex muriat. hydrargyr. Hoffmanni Moguntini in scabie* R. muriat. hydrargyr. gr. XX aqu. commun. dest. unc. Vjjj. *Gargarisma ex muriate hydrargyr. Swediauri* R. decoct. hord. libr. j muriat. hydrargyr. gr. Vj mell. rosat. unc. jj. In ulceribus palati syphiliticis laudatur ab autore. *Aqua ophthalmica ex muriat. hydrarg. Conradi* R. muriat. hydrargyr. gr. j solv. in aqu. rosar. unc. Vj adm. Vin. Opii aromatici dr. β. Praedicatur in ophthalmiis chronicis et pruritu palpebrarum.

Unguenta.

REGULAE PRO PARANDIS UNGUENTIS.

1. Medicamenta externa, Unguenta dicta, ex Pinguedine animali, vegetabili, et Cera fiunt, quibus liquatis admiscentur Resinae, Gummiresinae, Olea aetherea, Pulveres vegetabiles, Praeparata metallica, Sapo, caet.

2. Pinguia non volatilia, ut Oleum, Axungia, Sebum, Cera, primum in vase stanneo, vel stanno probe obducto, cui fundus orbicularis vel subplanus, leni igne liquata misceantur, ac per pannum linteum colentur. Mixto pingui colato adjiciantur dein Pulveres et Extracta sub continua agitatione, adhibita apta lignea spatula, donec massa refrixerit.

3. Si Unguentis immisceantur corpora volatilia, ut Olea aetherea, Camphora, similiaque, haec demum admiscenda sub refrigerio.

4. Resinas et Gummi-resinas aliquando Oleo terebinthinaceo subigere convenit, antequam reliquae massae addantur.

5. Unguentis sit consistentia mellis firmioris, vel Extracti; accuratissime eorum partes constituentes sint mixtione aequabili unitae, non sint grumosa et facile illiniantur.

6. Serventur vasis clausis, potissimum quibus volatilia principia sunt, et omnibus caveatur a rancore, quem vetustate, calore et aëre libero atmosphaerico contrahunt.

† *UNGUENTUM ACETITIS CUPRI.*

Rec. Unguenti simplicis partes duodecim, leni igne emollito adde

Acetitis cupri, in subtilissimum pulverem redactae, partem unam.

Misce terendo.

Not. 547. Mundificat eximie ulcera atonica et sordida atque callositates exedit. *Swediaur* illinit ulcusculis venereis unguentum ex aeruginis gr. jV et olei olivarum unc. jV, si mercurialia nocere videbantur.

† *UNGUENTUM ACETITIS CUPRI CUM MELLE.*

OXYMEL AERUGINIS. UNGUENTUM AEGYPTIACUM.

Rec. Acetitis cupri pulveratae partem unam.

Tartritis acidulae potassae depuratae partes tres.

Coque, addita

Aquae sufficiente quantitate,

ad Acetitis cupri solutionem. Liquorem cola et leni igne evapora ad siccitatem. Sal in aëre atmosphaerico sponte liquescat; liquori colato adde

Mellis partes duodecim.

Misce et serva.

Not. 548. Non multum differt oxymel aeruginis virtute a praecedenti unguento, atque sine dubio paratur, quia melius ulcusculis oris illini potest, nec tam nauseosum linguae fit, quam pinguedo admixta. Loco tartritis acidulae potassae aceti crudi varia quantitas addi solet. *Oxymel. aeruginis Ph. Boruss.* R. aerug. unc. j acet. crud. unc. Vjjj, coqu. donec aceti tertia circiter pars supersit. Filtra et adde mell. despumat. unc. Vjjj. Evaporent ad unc. Vjjj. Pharmacopoea Herbipolitana et Brunsvicensis coquunt aerugin. unc. jjj alumin. crud. unc. ß acet. vin. unc. jß mell. unc. XLVjjj ad consistentiam unguenti.

† *UNGUENTUM ACETITIS PLUMBI.*

UNGUENTUM SATURNINUM, loco *UNGUENTI NUTRITI*, et *UNGUENTI DE LITHARGYRO*, ac *UNGUENTI DEFENSIVI COERULEI.*

Rec Unguenti simplicis partes viginti,
Acetitis plumbi partem unam.

Accurate misce terendo.

Not. 549. *Germ.* Bleiweifssalbe, *gall.* Onguent nutrite. *Vis* exsiccans, sedativa. *Usus* in ulceribus, quae nimium suppurant, et in locis ambustione ulceratis aut inflammatis. *Unguent. Saturninum* Ph. Bor. (Ceratum Saturn. Goulardi). R. cerae alb. libr. β olei olivarum libr. jj liquefact. successive immisc. acet. saturnini unc. jjj aqu. rosar. unc. Vj dilutas. Serva. Parum differt ab unguento nutrito.

UNGUENTUM ALOËS CUM PETROLEO.

loco UNGUENTI ANTHELMINTICI, et ARTHANITAE.

Rec. Pulveris aloës capensis uncias duas,
Fellis bovilli spissati,
Petrolei, utriusque uncias tres,
Axungiae porci depuratae libras duas.

Liquefactae leni calore axungiae, continuo agitans, admisce pulverem et fel; ac dein massae, ab igne remotae et fere refrigeratae, adde petroleum.

Not. 550. Locum tenet *unguenti de arthanita,* quod praeter aloëm acerrima purgantia, ut succum cucumeris asinini, colocynthidem, scammoneum et turpethum minerale condebat, atque ei omnimode praefertur. *Vis* anthelmintica et laxans. *Usus* in colica verminosa regioni umbilicali cochlearculum ter de die illinitur. Addi possunt unc. j camphorae, dr. j olei aether. tanaceti scr. j et carbonat. ammoniae pyro-animalis dr. ß sapon. venet. dr. jjj.

† *UNGUENTUM CANTHARIDUM.*

UNGUENTUM VESICATORIUM.

Rec. *Unguenti simplices partes sex,*

Cantharidum, in pulverem redactarum, partem unam.

Leni igne liquefacto Unguento, admisce Cantharides.

Not. 551. *Germ.* Scharfe Salbe, *gall.* Onguent exutoire. *Vis.* Pustulas provocat, et rubefacit. Ut vesicatorium minus commendari potest, siquidem latius saepe, quam par est, diffluit. Suppurationem in ulcusculis improvide desiccatis et fonticulis resuscitat, eamque in locis, quae emplastrum obiter tantum exussit, progignit. *Medicina Veterinaria* R. pulv. cantharid. unc. jj gumm. euphorb. unc. β resin. commun. unc. jjj pic. liquid. unc. Vj. f. Unguent. Pilis derasis glandularum tumoribus equorum, qui morbo, quem Kropf germani dicunt, laborant illinendum curat *Viborgus* ante usum calefactum. Sub crusta, quae exoritur, materies inclusa sensim exstillat.

† *UNGUENTUM CETI.*

UNGUENTUM ET EMPLASTRUM SPERMATIS CETI.

Rec. Cerae albae,
Sevi ovilli praeparati, utriusque libram unam,
Spermatis ceti libram dimidiam.

Leni igne liquefiant.

Not. 552. Unguentum ceti est lenissimum tegmen ulcerum plumaceolis illinitum. Inducatur quoque striis ex linteo huc et illuc incisis, quae margines ulcerum circumdant, ne caruncularum carnearum progerminatio turbetur, potissimum si unguenta sic dicta digestiva ulceribus sunt admovenda. Vid. not. 333. Cum aequali parte balsami Peruviani mammarum papillas excoriatas sanat *(Marryat)*. Ne obliviscamur autem, unguentis mere

oleosis saepius sanationem ulcerum protrahi, eisque anteponendum esse linteum carptum purum, vel pulveres siccos ex variis plantis inspergendos, quibus torpor fibrarum imminuitur *(Home)*.

† *UNGUENTUM ELEMI.*

BALSAMUM ARCAEI. UNGUENTUM ELEMI COMPOSITUM.

Rec. Resinae elemi,
Terebinthinae laricinae,
Sevi ovilli,
Axungiae porci depuratae, singulorum par pondus.

Leni igne liquescant, misceantur, per pannum colentur et agitentur, donec refrigescant.

Not. 553. Est praestantissimum unguentum, quod omnium aliorum loco esse potest, si chirurgus calcare indigeat, in papillis carneis excitandis, et suppuratione promovenda. Nulla alia vi agunt unguentum terebinthinaceum, unguenta multifaria mundificantia et suppurativa. *Arcaeus* ejus inventor oleum hyperici addebat et santalum rubrum, utrumque superfluum. Fere cum unguento elemi convenit *balsamum vulnerarium Mindereri.*

UNGUENTUM LAURINUM.

UNGUENTUM NERVINUM.

Rec. Sevi ovilli depurati uncias octo,
Olei laurini uncias decem,
Olei terebinthinae unciam unam,
Olei succini rectificati unciam dimidiam.

Sevo, leni calore liquefacto, admisce oleum laurinum, dein adde reliqua, et agita massam, donec refrixerit.

Not. 554. *Germ.* Lorbeersalbe, *gall.* Onguent de Laurier. Adduntur unguento laurino, majoris incitationis causa, ubi opus videatur, oleum aether. sabinae — — caryophyllorum et alia, porro carbonas ammoniae, potassa pura, pulv. rad. pyrethri, similiaque irritamenta.

UNGUENTUM MURIATIS HYDRARGYRO-AMMONIACALIS.

UNGUENTUM CALCIS HYDRARGYRI ALBI. L.

UNGUENTUM MERCULIALE ALBUM.

Rec. Muriatis hydrargyro-ammoniacalis drachmam unam,
Axungiae porci depuratae unciam unam.

Misce.

Not. 555. Commendatum hoc unguentum potissimum in scabie a celeberrimo *Werlhoffio*. Illinuntur articulis qualibet frictione dr. jj.

UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI.

UNGUENTUM MERCURIALE CITRINUM.

Rec. Nitratis hydrargyri soluti uncias tres.

Leniter incalescat. Solutioni calenti admisce
Axungiae porci depuratae, liquefactae et semirefrigeratae, uncias sedecim.

Agita sedulo, donec refrixerint.

Not. 556. Praeclarum unguentum in variis herpetis speciebus. Caveas autem ab ejus usu, cum maculae herpeticae nimia inflammatione cutis stipantur.

† *UNGUENTUM OPIATUM.*

UNGUENTUM ANODYNUM.

Rec. *Olei olivarum uncias duas cum dimidia,*
Cerae flavae uncias duas.

Liquatis adde
Opii crudi drachmas duas.
Accurate misce.

Not. 557. Camphora addita in variis doloribus colicis fere salutare.

†*UNGUENTUM OXYDULI HYDRARGYRI.*

UNGUENTUM NEAPOLITANUM. UNGUENTUM HYDRARGYRI SIMPLEX, COERULEUM, seu GRISEUM.

Rec. *Hydrargyri partes duas,*
Axungiae oxygenatae partem unam,
Axungiae porci depuratae partes sex,
Sevi ovilli depurati partem unam.

Hydrargyrum cum axungia oxygenata tere pistillo ligneo in mortario lapideo, donec extinctum sit, tum sensim admisce axungiam depuratam ac tandem sevum ovillum, leni calore liquatum.

Not. 558. Axungia oxygenata acceleratur metalli oxydatio. Infricent curatores aegrorum manibus thecis munitis hoc unguentum, ne sibimetipsis noceant. *Swediaur* quotidie dr. j-dr. jj illiniendas curavit in morbis venereis atque ossibus integris, plerumque 30-35 frictiones, ut observavit, sufficiunt, ossibus autem laesis 50-70 re-

quiruntur. Eligantur loca, ubi frictiones fiunt, quae vasa absorbentia perrepunt e. g. interior pars brachii, cruris et tibiae. *Unguentum oxyduli hydrargyri extemporaneum* R. oxyduli hydrargyri Hahnemanni sive similis p. j axung. p. Xjj (*Gren*). *Unguentum hydrarg. fortius Ph. Lond.* R. hydrargyr. libr. jj adip. suill. unc. XXXjjj sevi ovilli unc. j. *Unguentum hydrarg. mitius Ph. L.* R. Hydrargyr. p. j axung. p. jj *Marryatus* tegit ulcera venerea unguento ex aequal. partibus ung. picei et ung. hydrarg. fort. Unguent. hydrargyr fortioris dr. jj plerumque praescribuntur ad tres primas frictiones in morbo venereo a *Louvriero*, sequentes variant pro morbi natura, et aegri constitutione. In angina polyposa, aliisque inflammationibus, quae mercurii usum exposcunt, frictiones citius una post alteram instituantur, ut periculum imminens depelli possit. *Medicina veterinaria* R. axung. porci unc. jV sevi ovilli unc. jj Hydrargyri dr. jj camphor. dr. jj. Commendatur contra tumores, qui loco interdum oriuntur, ubi variolae ovibus insertae sunt. Ter de die illinitur *(Sick)*.

† *UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRI NITRATI.*

UNGUENTUM MERCURII RUBRUM. BALSAMUM OPHTHALMICUM RUBRUM.

Rec. Oxydi hydrargyri nitrati drachmam unam,

Axungiae porci depuratae uncias quatuor.

Accurate misce.

Not. 559. Prodest hoc unguentum in ophthalmiis glandulosis. Illinitur portio caput acus aequans cantho interno oculi mane et vesperi. Interdum oxydi zinci grana quaedam drachmis duabus unguenti attrita adjumento sunt effectui oxydi hydrargyr. nitrati. *Unguent. ophthalmicum Conradi* R. unguent. rosat. unc. j oxyd.

zinc. dr. β oxyd. hydrargyr. nitrat. gr. X-XV. Oxydum Hydrargyri praesertim indicatur, si intumescentia palpebrarum excoriationes palpebrarum comitatur. *Balsamus ophthalmicus St. Yves* R. Butyri rec. insuls. unc. jjj, cerae alb. unc. β, oxyd. hydrargyr. nitrat. dr. jjβ, tutiae praeparat. dr. j camphor. gr. XLV, olei ovor. dr. β. Modo supra memorato eo utantur aegri.

† *UNGUENTUM OXYDI PLUMBI CARBONATI.*

UNGUENTUM ALBUM.

Rec. Unguenti simplicis partes quinque,
Olei olivarum partem dimidiam.

Leni igne emollitis admisce, agitans,
Oxydi plumbi carbonati, pulverati partem unam.

Not. 560. Ad ambusta potissimum in usu est, et paulo mitius unguento acetitis plumbi.

† *UNGUENTUM OXYDI PLUMBI CARBONATI CAMPHORATUM.*

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

Rec. Unguenti oxydi plumbi carbonati libram unam,
Camphorae, subtilissime cum Olei olivarum uncia dimidia tritae, unciam dimidiam.

Misce.

Not. 561. Camphora, si lubet, ex tempore priori unguento admisceatur, ne officinae unguentis nimium onerentur.

† *UNGUENTUM PICIS.*

UNGUENTUM BASILICUM.

Rec. *Cerae flavae,*
Picis solidae,
Resinae flavae, singularum semilibram,
Olei olivarum libras duas,

Simul liquata colentur per pannum.

Not. 562. Quarta parte terebinthinae addita, locum unguenti elemi tenere potest.

UNGUENTUM POPULEUM.

Rec. Gemmarum populi recentium libras duas,
Axungiae porci depuratae libras quatuor.

Contusas ac cum axungia probe tritas, gemmas misce, et serva ad aestatem.

Adde

Foliorum recentium Belladonnae,
Foliorum recentium Hyoscyami nigri,
singulorum uncias sex.

Incisa et tusa folia cum massa priore misce, ac coque, donec humor omnis evanuit, dein exprime et cola.

Not. 563. In leniendis doloribus, qui tumoribus haemorrhoidum causantur, celebratur. Idem praestabit, ni fallor, quaelibet axungia aut sevum recens, ac hoc unguentum, praesertim, si satis constat, narcotica partibus ipsis inflammatis dolores facilius adaugere, quam diminuere.

† *UNGUENTUM SIMPLEX.*

loco *UNGUENTI EMOLLIENTIS.*

Rec. Olei olivarum uncias quinque,
Cerae albae uncias duas.

Leni igne liquefiant et misceantur.

Not. 564. Est *unguentum cereum Ph. Boruss.* Simplicitate antecedit unguento ceti. Vid. not. 552.

† *UNGUENTUM SULPHURATUM.*

UNGUENTUM AD SCABIEM, loco *UNGUENTI JASSERI.*

Rec. Sulphuris sublimati puri uncias duas,
Sulphatis zinci unciam unam,
Olei laurini uncias tres,
Axungiae porci depuratae uncias sex.

Accurate misceantur.

Not. 565. Infricatur palmis manuum, praeeunte *Jassero*, ejus autore. Sanatio scabiei hoc unguento tentata nimium protrahitur.

UNGUENTUM TEREBINTHINACEUM.

BALSAMUM LOCATELLI.

Rec. Cerae flavae uncias quatuor,
Olei olivarum uncias sex.
Leni igne liquatis admisce
Terebinthinae laricinae uncias sex,
Santali rubri semunciam.
Colatis adde
Balsami Peruviani drachmas duas.
Serva.

Not. 566. Revera non multum differt ab unguento elemi. Veteres et interne balsamo Locatelli usi sunt, a dr. jj — unc. ß in jusculo carnis. Potest statim commisceri unguentum terebinthinaceum ex terebinth. venet. unc. j vitell. ovi unc. j mell. rosar. unc. ß. *Medicina veterinaria.* Componit simplex unguentum *Viborgus* celeberrimus ex cochl. jjj axung. et cochl. j olei terebinth. aether. quod infricari jubet tumoribus submaxillaribus in morbo equorum glanduloso, ut suppuratio accelereretur, atque abscessui patenti immitti.

† *UNGUENTUM ZINCI.*

UNGUENTUM DE NIHILO, loco *UNGUENTI GRISEI,* sive *E LAPIDE CALAMINARI.*

Rec. Oxydi zinci unciam unam,
Axungiae porci depuratae uncias octo.

Axungiae, leni calore emollitae, admisce oxydum, continuo agitans, donec refrixerint.

Not. 567. Unguentum zinci exsiccat et lenire videtur dolores, nervis denudatis cutique excoriata. Egregium usum praestat in papillis mammarum epidermide privatis, ut probatur Cullenii aliorumque multiplici observatione. Vid. not. 428 et 559.

CERATUM CETI.

CERATUM EX SPERMATE CETI.

Rec. Olei olivarum,
Spermatis ceti, utriusque uncias duas,
Cerae albae unciam unam.

Liquefacta leni igne agitentur, donec refrixerint.

Juxta Pharmacopoeam Amstelodamensem.

Not. 568. Ceratum ceti superfluum est, atque jam sufficit unguentum simplex, forsan rarius rancore corruptum quam illud.

Emplastra.

REGULAE PRO PARANDIS EMPLASTRIS.

1. Medicamenta externa, EMPLASTRA dicta, ab Unguentis majori densitate unice differunt. Hinc leges, pro parandis Unguentis latae, hîc in universum sunt observandae.

2. Emplastra, SATURNINA vocata, quae ex soluto plumbi oxydo per pingue fixum habentur, singularem postulant curam.

Pingue in vase metallico ante indicato primum ferveat, dein Oxydum, in pulverem admodum tenuem redactum, vase ab igne semoto, admisceatur, tum iterum igni imponatur, ac nonnihil aquae calentis adjiciatur. Ebulliens massa sedulo et continuo spatula lignea agitetur, ac aqua prudenter et saepius restituatur, quae fervore avolat. Curandum in universum sedulo, ne aqua desideretur. Nec tamen abundet, quum nimia ejus copia solutionem oxydi plumbi difficilem reddat. Quin et caute observandum, ne, aqua omni abacta, nimis ferventi massae aqua nova adspergatur, quae subito in vapores elasticos mutata, cum adstantium periculo, emplastrum ex vase projiciat. Aquam desiderari apparet, si majores bullas fervens materia non am-

plius offerat, et vapores tenues ad perpendiculum adscendant. Hoc si contingat, ab igne vas est seponendum, ut quodammodo refrigescat, antequam nova aqua adjiciatur.

Caeterum coctionis terminus sit, si Oxydum omne plane solutum sit, et portio exigua massae liquatae, in aquam frigidam immissa, cerae mollis instar possit duci, nec digitis adhaereat.

Admisceantur dein ea lege, quae ad Unguenta dicta est, Pulveres, Extracta, Volatilia, aliaque, ad normam singularum formularum.

3. Emplastra adhuc mollia in Cylindros seu Magdaleones fingantur. Quae principia per aquam solubilia non continent, in aqua, vel manibus saltem saepe humectandis, possunt molliri, reliquis autem sic virtus periret.

4. Emplastra sint in atmosphaera adeo firma, ut digitis non adhaereant, ex calore tepido ductilia evadant, et, corporis vivi superficiei admota, mollia maneant, nec tamen fluant, sed huic facile adhaereant.

5. Emplastra charta involuta serventur, sed, si principio volatili gaudeant, vesica bubula includantur.

† *EMPLASTRUM AROMATICUM.*

loco *EMPLASTRI DE LABDANO. EMPLASTRUM STOMACHICUM.*

Rec. Cerae flavae uncias octo,
Sevi ovilli uncias sex.

Liquatis et non plane refrigeratis admisce
Pulveris Olibani uncias quatuor,
Pulveris Caryophyllorum uncias duas,
Olei Nucis moschatae expressi unciam unam cum dimidia,
Olei Menthae piperitae drachmas duas.
Serva in vase bene clauso.
Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 569. Emplastrum aromaticum imponi solet scrobiculo cordis, sed magna quaestio est, an dorso e regione ventriculi adglutinatum, non efficacius esse debeat, cum hoc loco trunci nervorum eo foveantur, qui ramos ad viscera abdominalia mittunt. Commisceri potest ex aequalibus partibus empl. aromatici et opiati cum pipere albo epicarpium in febri intermittente aliquoties salutare.

† *EMPLASTRUM ASAE FOETIDAE.*

EMPLASTRUM FOETIDUM. EMPLASTRUM ANTIHYSTERICUM. EMPLASTRUM RESOLVENS.

Rec. Emplastri oxydi plumbi semivitrei uncias duas,
Cerae flavae unciam unam.

Liquatis adde
Asae foetidae depuratae uncias duas,
Gummi Galbani depurati unciam unam.
Agita, donec refrixerint.

Not. 570. Compositum est emplastrum asae foetidae ad emplastrum antihystericum Ph Ed. ex galban. libr. j asae foetid. colat., cerae flav. ana libr. ß resin. alb. unc. jjj leni igne colliquatum. Emplastrum oxydi plumbi semivitrei ut incongruam basin considerandum esse

facile conceditur. *Empl. resolvens Schmuckeri* (emplastrum foetidum Ph. Boruss.) R. gummi ammoniac. unc. 20, asae foetid. unc. 8 sapon. Hispan. unc. 4, olei olivar. unc. 2 colliquentur. Tumores lymphaticos dissipare multiplici observatione constat. Vid. not. 68.

† *EMPLASTRUM CANTHARIDUM.*

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

Rec. Cerae flavae uncias octo,
Resinae flavae,
Picis solidae, utriusque uncias quatuor,
Axungiae porci depuratae uncias tres.

Liquatis admisce
Cantharidum, in pulverem tritarum,
uncias octo.

Fiat Emplastrum.

Not. 571. *Germ.* Spanisches Fliegenpflaster, *gall.* Emplatre épispastique, E. vesicatoire. Compositionibus usualibus emplastri cantharidum terebinthina addi solet. Quae cum autem cantharidum vim in vasa urinifera augere videatur, massa, quae in pharmacopoea Batava emplastrum constituit *(matière emplastique de Parmentier)* praeferri meretur. Quando vero citus et certus effectus emplastri in votis est, ei praevalet aspersio pulveris cantharidum in ceratum resinae pini, corio vel linteo exceptum. Obducuntur enim in emplastro cantharides quasi vernice oleo-resinosa, earumque vis taliter obtundi satis apparet. *Emplastrum cantharidum extemporaneum* R. farinae frumenti q. s.; humectet. aceto, ut fiat pasta mollis. Extendatur in alutam aut linteum, atque aspergatur pulvere cantharidum (Parmentier code pharmaceutique). Non firmiter adhaeret cuti, atque fascia est ei affigendum. Celeriter autem dein exsiccatur, atque hanc ob causam non sine sensu tensi corii ingrato aufertur. Camphoram, quae emplastro canthari-

dum adjicere monent, omnibus in casibus ejus vim diureticam compescere non affirmarem. Num etiam in febribus haec ischuria semper damnari potest? Nonne criticus lotii secessus specifico stimulo forsan praeparatur? Sunt, qui textum, nomen Flor gerens, cuti et emplastro intermittant, ne particulae e lytta vesicatoria a vasis absorbentibus recipiantur et ad vesicam urinariam transportentur. Nonne apparet, textu intermedio, irritamentum emplastri saepe pernecessarium non parum interrumpi? *Vis.* Irritat emplastrum vesicatorium cutim, non solum loco, quo applicatur, sed consensu toto corporis ambitu, et fortiter vim exercens in aegris sensibilioribus febrem accendit symptomaticam. *Usus.* Nocere potest emplastrum cantharidum in nimia nervorum sensibilitate et humorum orgasmo. Minus extimescenda est vitiosa sanguinis tenuitas a resorptis particulis cantharidum satis praepropere derivata. Prodest in febribus nervosis et rheumaticis, et in viscerum violenta exagitatione praeternaturali irritamento pronata et sustentata, sicut etiam sperari potest, ut, aucta cutis agilitate, vel mitigetur, vel removeatur. Globuli ex emplastro cantharidum formati et fonticulorum fossiculis immissi effluvium quod cessat cito provocant. *Emplastrum cantharidum perpetuum Ph. Boruss.* R. terebinth. pulv. mastiches ana unc. Vj leni calore liquatis immisce pulv. cantharidum unc. jj — euphorbii unc. j f. emplastr. Etsi autores pharmacopoeae Batavae hoc emplastrum non admiserint, ejus utilitatem indubiam esse, longa experientia ductus assero. Notatu autem non indignum puto, quod emplastri effectus pro cutis irritabilitate differat, et crusta purulenta, qua ulcus ab eo productum obtegitur, rudi manu non debeat detergi, ne surculi nervorum cutis nimis divellantur, et totum corpus nimium in consensum vocetur.

† *EMPLASTRUM CONII.*

EMPLASTRUM CICUTAE. EMPLASTRUM E CONIO.

Rec. Emplastri oxydi plumbi semivitrei,
Cerae flavae, utriusque libram unam,

Olei olivarum uncias sex.

Liquatis et semirefrigeratis admisce

Pulveris herbae Conii maculati libram unam.

Fiat Emplastrum, vase clauso servandum.

Eodem modo parantur

EMPLASTRUM HYOSCYAMI.

EMPLASTRUM MELILOTI, ADHIBITO PULVERE HERBAE ET FLORUM MELILOTI.

Not. 572. Non probandum esse puto, ut basin emplastri cicutae emplastrum oxydi plumbi semivitrei efficiat. Arridet potius sequens formula. R. cerae flavae libr. j, colophonii, olei olivar. ana unc. β. Liquatis et semirefrigeratis paulatim adm. pulv. herb. conii maculati unc. j; m. *Vis* resolvens, anodyna.

EMPLASTRUM CUMINI.

REC. Emplastri oxydi plumbi semivitrei,
Cerae flavae, utriusque libram unam,
Olei olivarum libram dimidiam.

Liquatis et non plane refrigeratis admisce
Pulveris seminum Cumini libram unam.
Agita ad refrigerium, ut fiat Emplastrum.

Not. 573. Et in emplastro cumini emplastrum oxydi plumbi semivitrei damnandum esse mihi persuadeo. Nonne loco pulv. seminis cumini oleum aethereum cumini id efficacius reddet?

EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

REC. Cerae flavae uncias duodecim,
Olei olivarum uncias septem.

Simul liquatis leni igne adde

Plumbi usti uncias sex,

Oxydi plumbi carbonati, triti, uncias quatuor,

Oxydi zinci uncias tres,

Gummi olibani unciam unam cum dimidia.

Coque sub continua agitatione ad consistentiam Emplastri.

Hoc etiam loco EMPLASTRI GRISEI inserviat.

Not. 574. Est emplastrum exsiccans, quod in ulceribus pedum, quae dicuntur phagaedenica, interdum utiliter applicatum vidi. Olim loco olei olivarum oleum solani fuit admixtum.

† *EMPLASTRUM HYDRARGYRI.*

EMPLASTRUM MERCURIALE. EMPLASTRUM COERULEUM, loco *EMPLASTRI DE RANIS CUM MERCURIO.*

R. *Emplastri oxydi plumbi semivitrei libram unam,*

Olei olivarum,

Resinae flavae, utriusque uncias duas,

Hydrargyri uncias sex.

Liquatis et non plane refrigeratis oleo ac resina, hydrargyrum diligenter terendo extingue, iisque sub continua agitatione Emplastrum liquatum admisce.

Not. 575. Satis liquet, praeferendum esse hydrargyrum, si in emplastro id adhibere velis, emplastro mere ceroideo admiscere. Fiat sequenti modo. R. ce-

rae flav. unc. X spermat. ceti unc. jjj. Sevi ovill. unc. jj colliquesc. Paululum refrigeratis adm. oxyduli hydrargyr nigri unc. ℥V aut terebinth. unc. jj et hydrargyr. unc. Vj antea rite contritis. *Vis* resolvens, discutiens. *Usus*. In discutiendis multigenis tumoribus et in specie venereis proficuum. Quotidie recens applicetur, ut orificiis vasorum absorbentium nova planities offeratur.

EMPLASTRUM OPIATUM.

EMPLASTRUM CEPHALICUM.

Rec. Resinae Elemi,
Resinae Mastiches,
Resinae Olibani, singularum uncias quatuor,
Resinae Benzoës uncias duas,
Resinae Terebinthinae uncias sex.

In balneo aquae ad massam homogeneam compositis immisce

Opii pulverati unciam unam,
Balsami Peruviani unciam dimidiam.

Serva.

Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 576. Ut emplastrum cephalicum raro hodie adhibetur. Si opium emplastro addere velimus, quantitas hic praescripta non sufficit. Admisceatur emplastro aromatico, aut simplici ceroideo octava pars.

† *EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI.*

EMPLASTRUM COMMUNE. EMPLASTRUM DIAPALMAE.

Rec. Olei olivarum,

Oxydi plumbi semivitrei, utriusque libras tres,
Axungiae porci depuratae libras duas,
Aquae libras duas.

Coque leni igne, assidue agitans, ad plenam solutionem; instilla subinde novam aquam, ne humor deficiat, atque ita perge, donec debitam Emplastri consistentiam acquisiverit; tum in aquam frigidam effunde, omnem humorem sedulo exprime, et in magdaleones redige.

Not. 577. Emplastrum oxydi plumbi semivitrei est vulgare tegmen ulcerum et vulnerum, et maxime usuale ex emplastris saturninis. Ut rite componantur emplastra saturnina, ratio variorum oxydorum plumbi cum pinguedine est consideranda. Optime solvitur oxydum plumbi carbonatum in olei p. j, oxydum plumbi semivitreum in p. jj et oxydum plumbi rubrum in p. jß *(Hagen)*. Aqua affunditur, ne emplastrum fuscetur.

† *EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI GUMMOSUM.*

EMPLASTRUM GUMMOSUM. EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI. EMPLASTRUM AMMONIACI.

Rec. *Emplastri oxydi plumbi semivitrei libras duas,*
Cerae flavae,
Gummi Ammoniaci,
Gummi Galbani, singulorum uncias tres,
Terebinthinae Venetae uncias duas.

Cerae et Emplastro liquatis et non plane refrigeratis, admisce Gummi Ammoniacum et Gal-

banum, in Terebinthina leni calore soluta, ut fiat lege artis Emplastrum.

Not. 578. Emplastrum oxydi plumbi semivitrei gummosum differt ab antecedente gummatibus, quae adduntur, ut cutim agiliorem reddant, atque calorem in ea augeant. Imponi solet abscessibus nocturno tempore, occasione deficiente, cataplasmata per noctem rite continuandi.

EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI CUM SULPHATE FERRI CALCINATO.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM. EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM. EMPLASTRUM ROBORANS.

Rec. Emplastri oxydi plumbi semivitrei libras duas,
Resinae albae semilibram,
Cerae flavae,
Olei olivarum, utriusque uncias tres,
Sulphatis ferri calcinati uncias octo.

Tere Sulphas cum Oleo, ac caeteris leni igne liquatis illud admisce.

Not. 579. Emplastrum picis cutim leviter inflammat; hinc sensibilitatem morbosam, aliquo modo a propinquis partibus, si dicere licet, derivare potest.

EMPLASTRUM PICIS.

EMPLASTRUM PICEUM.

Rec. Resinae flavae sesquilibram,
Picis solidae uncias viginti octo,
Cerae flavae uncias viginti.

Liquentur leni igne in Emplastrum.

Not. 580. Dubito, emplastrum oxydi plumbi semivitrei cum sulphate ferri calcinato in serie officinalium esse necessarium, etsi non denegem, sulphas ferri calcinatum quibusdam in ulcerum speciebus quadam utilitate adhibitum iri. Immiscerem autem hoc in casu sulphas ferri unguento simplici, aut pulveratum adspergerem ulceribus.

† *EMPLASTRUM RESINOSUM.*

EMPLASTRUM LITHARGYRI CUM RESINA. EMPLASTRUM ADHAESIVUM, seu COMMUNE ADHAESIVUM.

Rec. Emplastri oxydi plumbi semivitrei libras tres,
Resinae flavae uncias sex.

Liquefiant leni calore, bene misceantur, et fiat lege artis Emplastrum.

Not. 581. Quodlibet emplastrum adhaesivum sine addito pulvere citius mollescit, et relaxatur. Hanc ob causam hoc emplastrum labia vulnerum fortiter comprimenda non valet arctissime constringere, et sequens ei antecedere puto. R. colophon. libr. β, terebinth. unc. jV, liquefactis adm. mastich. ferri calcinat. ana unc. j. Cum his bene mixtis malaxetur oxydi plumbi semivitrei libr. j.

† *EMPLASTRUM SAPONATUM.*

EMPLASTRUM DE SAPONE. EMPLASTRUM SAPONACEUM.

Rec. Emplastri oxydi plumbi semivitrei libras tres,
Cerae flavae libram dimidiam,
Saponis Veneti rasi uncias tres.

Leni igne liquatis et fere refrigeratis admisce
Camphorae unciam dimidiam, in
Olei olivarum parva quantitate solutam.
Fiat Emplastrum.
Juxta Pharmacopoeam Borussicam.

Not. 582. Emplastrum saponatum. Discutit et resolvit humores sub cuti variis ex causis praeter naturam condensatos. Melius sapo massae pro emplastro ceroideo not. 471 adjectae immiscetur, quam emplastro oxydi plumbi semivitrei. Nimis liberales sunt medici in consarcinandis emplastris et unguentis cum praeparatis saturninis plane immemores damni, quod resorptione plumbi progenerari potest.

† *CEREOLI SIMPLICES.*

Rec. Cerae flavae uncias sex,
Olei olivarum unciam unam.

Mixtis leni igne pannum linteum texturae subtilioris vel sericum immitte, huncque aequabiliter iis imbutum extrahe, ac refrigeratum, in partes latiores divisum, inter laminas duas ex ligno duro, verbi gratia buxino, volvatur in cylindros variae, singulos tamen aequalis diametri, sapone albo poliendos.

Not. 583. *Germ.* Kerzen, *gall.* Bougies. Omni dubio caret, catheteres flexiles et cereolos cura *Bernardi, Pickelii* aliorumque conformatos his cereolis praestare. Fila sericea exacte specillum circumvoluta iterato obducuntur vernice, quae conficitur ex partibus tribus lithargyri, cerussae, minii aut sacchar. saturni cum oleo lini coctis et parte una succini et olei terebinthinae fusione mixta. Quilibet illitus siccetur aëre libero, et tribus factis instrumentum immittatur furno gr. caloris

Excusum Halberstadii
in officina typographica Joannis Christophori Dölle.

Pondera solita, ad usus medicos, in nova conversa. *Tab. I.*

Uncia.	*valet.*	*proxime.*
℥ ½	15 ʒ 38.	℔ 15.
— 1.	30 . 76.	— 31 .
— 1½	46 . 14.	— 46 .
— 2.	61 . 52.	— 62 .
— 2½	76 . 90.	— 77 .
— 3.	92 . 28.	— 92 .
— 3½	107 . 66.	— 108.
— 4.	123. 04.	— 123.
— 4½	138. 42.	— 138
— 5.	153. 80.	— 154
— 5½	169. 18.	— 169
— 6.	184. 56.	— 185
— 6½	199. 94.	— 200.
— 7.	215. 32.	— 215.
— 7½	230. 70.	— 231.
— 8.	246. 08.	— 246.
— 8½	261. 46.	— 261.
— 9.	276. 84.	— 277.
— 9½	292. 22.	— 292.
— 10.	307. 60.	— 308.
— 10½	322. 98.	— 323.
— 11.	338. 36.	— 338.
— 11½	353. 74.	— 354.
— 12.	369. 12.	— 369.
— 18.	553. 68.	— 554.
— 24.	738. 24.	— 738.
— 30.	922. 82.	— 923.
— 32.	984. 24.	— 984.
— 32½	999. 72.	— 1000.
— 36.	1107. 36.	— 1107.

Drachma.	*valet.*	*proxime.*
ʒ ½	1 ʒ. 92.	℔ 2 .
— 1.	3 . 84.	— 4 .
— 1½	5 . 77.	— 6 .
— 2.	7 . 69.	— 8 .
— 2½	9 . 61.	— 10 .
— 3.	11 . 54.	— 12.
— 3½	13 . 46.	— 13 .
— 4.	15 . 38.	— 15.

Scrupulus	*valet.*	*proxime.*
℈ ½	0 ʒ. 64.	℔ 0 . 6 .
— 1.	1 . 28.	— 1 . 3 .
— 1½	1 . 92.	— 1 . 9 .
— 2.	2 . 56.	— 2 . 6 .
— 2½	3 . 20.	— 3 . 2 .
— 3.	3 . 84.	— 3 . 8 .

Granum	*valet.*	*proxime.*
Gr 1.	0 ʒ. 064.	℔ 0 . 06 .
— 2.	0 . 128.	— 0 . 13 .
— 3.	0 . 192.	— 0 . 19 .
— 4.	0 . 256.	— 0 . 26 .
— 5.	0 . 320.	— 0 . 32 .
— 6.	0 . 385.	— 0 . 38 .
— 7.	0 . 449.	— 0 . 45 .
— 8.	0 . 513.	— 0 . 51 .
— 9.	0 . 577.	— 0 . 58 .
— 10.	0 . 641.	— 0 . 64 .
— 11.	0 . 705.	— 0 . 70 .
— 12.	0 . 769.	— 0 . 77 .
— 13.	0 . 833.	— 0 . 83 .
— 14.	0 . 897.	— 0 . 90 .
— 15.	0 . 961.	— 0 . 96 .
— 16.	1 . 025.	— 1 . 02 .
— 17.	1 . 089.	— 1 . 09 .
— 18.	1 . 154.	— 1 . 15 .
— 19.	1 . 218.	— 1 . 22 .
— 20.	1 . 282.	— 1 . 28 .
— 21.	1 . 346.	— 1 . 34 .
— 22.	1 . 410.	— 1 . 41 .
— 23.	1 . 474.	— 1 . 47 .
— 24.	1 . 538.	— 1 . 54 .
— 25.	1 . 602.	— 1 . 60 .
— 26.	1 . 666.	— 1 . 66 .
— 27.	1 . 730.	— 1 . 73 .
— 28.	1 . 794.	— 1 . 79 .
— 29.	1 . 858.	— 1 . 86 .
— 30.	1 . 923.	— 1 . 92 .

Fig. I.



Hygrometra pro liquoribus aqua levioribus.			
Pharmaceuticum.		Amstelae-damense.	Baumé-anum.
Grad	Densitas	Densitas	Densitas
50	742		782
49	746		787
48	750		792
47	754		796
46	758		800
45	762		805
44	766		810
43	770		814
42	774		819
41	778		823
40	782	805	828
39	787	809	832
38	792	813	837
37	796	817	842
36	800	820	847
35	805	825	852
34	810	829	858
33	814	834	863
32	819	838	868
31	823	842	873
30	828	846	878
29	832	850	884
28	837	854	889
27	842	858	895
26	847	862	900
25	852	866	906
24	858	870	911
23	863	874	917
22	868	878	923
21	873	883	929
20	878	888	935
19	884	893	941
18	889	898	948
17	895	903	954
16	900	908	961
15	906	913	967
14	911	918	974
13	917	923	980
12	923	928	987
11	929	934	993
10	935	940	1000
9	941	946	
8	948	952	
7	954	958	
6	961	964	
5	967	970	
4	974	976	
3	980	982	
2	987	988	
1	993	994	
0	1000	1000	
1	1007		
2	1014		
3	1022		
4	1029		
5	1036		
6	1044		
7	1052		
8	1060		
9	1067		
10	1075		

Hygrometrum pharmaceuticum pro liquoribus aqua gravioribus.			
Grad	Densitas	Grad	Densitas
0	1000	40	1384
1	1007	41	1398
2	1014	42	1412
3	1022	43	1426
4	1029	44	1440
5	1036	45	1454
6	1044	46	1470
7	1052	47	1485
8	1060	48	1501
9	1067	49	1516
10	1075	50	1532
11	1083	51	1549
12	1091	52	1566
13	1100	53	1583
14	1108	54	1601
15	1116	55	1618
16	1125	56	1637
17	1134	57	1656
18	1143	58	1676
19	1152	59	1695
20	1161	60	1714
21	1171	61	1736
22	1180	62	1758
23	1190	63	1779
24	1199	64	1801
25	1210	65	1823
26	1221	66	1847
27	1231	67	1872
28	1242	68	1897
29	1252	69	1921
30	1261	70	1946
31	1275	71	1974
32	1286	72	2002
33	1298	73	2031
34	1309	74	2059
35	1321	75	2087
36	1334		
37	1346		
38	1359		
39	1372		

Fig. II.



Fig. III.



Scala IV Thermometrorum usitatissimorum sc. Fahrenh. Reaum. Celsii & Delislii. — Vergleichende Scalen des Fahrenh. Reaum. Celsiusschen u. Delislischen Thermometers

Fahrenheit	Reaumur	Celsius	Delisle
▽ Kreosots Siedepunkt	212	80	100	0
	211	79 5/9	99 4/9	0 5/6
	210	79,1	98,8	1,4
	209	78,6	98,3	2,3
	208	78,2	97,7	3,2
	207	77,7	97,2	4,1
	206	77,3	96,6	5
	205	76,8	96,1	5,5
	204	76,4	95,5	6,4
	203	76	95	7,3
	202	75,5	94,4	8,2
	201	75,1	93,8	9,1
	200	74,6	93,3	10
	199	74,2	92,7	10,5
	198	73,7	92,2	11,4
	197	73,3	91,6	12,3
	196	72,8	91,1	13,2
	195	72,4	90,5	14,1
	194	72	90	15
	193	71,5	89,4	15,5
	192	71,1	88,8	16,4
	191	70,6	88,3	17,3
	190	70,2	87,7	18,2
	189	69,7	87,2	19,1
	188	69,3	86,6	20
	187	68,8	86,1	20,5
	186	68,4	85,5	21,4
	185	68	85	22,3
	184	67,5	84,4	23,2
	183	67,1	83,8	24,1
	182	66,6	83,3	25
	181	66,2	82,7	25,5
	180	65,7	82,2	26,4
	179	65,3	81,6	27,3
	178	64,8	81,1	28,2
	177	64,4	80,5	29,1
absolut. Alkohol siedet	176	64	80	30
	175	63,5	79,4	30,5
	174	63,1	78,8	31,4
	173	62,6	78,3	32,3
	172	62,2	77,7	33,2
	171	61,7	77,2	34,1

Fahrenheit	Reaumur	Celsius	Delisle
	170	61 3/9	76 6/9	35
	169	60,8	76,1	35 5/6
	168	60,4	75,5	36,4
	167	60	75	37,3
	166	59,5	74,4	38,2
	165	59,1	73,8	39,1
	164	58,6	73,3	40
	163	58,2	72,7	40,5
	162	57,7	72,2	41,4
	161	57,3	71,6	42,3
	160	56,8	71,1	43,2
	159	56,4	70,5	44,1
	158	56	70	45
	157	55,5	69,4	45,5
	156	55,1	68,8	46,4
	155	54,6	68,3	47,3
	154	54,2	67,7	48,2
	153	53,7	67,2	49,1
	152	53,3	66,6	50
	151	52,8	66,1	50,5
	150	52,4	65,5	51,4
	149	52	65	52,3
	148	51,5	64,4	53,2
	147	51,1	63,8	54,1
	146	50,6	63,3	55
	145	50,2	62,7	55,5
	144	49,7	62,2	56,4
	143	49,3	61,6	57,3
	142	48,8	61,1	58,2
	141	48,4	60,5	59,1
	140	48	60	60
	139	47,5	59,4	60,5
	138	47,1	58,8	61,4
	137	46,8	58,3	62,3
	136	46,2	57,7	63,2
	135	45,7	57,2	64,1
	134	45,3	56,6	65
	133	44,8	56,1	65,9
	132	44,4	55,5	66,8
	131	44	55	67,3
	130	43,5	54,4	68,2
	129	43,1	53,8	69,1
	128	42,6	53,3	70
	127	42,2	52,7	70,5

Fahrenheit	Reaumur	Celsius	Delisle
	126	41 7/9	52 2/9	71 1/6
	125	41,3	51,6	72,3
	124	40,8	51,1	73,2
	123	40,4	50,5	74,1
	122	40	50	75
	121	39,5	49,4	75,9
	120	39,1	48,8	76,8
	119	38,6	48,3	77,7
	118	38,2	47,7	78,6
	117	37,7	47,2	79,1
summe gr. indalor. gressl. Hitze amsiedehitze	116	37,3	46,6	80
	115	36,8	46,1	80,9
	114	36,4	45,5	81,8
	113	36	45	82,7
	112	35,5	44,4	83,6
	111	35,1	43,8	84,1
	110	34,6	43,3	85
minor. gr. indalor. Siedehitz.	108	33,7	42,2	86,4
	107	33,3	41,6	87,3
	106	32,8	41,1	88,2
	105	32,4	40,5	89,1
	104	32	40	90
	103	31,5	39,4	90,9
	102	31,1	38,8	91,8
	101	30,6	38,3	92,7
	100	30,2	37,7	93,6
	99	29,7	37,2	94,1
	98	29,3	36,6	95
(1802) calor. maximus b. Blakeware in spiritu halo-rectificato ad ebullitionem usque	97	28,8	36,1	95,9
	96	28,4	35,5	96,8
	95	28	35	97,7
	94	27,5	34,4	98,6
	93	27,1	33,8	99,1
	92	26,6	33,3	100
	91	26,2	32,7	100,8
	90	25,7	32,2	101,7
	89	25,3	31,6	102,6
	88	24,8	31,1	103,5
	87	24,4	30,6	104,4
	86	24	30	105
	85	23,5	29,4	105,9
	84	23,1	28,8	106,8

Fahrenheit	Reaumur	Celsius	Delisle
	83	22 2/9	28 3/9	107 5/6
	82	22,2	27,7	108,2
	81	21,7	27,2	109,1
	80	21,3	26,6	110
	79	20,8	26,1	110,9
	78	20,4	25,5	111,8
	77	20	25	112,7
	76	19,5	24,4	113,6
	75	19,1	23,8	114,1
	74	18,6	23,3	115
	73	18,2	22,7	115,9
	72	17,7	22,2	116,8
	71	17,3	21,6	117,7
	70	16,8	21,1	118,6
	69	16,4	20,5	119,1
	68	16	20	120
cal. cubic. acqua Brankos nimmer	67	15,5	19,4	120,9
	66	15,1	18,8	121,8
cal. latri d. Kalte Bad	65	14,6	18,3	122,7
	64	14,2	17,7	123,6
	63	13,7	17,2	124,1
	62	13,3	16,6	125
	61	12,8	16,1	125,9
	60	12,4	15,5	126,8
	59	12	15	127,7
	58	11,5	14,4	128,6
	57	11,1	13,8	129,1
	56	10,6	13,3	130
	55	10,2	12,7	130,9
	54	9,7	12,2	131,8
	53	9,3	11,6	132,7
	52	8,8	11,1	133,6
	51	8,4	10,5	134,1
temperies cub. gemässigte Luft	50	8	10	135
	49	7,5	9,4	135,9
	48	7,1	8,8	136,8
	47	6,7	8,3	137,7
	46	6,2	7,7	138,6
	45	5,7	7,2	139,1
	44	5,3	6,6	140
	43	4,8	6,1	140,9
	42	4,4	5,5	141,8
	41	4	5	142,7

Fahrenheit	Reaumur	Celsius	Delisle
	40	3 5/9	4 4/9	143 2/3
	39	3,1	3,8	144,1
	38	2,6	3,3	145
	37	2,2	2,7	145,5
	36	1,7	2,2	146,4
	35	1,3	1,6	147,3
	34	0,8	1,1	148,2
	33	0,4	0,5	149,1
glaciers Eispunkt	32	0	0	150
	31	0,4	0,5	150,5
	30	0,8	1,1	151,4
	29	1,3	1,6	152,3
	28	1,7	2,2	153,2
	27	2,2	2,7	154,1
	26	2,6	3,3	155
	25	3,1	3,8	155,5
	24	3,5	4,4	156,4
	23	4	5	157,3
	22	4,4	5,5	158,2
	21	4,8	6,1	159,1
	20	5,3	6,6	160
	19	5,7	7,2	160,5
	18	6,2	7,7	161,4
	17	6,6	8,3	162,3
	16	7,1	8,8	163,2
	15	7,5	9,4	164,1
	14	8	10	165
	13	8,4	10,5	165,5
	12	8,8	11,1	166,4
	11	9,3	11,6	167,3
	10	9,7	12,2	168,2
	9	10,2	12,7	169,1
	8	10,6	13,3	170
	7	11,1	13,8	170,5
	6	11,5	14,4	171,4
	5	12	15	172,3
	4	12,4	15,5	173,2
	3	12,8	16,1	174,1
	2	13,3	16,6	175
	1	13,7	17,2	175,5

Fahrenheit	Reaumur	Celsius	Delisle
grösste artif. Kunstl. Eispunkt	0	14 2/9	17 7/9	176 5/6
	1	14,6	18,3	177,3
	2	15,1	18,8	178,2
	3	15,5	19,4	179,1
	4	16	20	180
	5	16,4	20,5	180,5
	6	16,8	21,1	181,4
	7	17,3	21,6	182,3
	8	17,7	22,2	183,2
	9	18,2	22,7	184,1
	10	18,6	23,3	185
	11	19,1	23,8	185,5
	12	19,5	24,4	186,4
1776	13	20	25	187,3
	14	20,4	25,5	188,2
	15	20,8	26,1	189,1
	16	21,3	26,6	190
1785	17	21,7	27,2	190,5
	18	22,2	27,7	191,4
	19	22,6	28,3	192,3
	20	23,1	28,8	193,2
	21	23,5	29,4	194,1
1795	22	24	30	195
	23	24,4	30,5	195,5
1799	24	24,8	31,1	196,4
	25	25,3	31,6	197,3
1788	26	25,7	32,2	198,2
	27	26,2	32,7	199,1
	28	26,6	33,3	200
	29	27,1	33,8	200,5
	30	27,5	34,4	201,4
	31	28	35	202,3
	32	28,4	35,6	203,2
	33	28,8	36,1	204,1
1759	34	29,3	36,6	205
	35	29,7	37,2	205,5
	36	30,2	37,7	206,4
	37	30,6	38,3	207,3
	38	31,1	38,8	208,2
	39	31,5	39,4	209,1
glacial & gefriert	40	32	40	210

Not. Index fracturar. commun. in Scalis R et C est 9. Delislii 6
— der gemeinschaftliche Nenner der Brüche in den Columnen R. u. C. ist 9 und in der von D. 6.

Fig. 6

Fig. 5

Fig. 10



Fig. 3

Fig. 4

Fig. 8



Fig. 9



Fig. 7



Fig. 11

Fig. 1



Fig. 2



Date Due

Demco 293-5

YALE MEDICAL LIBRARY

YALE MEDICAL LIBRARY
HISTORICAL
LIBRARY

Accession no. Yul-transf.
title: Codex medicamentarius Europaeus.
Author
Pharmacopoea Batava
Vol. 4 part I 1811
Call no.
19th cent
RS 141.62
1811 C
4:1